GRAVISSIMORVM AVCTORVM COMPLVRIVM OPVSCVLA,

DE RESIDENTIA PASTORVM,

AC DE BENEFICIORVM PLVRALITATE.


TOMVS POSTERIOR.

Horum nomina, uersa Pagina sese oculis obijciunt.



VENETIIS,
EX OFFICINA IORDANI ZILETI.
M. D. LXII.

NOMINA AVCTORVM HVIVS TOMI POSTERIORIS HAEC SVNT.



DE BENEFICIORVM PLVRALITATE.

INDEX OMNIVM, QVAE IN HOC POSTERIORE TOMO DE RESIDENTIA continentur.




FINIS.

THOMAE CAMPEGII



THOMAE CAMPEGII BONONIENSIS EPISCOPI FELTRENSIS.

DE RESIDENTIA PASTORVM TRACTATVS.





ESIDENTIAM Episcoporum in suis ecclesijs necessariam esse, & opportunam, illos uero magna dignos reprehensione, qui non resident; cōprobatur quamplurimis sacræ scripturæ testimonijs, & sanctissimorum conciliorum decretis. & primo, Hiere. XII. Pastores multi demoliti sunt uineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertū desolationis, posuerunt eam in dissipationem, luxerunt super me desolatione, desolata est omnis terra, quia nullus est, qui cogitet corde, & capita XXIII. Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non uisitastis eos. ecce ego uisitabo super uos malitiam studiorum uestrorum, dicit dominus.

His concordat Ezech. cap. III. Fili hominis, speculatorem dedi te de ore meo, uerbum ut annuncietis eis ex me: si dicente me ad impium, Morte morieris; non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertatur a uia sua impia, & uiuat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius requiram de manu tua. & cap. XXXIIII. Veh pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. nonne greges a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmū fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quesiuistis, sed cum asperitate imperabatis, & cū potentia. & dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esse pastor, &

factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersę sunt. errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in uniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. propterea, pastores, audite uerbum domini. Viuo ego, dicit dominus Deus uester, quia pro eo ꝙ facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuoratione omnium bestiarum agri, eo quòd non esset pastor, neque enim quæsiuerunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. propterea, pastores, audite uerbum domini. hæc dicit dominus Deus, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meũ, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore ipsorum.

Satis foret hoc Ezechielis testimonium, ut resipiscerent Episcopi, & alij pastores, qui deserunt gregem suum. sed magis illos deterreat quod dixit saluator noster, Io.x. cum dixit, Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro, qui autem intrat per ostium, pastor est ouiũ, huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt, & proprias oues uocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, qui sciunt uocem eius, alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocẽ alienorum. Et ex post; Ego sum pastor bonus. bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientẽ, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues, mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eũ de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.

Secutus magistrum suum Petrus, Pascite, inquit, qui in uobis est gregem Dei, non coacte, sed spontaneæ, secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed uoluntarie, neq; dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. & habetur primæ Petri c.v.

Eosdem monuit Paulus act. xx. cum dixit, Attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo spiritus sanctus posuit uos Episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Hinc Nicenũ cõciliũ statuit Cano.xv. nulli Epo licere, eccl'iã suam deserere, & ad aliã transire. & hr̃ in c. Non oportet. viij.q.j.

Item

Item Cano. xv. Antiochen. concilij decernitur; quòd siquis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione priuari. & habetur in c. Siquis Episcopus. xcII. dist. propterea Sardicen. concilij Cano. viii. inhibetur Episcopis, ne ad comitatum accedant, nisi hi qui religiosi Imperatoris literis uel inuitati, uel uocati fuerint. & Cano. xiiij. Episcopo nec licere, nec decere, si nulla sit tam grauis necessitas, quę detineat, ut ultra tres dominicos dies absens sit ab ecclesia sua. & Cano. xxiiij. Calcedonen. concilij cauetur, quòd siquis Episcoporum intra menses tres munus consecrationis non acceperit, debeat ecclesiæ condemnationi subiacere, redditus uero eiusdem uiduatæ ecclesiæ integros reseruari apud œconomum ecclesiæ.

Ex concilio Agaten. habetur quod legitur in c. Siquis in clero. vii. q. i. quòd siquis in clero constitutus ab ecclesia sua, diebus solennibus defuerit, idest Natiuitate domini, Epiphania, Pascha, uel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quam seruitio Dei parere; conuenit ut triennio a communione priuetur. Similiter Diaconus uel presbyter si per tres ebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic damnationi subiaceat.

Canone etiam xxiiii. octauæ synodi habetur, Diuina scriptura dicente, Maledictus homo qui facit opus negligenter. Et & post, Quisquis igitur Metropolitanorum post hanc sanctæ uniuersalis synodi definitionem eadem audacia, uel superbia, & contemptu abusus, non per se cum timore & alacritate, seu conscientia bona debita ministeria in propria ciuitate, sed per suffraganeos Episcopos suos efficere tentauerit, pœnas exoluat coram proprio Patriarcha, aut corrigatur.

Extant etiam sanctissimorum Pontificum quamplura monita, & decreta. inter quæ memoria excidere non deberet quod dixit Damasus epistola iiij. de Episcopis, qui curas suas alijs delegant, cum dixit, quòd similes sunt meretricibus, quæ statim ut pariunt infantes suos, alijs nutricibus tradunt, ut suam citius libidinem explere ualeant. Sic & isti infantes suos, id est populos sibi commissos alijs educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est pro suo libitu secularibus curis inhient, & quod unicuique uisum fuerit, liberius agant. pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata prodeunt, eccle-

sic destruuntur, sacerdotes uitiantur, & reliqua mala proueniunt. non taliter dominus, nec apostoli instituerunt. Sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos domino repræsentent. nam ipse ouem perditam diligenter quæsiuit, ipse iuuenit, ipse proprijs humeris reportauit, nosq; idipsum facere perdocuit.

Post eum, legamus Gregorium in pastorali, qui ostendens qualis esse debeat Episcopus, Sit, inquit, Episcopus in cogitatione mundus, in actione præcipuus, in silentio discretus, in uerbo utilis, in operatione singularis, in contemplatione suspensus, ætate antiquus, fide integer, pressura probatus; qui magis uelit rerum suarum proscriptionem, quàm ecclesiam & subditos deserere. Proinde Nicolaus Papa, & habetur in c. Pontifices. vij. q.j. dixit, Episcopi qui dominici gregis suscipiunt curam atque solicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamen eorum salubriter augeatur, & triplicetur fructus,

Et usque adeo damnandus Episcopus est, in sua non residens ecclesia, quòd in monasterium detrudendus sit, ex epistola Gregorij ad Antimium Subdiaconum, registrata vi. q.j. c. Peruenit. & Anastasius tituli sancti Marcelli card. dignitate priuatus fuerit c. ij. de cleri. nō resi. & Inno. III. decreuit, aliū deligendū Archiepm Ragusin. ꝙ Archieps per trienniū expectatus, & per literas reuocatus, ad ecclesiā suam nō redierat. c. Qualiter de cleri. non resi. quod idem mādauit Celesti. III. de Decano, qui per decem annorum spatium absfuerat, ut habetur in c. Ex parte. eod. titu.

In tantum autem necessaria est episcoporum residentia, ut propter aduersitatem, aut persecutionem, nisi certis casibus infra exponendis, Episcopus deserere non possit ecclesiam suam. c. Suggestū. c. Aduersitas. vij. q. j ex sniā Liberij & Greg. Pont.

Si quis autem quæsiuerit, an episcoporum residentia iuris sit diuini; respondebimus, eo modo posse de iure diuino dici, quo Romani Pontificis & sacrorum conciliorum decreta de iure diuino dici possunt, quia scilicet instinctu spiritus sancti unanimi patrum consensu fuere sancita. c. Nimis. de iur. iur. cum not. ab Inno. Osti. & alijs & in c. Quo iure. viij. di. cū dicitur, Iura humana per Imperatores & rectores seculi Deus instituit humano generi. & c. fi. xvi. q. iij. & l. fi. C. de præscrip. longi tempo. dicuntur leges diuinitus per ora principum promulgatæ. Potest & alio

modo.

modo dici de iure diuino, inquantum illa dici potest lex diuina, quæ principaliter instituitur ad dirigendum hominem in Deum, sicut humana ordinat homines ad inuicem. precipuum enim Episcoporum munus est, animarum cura, qua funguntur in doctrina; iuxta illud apostoli, Oportet Episcopum esse doctorem. & id quod dicitur in ordinatione Episcopi, Vade, prædica populo tibi commisso. administratione sacramentorum, eorum præcipue, quæ administrare solus Episcopus potest. & in uisitatione, quam nisi ipse præstaret, non esset Pastor custodiens gregem, & uisitans singulas oues, ut unicuiq; tribuat quod conuenit, quæ recensuit Ezechiel loco supra citato.

At sumendo ius diuinum in suo proprio significatu, quod scilicet institutum sit a Deo, & Saluatore nostro, in ueteri aut noua lege, cuiusmodi sunt articuli fidei, sacramenta ecclesiæ, & decem legis præcepta; Episcoporum residentia nequaquam de iure diuino dici debet. quoniam etsi Episcopatus sit de iure diuino, & Saluator noster instituerit apostolos suos, Episcopos, siue in cœna (ut est communior opinio) siue quando misit eos ad baptizandum, & prædicandum, tamen prout habet præeminentiam super alios clericos, fuit ad tollenda schismata postea institutũ c. Olim. xcv. di. c. Legimus. xciiij. di. utrunque ex epistola Hieronymi ad Euagrium. Et licet in singulis ciuitatibus ab apostolis & eorum successoribus cõstituti fuerint Episcopi, & hac etiam fortasse ratione dici posset, Episcopos iure diuino institutos. c. j. & ij. lxxx. di. non erant tamen episcopatus distincti. propterea, quem unus excommunicabat, alius absoluebat, ex sententia Inno. Ostei. & Abb. in c. Cum causam. in fi. de probat. Sed postea Dionysius Pontifex, qui fuit post Christum annis cclxx. uel circa, in urbe presbyteris ecclesias & cœmiteria diuisit, foris autem parochias & dioceses distribuit, constituitq;, ut quisque suis finibus contentus esset, ut habetur in c. Ecclesias xiij. q. j. & hoc modo interpretandum quod habetur in c. j. xxij. di. Omnes Metropoles, & omnium episcopatuum cathedras Romanam ecclesiam constituisse. Et ideo, quòd episcopus in hoc uel illo loco residere teneatur, harum ouium uel illarum curam gerat, nec a Saluatore, nec ab Apostolis institutum fuit. propterea nequaquam iuris diuini esse potest, quòd quis magis in uno, quàm alio loco resideat. Item Canones puniunt non residentem, tanquã sacrorum Canonum, non autem tanquam iuris diuini transgressorem c. ij. de cleri non

resi.

resi. Igitur residentia non est iuris diuini.

Præterea quod propter sui mutabilitatem & uarietatem recipit determinationem ab ecclesia, in eo quod recipit mutationem non est iuris diuini; quemadmodum confessio, licet sit iuris diuini, non tamen quòd tali tempore, tali modo, huic vel illi sacerdoti fiat: in quibus recipit mutationem. Proinde licet Episcopatus sit iuris diuini, a Christo ipso institutus; modus tamen residentię, qui subiectus est mutabilitati propter multiplices casus, quibus quis residere non tenetur; nequaquam iuris diuini censendus erit.

Comprobantur præmissa, & alia ratione, quoniam si residentia foret de iure diuino, cum nemo in duobus locis residere possit, nequaquam potuissent Romani pontifices vni duas ecclesias commitere; quod tamen Diuus Gregorius fecit, qui Fundano Episcopo Terracin. commendauit, vt habetur in c. Relatio XXI. q. I. qui etiam, vt vnus duabus præficeretur ecclesijs, duas simul vniuit. c. Et temporis qualitas. XVI. q. I. nec potuisset beatus Paulinus, Nolan. Episcopus (vt refert Gregorius libro III. dialogorum) pro viduæ filio se in seruitutem dedisse, & tot annis, quibus Vandalorum Regis seruus fuit, ab ecclesia sua abesse, de quo tamen summis laudibus extollitur. nec etiam D. Remigius cum Remensi ecclesia Lugdunensem regere; quod tamen fecit. Habetur enim in Galliarum annalibus, & refert Archiepiscopus Florentin. tertia parte summæ ti. primo cap. XXI. quòd cum Genebaldus Archiepiscopus Lugdunen. prius cum uxore sua communi consensu regularem vitam professi fuissent, deinde uoti reus ex uxore filium, quem latronem nominauit, suscepisset, confessus reatum suum beato Remigio, interim quo Genebaldus pœnitentiam ageret, beatus ipse Remigius Lugdunen. ecclesiam gubernauit; quem deinde peracta pœnitentia, renuncianteq; angelo peccatum remissum, pristinæ restituit administrationi.

Hoc idem confirmatur ex his, quæ tradit sanctus Thomas. secunda secundæ. quæst. CLXXXV. dum differens, quando liceat Episcopo abesse a sua ecclesia, inquit, quòd in qualibet obligatione attendi debet obligationis finis. & cũ Episcopi sese astringant ad exequendum pastorale officium, propter subditorum salutem, ubi subditorum salus exigit pastoris præsentiam, non debet pastor gregem suum deserere, nec propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum,

periculum, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter per aliũ prouideri in absentia pastoris, tunc licet pastori uel propter aliquod commodum ecclesiæ, vel personæ periculum, personaliter gregem suum deserere. Si igitur casu aliquo permittitur Episcopo gregem suum deserere, non erit residentia iuris diuini, quod nullam admittat mutationem, & uarietatem. propterea inuicem pugnare videntur quæ dixit Cardinalis Caietanus, primus assertor residentiam Episcoporum fore iuris diuini, cum fatetur, quòd etsi residentia sit iuris diuini, est tamen aliqua personæ conditio, quæ ipsum a residentia excusat, quãdo scilicet eiusmodi sit, vt melius aut saltem ęque bene regatur ab alio ecclesia, eo absente. imo ex assertione sua colligitur, non esse iuris diuini, cum admittit, quòd quando negocium exigens absentiam Episcopi, ad vniuersalis ecclesiæ bonum spectat, ut cum interest generali concilio, aut legatione fungitur pro pace inter principes concilianda, licite per alium deseruire potest ecclesiæ; & ab ea abesse, ex eo quòd bonum partis ordinatur ad bonum totius, vt finem; cum debeat pars exponi pro totius bono; etiam si oporteat ipsam detrimentum pati; vt cum inciditur manus pro totius corporis salute. nec etiam negauit, quòd Episcopus salua conscientiæ puritate ex rationabili causa potest abstinere ab aliquo proprio sibi actu, & per alium illum exercere, puta per alium se magis idoneum populo prædicare uerbum Dei, exemplo Valerij Hipponen. Episcopi, qui per Augustinum prædicabat. ex quibus ipsiusmet verbis contrarium suæ assertionis colligitur, non esse iuris diuini residentiam Episcoporum, & posse quem per alium fungi officio suo. nec enim omittere posset id, ad quod iure diuino tenetur, vt quid aliud faceret, ad quod nec diuino, nec humano iure tenetur.

Nec pręmissis repugnat, si dicatur, Sicut saluator dixit Petro, Pasce oues meas, non, Pascere facias; & Petrus ex præcepto domini tenebatur illas pascere: sic & Episcopus cõmissas sibi oues pascere debet, non alijs pascendas committere; licet, ꝙ hæ non illæ commissæ sint, iuris sit humani. quoniam etiam si concedatur, pascere oues sibi commissas fore diuini iuris, non tamen per seipsum pascere; modo ex legitima absit causa. aliàs Apostoli uiolatores fuissent diuini iuris, cum ipsis etiam particulares ecclesię forent commissę, ut Iacobo Hierosolimitana, Ioanni Ephesina,

& aliȩ alijs: & tamen ad diuersas prouincias diuertebant, annunciantes verbum domini: & cum Episcopatus munere fungebantur Apostolatus officio.

Secundo non obstat præmissis, quòd qui aliquid præcipit, & illud præcipere videtur, sine quo prius mandatum fieri nō potest. pastoralis autem cura uerbo domini mandata, Pasce oues meas; præstari non potest sine personali residentia; quoniam dictum fuit, Pasce oues; non, Pasci facias. ergo & personalis residentia verbo domini mandata cēsebitur. respondetur enim, quòd licet admitteremus residentiam verbo domini mandatam, non tamē in hoc uel illo loco residere est à domino, sed à Rom. Pontificē demandatum. is enim est, qui diuisit parochias, & dioceses, & Episcopos in partem solicitudinis uocauit. Præterea nec verum est, quòd non possit pastoralis cura adhiberi sine assidua residentia; quia esse potest, quòd absentia utilior sit uel particulari uel uniuersali ecclesiæ, quàm præsentia. particulari quidem, quia contingere potest, ut quis absens ùtilior sit suæ ecclesiæ, quàm præsens. quemadmodum bonus pastor, relicto etiam imbecilli sene ad custodiā gregis, ipse per saltus, & siluas lupos persequēs, eos facilius arcet ab ouili suo; nec propterea dicetur illud deserere. vniuersali autem quis vtilior esse potest in absentia, quàm si præsens sit, ut de Timotheo legitur, quòd quamuis esset Ephesinus Episcopus, tamen mandante Paulo alijs inseruiuit ecclesijs.

Tertio non obstat, quòd dominus eum vocat bonum pastorem, qui intrat per ostium, qui oues vocat nominatim, & ante illas uadit: quȩ presentiam requirunt pastoris. quoniam etsi illȩ conditiones sint boni pastoris, non propterea requiritur assidua & perpetua presentia, & residentia. uel forte admonitiones sunt, non precepta.

Quarto non obstat, quòd episcopi dicantur succedere in locum Apostolorum: Apostolis autem ita fuisse demandatam curā euangelij predicandi, vt hoc ipsum per seipsos facerent, dicente Apostolo, Veh mihi, si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit. quia respondetur, episcopos non fore Apostolorum successores in officio Apostolatus; ratione cuius non licebat eis non euangelizare. in quo officio nullum habuerunt successorē. vel forte dici potest, non iniungi necessitatem per seipsos euangelizandi, sed potuisse & id munus per alios impartiri; quemadmodum

modum Paulus misit Timotheum, & Petrus alios, sicut & Petrus, & si ei dictum fuisset, Pasce oues meas, non tamen mandatam, quòd per seipsum, quod etiam impossibile fuisset, pascere uidelicet per uniuersum orbem oues domini, sed alios etiam assumpsit in partem solicitudinis.

Quinto non obstat, quòd in consecratione Episcopi dicatur, Vade, prædica populo Dei: non autem, Mitte alios ad prædicandum. quia respōdetur uerba illa, Vade prædica populo Dei; sed ecclesię, & proptérea ex hoc potius colligi, residentiam fore mandatum ecclesiæ, non autem Dei. Quin nec etiam ex illis uerbis constat, quòd per seipsum prædicare debeat, alias peccasset Valerius, qui Augusti. ad prædicandum substituit.

Sexto, non obstat quòd dixit Apostolus, oportere Episcopū fore doctorem: quasi frustra id requiri, si hoc munus per alium implere potest, & ad residentiam ex eo præcepto teneri. sic de uisitatione, de præcepto quòd agnoscant uultum ouium suarū, quæ uidentur non posse per alium expleri. quia respondetur, quòd etsi oporteat Episcopum esse doctoré, id est docere, quæ ad fidem, & religionem spectant, non tamen subsequitur, quòd perpetuo residere teneatur, quoniam per alium docere potest, quin etiam per epistolā docere potest, sicut Apostolus per epistolas absens docebat: beatus Cyprianus, & alij, imo quandoque per alium prædicare cogitur, ut cum dioceses amplæ sunt nec omnes eodem loco conuenire possunt, &, ut coadiutores assumant, eis mandatur, ut in c. Inter cætera. de off. ord.

Septimo, non obstat, quòd si iure diuino debetur sacerdotibus uictus, & necessaria, & propterea Dei mandato præceptū dari decimas Leuitis, & Christus mercede dignos pronunciat sacerdotes, præcipiatq; Paulus primę Cor. ix. ne nobis os alligetur, subsequi, quòd cum hoc nobis debeatur iure diuino, sacerdotes debitores sint officii sui, quod non nisi præsentes præstare possunt, cum non uideatur rationi cōsonum, deberi decimas sacerdotibus, & eodem iure non deberi ministerium, & seruitium tabernaculo. quoniam respondetur, id non recte colligi, si enim ex hoc, quòd de iure diuino debeatur merces Episcopo; colligatur, ergo ipse de iure diuino tenetur impendere officium suum; itidem quoduis officium mercenarij deberetur iure diuino, & diuini iuris esset prędicatio uerbi Dei a religiosis, & alijs,

quòd eis iure diuino debeatur merces.

Octauo, non obstat quòd actus Episcopatus ab Ezechiele enumerati; aut assiduum, aut frequens tempus exigere uideantur, & licet omne tempus nō affirmatur in officio pastorali, nullum tamen est tempus, quo non opus sit Episcopum fore paratum ad illud præstandum. quodq; licet præceptum affirmatiuū non obliget ad semper, hoc tamen obligare uidetur, saltem ut assidue. quoniam respondetur male colligi, ad ea assidue tenentur, ergo per seipsos præstare tenentur.

Nono, nec obstat quòd si residentia non esset iure diuino debita, tolli posset contraria consuetudine. quoniam tolli potest contraria consuetudine, non quia sit iuris diuini; sed quia iniustum est, quem perpetuo abesse ab ecclesia sua, sicut nec lex iusta tolli potest contraria consuetudine, permanente ratione legis.

Decimo, non obstat, si dicatur, Si tolleretur præcepta residentia, adhuc debita foret, & non iure humano, ergo quoniā si id recte colligeretur, plura alia humana præcepta forent diui ni iuris, ex eo quòd sublato iuris præcepto, cū de se bona sint, adhuc essent facienda. quoniam iustus etiam nulla lege mandante, faceret quod iustum est, & inde dicatur, Lex non est imposita iusto. ipse enim est sibi lex.

Si quis autem scire concupiscat, quando liceat Episcopo abesse ab ecclesia sua, legat sanctum Thomam secunda secundæ q. clxxxv. arti.iiij. cum dixit, quòd in qualibet obligatione præci pue attendi debet obligationis finis, & cum Episcopi se obligēt ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutē; ubi subditorum salus exigit pastoris præsentiam, non debet pastor gregem suum deserere nec propter commodum aliquod tē porale, neq; propter aliquod personæ periculum. at si saluti subditorum potest in absentia pastoris prouideri, tunc licet pastori uel propter aliquod ecclesiæ commodum, uel propter personæ periculum gregem deserere, ut Paulus fugiens Damasci persecutionem Iudæorum, & Athanasius Constantij. Vnde Augusti nus in epistola ad Honoratum dixit: Fugiant de ciuitate in ciui tatem serui Christi, cum eorum quisque a persecutoribus quæri tur, non deseratur ecclesia. Cum autem omnium commune est periculum, hi, qui ali s indigent, non deserantur ab his, quibus indige-

indigetur. Si enim est periculosum, in tranquillitate nauem deserere, quanto magis in fluctibus? ut dixit Nicolaus in c. Sciscitaris. 7. q. 1.

Itemperies etiam aeris licita causa est absentiæ episcopi à sua ecclesia, cum scilicet recuperandam ualetudinem medicorum consilio ad salutem conferret aeris mutatio. Item ut interesse possit siue vniuersali, siue prouinciali. quoniam bonum totius ecclesię preferendum est bono particularis ecclesiæ. Similiter ratione legationis pro concilianda pace; eadem ratione uocatus a Romano pontifice pro commodo uniuersalis ecclesiæ; uel si accesserit ad regis curiam pro defendendis iuribus ecclesiæ suæ.

FINIS.

TRACTATIO QVAESTIONIS, QVO IVRE EPISCOPORVM RESIDENTIA DEBEATVR,

PER F. AMBROSIVM CATHARINVM POLITVM EPISCOPVM MINORIENSEM.





ON Puto aliquem adeo uel desipere, uel insolescere, ut existimet, aut ausit etiam asserere, episcopum non teneri personaliter residere in loco ecclesiæ sibi commissæ, nisi uel necessitas (que legi subiecta non est) impediat, uel maior ecclesie utilitas aliud requirat, cũ canones hoc abominentur & puniãt. Sed illud uertitur in questionem, utrum hec obligatio ad residendum sit iuris diuini, an potius canonici & ecclesiastici. Mitto hic inquirere, an de iure naturali: quia ius nature ignorat ecclesiasticam hierarchiam, quamuis illa posita, non est diffidendum ratione naturali, id est, ratione que a lumine naturali uenit, posse disquiri, quatenus hec residẽtia ab episcopo debeatur; hoc enim faciemus nos differentes, quod facere non possemus, nisi quod circa hoc censeat ius ipsum diuinum, & canonicum, siue ecclesiasticum, prenouerimus.

Igitur pro huius rei intelligentia, prius oportet definire quid est, quod dicimus esse aliquid iuris diuini. Hic enim accipiendum est, vt distinguitur ab humano, vel naturali, uel ciuili iure, uel etiã ecclesiastico.

Primo igif & proprie, iuxta doctrinam D. Thome & ueritatẽ, illud esse diuinum ius intelligo, quod Deus ore proprio loquutus est, & expressit; & consequenter ex eo quod est expressum

manifesta,

manifesta, & necessaria consequentia deducitur, ut non sit opus nouo pręcepto, cum satis in eo, unde deducitur, cōtineatur, exépli gratia. Præceptum charitatis expressit Dominus ore suo; Proprie ergo, ac primo, diuini iuris esse non dubitamus. Ex hoc aūt præcepto clare deducitur usuram non esse licitam, cum procul-dubio non diligat homo proximum suum, sicut seipsum, qui illū vsuris premit. Quamobrem usuram diuino iure esse prohibitam, etiam si nullum aliud expressum inueniretur dei præceptum de illa, minime dubitandum est, nec opus esse diceremus vllo hominū præcepto, vt illicita fieret, forte, ut declararetur hominibus improbis, aut sensu imbecillis. Nec decipiatur quisquā existimans hoc pacto, quòd quęcunque nobis pręcipit ius canonicum, iuris diuini dici possint, eo quòd necessitas illa seruandi sit iuris diuini, dicente domino. Qui vos spernit, me spernit. Vt enim sit aliquid iuris diuini, oportet, ut super illud diuinum præceptum cadat, & non super necesitatem obtemperandi, exempli gratia. Debere sacerdotem continere, dicimus esse ecclesiastici iuris non diuini, cum non sit hoc vlla diuina voce expressum, nec ab expressis necessaria consequentia deducatur. Et nihilominus hoc, quod huic pręcepto ecclesiastico debeat obtēperare sacerdos, iuris est diuini. Quo in loco etiam considerandū est, & diligenter animaduertendum ne erremus, longe aliud esse colligi aliquid de scripturis ut præceptum, aliud uero ex illis accipi, vt pręcipiendū. Cœlibatus enim sacerdotum, & si in scripturis nō uideatur præceptū, nec uere sit, attamen ex ipsis scripturis accipimus esse bonum, & vtilem, & conuenientem tanto officio, & ordini, ac propterea dignum, vt ab ecclesia precipiatur, sicut & factum est. Nouo enim ecclesiæ precepto fuit opus in hac re.

Concludo ergo quod sicut hereticus est, non solum qui negat quæ expressa sunt in scripturis, uerum etiam qui ea negat, que in ijs, quæ sunt expressa, continentur, & inde necessaria atque euidēti consequentia deducuntur, ita diuini iuris preuaricator est, nō solum qui trāsgreditur, quod ibi expresse precipitur, uerūetiam qui id quod inde euidenter deducitur, pretermittit.

His premisis, si sic accipitur ius diuinum, ut declarauimus, & sicut re uera debet, secundum distinctā, & propriā significationē vocis, sicut dicitur ius naturale, quia a natura dictaī, & ius humanū quod a ratione seu dictamine humane rationis descendit, respondentes nunc ad questionem, primum dicimus, Non illud

queri,

quæri, utrum residentia episcopi sit iuris diuini, tanquam sit expresso uerbo à Deo præcepta, Nam si ita esset, nimis turpiter in quæstionem uerteretur. Quis enim, præsertim catholicus, audeat quicquam opponere uerbo Dei? sed in hoc quæstio est, utrum ex aliquo expresso Dei præcepto ui consequentiæ euidentis hoc deducatur. Sunt enim qui hoc proculdubio existimant, & his modis argumentantur. Episcopatus, id est, ordo ipse & officium, sine dubio à Deo est, & iure diuino institutum, & ad hoc institutum ut curentur oues Christi. Vnde B. Paulus Episcopatum bonum opus appellat. Cura igitur pastoralis de iure diuino est. Hęc uero absq; personali & assidua residentia præstari nō potest. Personalis igitur residentia, & illa assidua, iuris est diuini. Qui enim certum quid præcipit, etiam illud præcipere censendus est, sine quo præcepto illud prius præstari non potest. Quod si quis dixerit etiam sine assidua residentia pręstari posse curam, quia episcopus per alios pastoralia munera exercere potest, cum nullum sit non delegabile, Contra hoc instāt, primo, quia dictum est Petro, Pasce oues meas, & non est illi dictum, mitte alios ad pascendum. Quod autem dictum est Petro ut pastori, etiam omnibus episcopis & pastoribus, in eius persona dictum esse recipiendum est.

Secundo, quia Dominus ipse designat nobis bonū pastorem in illo qui intrat per ostiū, qui oues uocat nominatim, & emittit eas & ante eas uadit, & cætera quæ profecto præsentiam pastoris uidentur requirere.

Tertio Episcopi dicuntur succedere in locum Apostolorum, Apostolis autem ita fuit demandata cura euangelij prædicandi, ut hoc per seipsos facere tenerentur. Vnde B. Paulus. Væ mihi, si non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit.

Quarto, quia quum consecratur episcopus, expresse ei dicitur, Vade & pręedica populo Dei, & non dicitur, mitte alios ad prędicandum.

Quinto, quia Apostolus ait, Oportere episcopum esse doctorem. Frustra autem hoc si per alios posset prædicare & docere. Si ergo ut per se doceat necesse est, profecto præsentia & residentia eius est necessaria, doctrina enim in aures instillatur. Denique sunt alia multa episcopalia munera, quæ aut conuenienter requirunt ipsius episcopi præsentiam, aut etiam (ut quidam uolunt) necessario. Est enim primum debita uisitatio, quæ etsi per alios fieri posset, non tamen ita conuenit, ad hoc enim illud

prouer-

prouerbium trahi poteſt. Pes domini impinguat agrum, & oculus equum. Et ſcriptum eſt paſtoribus, Agnoſce uultum pecoris tui: Nam quæ illi debentur, longe conuenientius a proprio & ordinario prȩſtantur, quam a Vicariis & ſubdelegatis. Hæc ſunt enim paſtoris officia apud Ezechielem, ſanare egrotos, conſolidare infirmos, alligare confractos, reducere abiectos, reuocare deuios, requirere perditos, deniq; bene habentes cuſtodire & conſeruare. hȩc autem abſq; dubio magis conuenit, ut faciat epiſcopus loci ordinarius, quam alius quiſquã pro eo. Et cum ius, id quod conuenientius eſt, exigere uideatur, reſtat ut epiſcopus reſidere teneatur. Sunt etiam, ut aiunt quidam, quæ non poſſunt niſi a proprio ordinario epiſcopo fieri de iure diuino, ut ſunt, quæ niſi ab epiſcopis exerceri non poſſunt, ſicut eſt, conſecrare, benedicere, ordinare, confirmare. Nec obſtat ſi quis dicat hȩc fieri poſſe per alium epiſcopum. Si enim, ut iam ſtatuerunt, quilibet tenetur hæc impendere ſuæ eccleſiȩ, profecto non poterit unus ſimul facere ſatis duabus aut pluribus, præſertim cum ſint aliqua munera quȩ dies certos requirant, ut ſunt quædam conſecrationes & ordinationes. Quod ſi quis reſpondeat, hȩc fieri poſſe per titulares epiſcopos, qui cura uacant in eccleſiis ſuis. Aiunt, quòd inueniri huiuſmodi titulares epiſcopos eſt per accidens, quod eſt contẽnendum ab arte.

Aliud argumentum, quòd reſidentia iuris diuini ſit, ſumitur ab abſurdo. Si enim non ſit iuris diuini, contraria conſuetudine, & ſimiliter cõtrario ſtatuto tolli poſſet, & paſſim circa illam a Pontifice diſpenſari, quȩ tanquam manifeſte abſurda relinquuntur.

Eſt & tertium argumentum adiectum huiuſmodi. Epiſcopus proculdubio de iure diuino petit mercedem operis ſui, dicente Domino, Dignus eſt operarius mercede ſua. Cur igitur (aiunt) non etiam iure diuino debeat gregi officium ſuum, uidelicet prȩdicationis & reſidentiæ?

Addo ego & fortius quarto loco. Fingamus nullum eſſe de hoc eccleſiaſticum ius, quo imperetur reſidentia, quæſo non reſidentia debebitur? Si negatur, manifeſtum uerum negari uidetur, & non niſi abſurde. Si autem conceditur; debetur ergo reſidentia, & non iure eccleſiaſtico, ergo iure diuino.

Addunt quinto, & ipſius rei naturam. Epiſcopus enim & eccleſia, quaſi ſponſus & ſponſa cenſentur, quare & indiuiduam uitæ cõſuetudinẽ poſcunt. Quo modo igitur Pontifex ſeparabit, eos,

quos

quos Deus ipse coniunxit? Si enim carnis uinculum non dissoluit etiam Papa, qua potestate uinculū spiritus dissoluet. Quod si quis acta Pontificum obiiciet, quos facile dispensare uidemus, & quidem cum Cardinalibus regulariter, & cū alijs etiam curialibus, qui uaria ibi exercent officia. Respōdent, inter abusus hæc com putari. Scio posse aliquem nos interpellare & dicere, quod licet prædicta argumenta uideantur probare debitam residentiā, non tamen probant illam deberi assiduam, tū quia multi sunt casus, in quibus absq; uiolatione pręcepti licet episcopo a loco suæ cathe dræ abesse, tū uero quia præceptum est affirmatiuum, cuius natura est, ut licet semper obliget, ut aiunt scholastici, non tamen ad semper. Occurit autem hic Caietanus, & ait, A pastore exiguntur illi actus supradicti in Ezechiele, quos aut cōtinuum, aut frequēs ualde tempus exigere constat, & ratione eorum tenetur episcopus continue in episcopatu residere, quoniam tāta temporis frequentia continuam exigit residentiam, tum ex frequentia exercitij actuum huiusmodi, tum ex præparatione ad istos actus. Nam licet omne tempus non occupetur in exercitatione actus pastoralis, nullum tamen tempus est exemptū, in quo non oporteat episcopum esse paratum ad exercitationem actus pastoralis. Et quia actus pascendi est principalis actus episcopi, iuxta uerbū Domini ad uniuersalis ecclesiæ episcopū, Pasce oues meas, & ex principali actu iudicium sumendū est, ideo per se loquendo, episcopus tenetur sub præcepto ad continuam residentiam in suo episcopatu, ita quod hoc præceptum affirmatiuū, ex natura rei præceptę, sicut habet locum determinatū, scilicet propriam dioecesim, ita habet tempus determinatum scilicet assidue Et sic licet præcepta affirmatiua formaliter obligent semper, sed nō ad semper, sed pro loco & tempore, quo oportet, & in hoc differant formaliter a negatiuo, hoc tamen pręceptū gratia materiæ, obligat ad semper, seu assidue, quod est quasi semper, & ad certum locū, hæc ille. Et hęc sunt quę pro ea parte adducūtur, quæ asserit, Residentiam & illam quidem assiduam iure diuino pręceptam esse.

E conuerso autē, q; huiusmodi residētia nō sit iuris diuini, probari satis uidetur, quia a nulla scriptura episcopis uidetur præcepta residētia. Et iura ipsa canonica hāc pcipiunt q̄ & cū vituperāt nō residētē epm manifeste, nō quasi contra ius diuinū, sed quasi trāsgrediētē canonū instituta, eū uituperāt ut patet in Decret. de cler. nō resid. c ii & per totū. Magnū profecto argumentum hoc,

cui, & aliud annectitur non minus considerandum, nempe hoc quodcunque suapte natura mutabilitatem ac uarietatem recipit gratiam materiæ, non est eorum, quæ sunt iuris diuini, sed recipit determinationem ab ecclesia, & ideo quantum ad hoc iuris canonici fit, & ecclesiastici exempli gratia, confessio peccatorum iuris diuini est, quòd autem tali tempore tali modo, id est aut proprio sacerdoti, aut habẽti iurisdictionem delegatam, & quæ huiusmodi sunt uarietatibus subiecta non iuris diuini, sed canonici iuris dicuntur. Quod autem modus residentiæ episcopi, id est, assiduitas eius, sit subiecta uarietati coactus est confiteri tandem Caietanus. Et ideo in illorum gregem transire oportet quæ sunt canonici, & ecclesiastici iuris, propter determinationem saltem, quam ius ipsum diuinum non facit, Sicut accidit in his quæ sunt iuris ciuilis determinantia ius naturale, ut possem hæc facile multis illustrare exẽplis, quæ breuitatis gr̃a prætereo.

Nunc igitur, quoniam in superioribus argumentis argutias, & captiones conspicimus, quantum datur, ad ueritatem, non ad obsequium hominum attendentes, rem breuiter per conclusiones aperiemus, ut inde pateat solutio obiectorum.

Prima conclusio sit, Episcopatum, hoc est, ordinem ipsum episcopatus, & consequenter officium, & curam, esse de iure diuino, hoc, est, inuentum, & institutum a Christo, qui dixit Petro. Pasce oues meas, & alios etiam Apostolos fecit episcopos quum dixit, Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Accipite spiritum sanctum, &c. & hinc sequi, ꝙ a quacunque inferiore potestate tolli quouis modo non potest, scilicet, ut episcopatus aut cura episcoporum non sit in ecclesia, hoc enim facere, nec Papa potest, a quo hic ordo uel officium non est, sed a Deo.

Secunda conclusio sit, Vnum esse tantũ in ecclesia sancta catholica episcopum, uerbo Christi institutum perpetuo. Licet enim Dominus omnes crearit episcopos Apostolos suos, nullus tamen eorum habuit successorem tãquàm uerbo ipsius Christi institutum, nisi solus Petrus Apostolus, quia quod dictũ fuit illi, Pasce oues meas, non minus dictum fuisse successoribus, cẽseri debet.

Tertia conclusio, quòd omnes reliqui particularium ecclesiarum episcopi præter Petrum, id est, Roma. Pontificem, quòd sint episcopi ab ipso Petro habent, non quòd sint quasi delegati ab eo, aut eius uicarij, sed tanquam ordinarij, creati tamẽ ab

illo. Nam in uniuersali cura Petro commissa, hoc simul contine batur, ut prouidere particularibus prouincijs, & ciuitatibus, de episcopis. Quamobrem eius est diuidere diœceses, & particularia ouilia, cum vnum tantum vniuersale sit ouile de iure diuino, cuius pastor est Petrus. Sicut ergo eius est diuidere, ita etiam est unire. Et sicut imponere curam, ita etiam a cura ab soluere, & mutare personas, & atbitrari de cura, & de residen tia, sicut uiderit ecclesiæ expedire. Hæc doctrina non est mea, sed puto omnem uere Christianum debere illam non solum cō cedere, sed etiam profiteri. Quapropter doctor sanctus B. Thom. noster in plerisque locis docet, quòd omnis potestas, præsertim spiritualis in mundo dependet ab hac potestate suprema Papæ, unde omnes possunt dicere, inquit ille, De pleni tudine eius omnes accepimus. Si igitur mea episcopalis potestas non est immediate a Deo, sed a summo Pont. Papa, ab ipsius igi tur prouidentia regulatur.

Quarta conclusio sit, qua respondetur quęsito, Quod episcopus non tenetur ad personalem residentiam assiduam in ecclesia sua de iure diuino, ita accipiendo ius diuinum sicut expositum est, huius autem conclusionis ratio ex supradictis deducitur. Cum enim nulla Dei uox faciat hunc uel illum epi scopum, ut dicamus immediate datam illi esse curam a Deo, & consequenter præceptam residentiam, sine qua præstari cura non potest, sed hoc totum habeat a Petro, & ab ecclesia, profecto ecclesiastici iuris, & non diuini episcopi residentia est. Quamuis ergo episcopatus absolute in se consideratus, & cura illi annexa in genere de iure diuino sit, applicatio tamen ipsius episcopatus, & cura, illi uel illi, quod istum, uel illum habeat gregem sibi commissum, & isto seu alio tempo re uel loco, non a Deo immediate est, sed a Petro, cuius cura (vt iam dixi) etiam hæc erat, uidelicet, dispertiendi curam istam, & propterea creandi episcopos. Vnde B. Paulus, ut significaret quomodo episcopi sumus, dixit. In quo uos posuit Spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, intelligens Spi ritu sancto fieri, quod per prælatos rite disponitur. Itaq; omnis obligatio particularis episcopi circa curam crediti sibi gregis ab eo descendit, a quo, & episcopatum accepit. Vnde & nor mam curandi ab eo debet accipere, quam tamē etsi Petri sit tradere, non aliter tamen debet tradere, q̄ queādmodū sibi tradita

fuit

fuit,hoc eſt,in edificationem,non in deſtructionem , id eſt,ut paſcant greges,non ſemetipſos.Quamobrem licet Petri ſit epiſcopos inſtituere,& ſimiliter deſtituere ac mutare,non tamen hoc ei licet pro uoluntate,ſed ex cauſa, & ut uiderit expedire eccleſiæ. Quod ſi aliter faciat,non dicam non tenere factum , ſed uere dicā de malefacto redditurum illum rationem in die domini . At ſi uero eſſet hæc de iure diuino(eo modo ſicut eſt declaratum,)nec talia poſſet facere Pontifex,nec ſi faceret,facta tenerent.Hoc dixerim ut ſane intelligat lector quantum interſit inter ea quæ iuris diuini ſunt,quę ſcilicet ab ore Dei ſtatuta & immutabilia ſunt, & inter alia quæ immediate ueniūt ab eccleſia.Nā ꝓpter hoc neceſſaria ē ſpeculatio hæc diſcernēdi,utrū hoc ſit iuris diuini,necne,& quatenus ut intelligamus quid ſubdatͣ Pontificiæ poteſtati.

Quinta concluſio ſit, quòd licet non teneatur epiſcopus particularis curare gregem immediate præcepto Dei,ac propterea iure diuino,tenetur tamen ut accepit epiſcopatum , iure diuino parere Petro, qui portionem ſui gregis ei diſpartiuit in curam, & uocauit eum in partem ſolicitudinis,quia iuris diuini eſt illum Petro obtemperare.Sicut enim tenetur homo confiteri & communicare in ſolennitate paſcali , etiam ſub pœna damnationis æternæ,nec tamen dicimus tali tempore,aut tali die hoc fieri debere diuini iuris eſſe,ſed eccleſiaſtici,ſimili modo dicimus deberi curam & reſidentiam ab epiſcopo, nō quia diuini ſit iuris in hoc loco,uel tali modo,illum curare gregem,ſed quia iuris eſt diuini eum obedire Pontifici,qui ſatis illud imperat(etiam ſi nihil aliud expreſſe diceret)cum eam curam impertit , Modus tamen curæ & reſidentię determinatur ab ipſo Pontifice in canonibus ſuis, quia quę huiuſmodi ſunt mutabilitati & uariationi ſubiecta ſunt, & ideo ad ius eccleſiaſticum ſpectant,ſicut accidit in ijs quæ ſunt iuris naturalis,& indeterminata.Determinatio enim eorū,& ipſamet,quatenus determinata ſunt:de iure ciuili eſſe dicuntur.

Reſtat ergo nunc,ut argumenta ex iam ſuppoſitis diluantur, quod facile eſt.Fatemur enim primum epiſcopatum eſſe,ſicut diximus,de iure diuino,& curam gregis annexam habere de iure diuino,Applicationē tamen mei epiſcopatus mihi cū omni ſua obligatione,non eſſe immediate a Deo,ſed ab homine. Vnde a quo mihi epātus traditur,ab eo & præceptum curæ & obligatio illius curæ deſcendit.& ideo ex ſui natura ſubditur ea cura & eius obligatio diſpoſitioni & diſpenſatiōi ſummi Pontificis,a quo accipitur.

tur. Et hic est locus ubi decipiũtur aduersarij. Putãt enim ex hoc quod epatus est de iure diuino, cõtinuo sequi de singulis episcopis, qui illi uel illi loco applicantur, quòd sint & ipsi a iure diuino, hoc est, a Deo immediate, ita ut nõ subiaceat episcopatus & cura illa particularis residentiæ potestati & arbitrio Papæ, sicut uere nõ subiaceret, si iure diuino, hoc est, a Deo esset cõmẽdata immediate. At nõ ita est. Sicut ex hoc ꝙ ieiuniũ est de iure diuino, non sequitur quòd ieiuniũ quadragesimæ sit de iure diuino, & consequẽter immutabile. Et silr ex hoc ꝙ esse respublicas & magistratus in eis sit de iure naturali, nõ sequitur, ergo esse hũc & illũ magistratũ signatũ, est de iure naturali, similis est deceptio ĩ hoc processu. Homo est dignissima creaturarũ, ergo hic homo, uel ille, est dignissima creaturarũ. Manifeste peccat argumentũ. Ita ergo est in proposito, Et si episcopatus & esse episcopos in ecclesia sit de iure diuino, nõ tamẽ me esse episcopũ est de iure diuino, cũ mihi talis episcopatus applicetur medio Petro, id est, episcopo Romano. Solus eps Rom. immediate a Deo applicatur personæ. Quamobrẽ non nisi soli Petro dictũ legimus a Domino Iesu Christo. Ego dabo tibi claues regni cœlorum. Reliqui enim a Petro ipso accipiũt, aut saltẽ sub Petro. Hoc aũt dico propter apostolos, qui immediate acceperũt a Christo, qui tanquã uere summus Pontifex in hoc facto Petrum præuenit. Cæteri uero omnes episcopi, qui post apostolos fuere, sicut potestatẽ & curã a Petro acceperunt, ita consequentissime ipsam curandi obligationem.

Ea uero quæ afferuntur, ꝙ non põt præstari pastoralis cura sine personali & assidua residentia, non habet euidentiã. Non enim euidens est, quod munera episcopalia, eps nõ posset exercere per alium cum nullum suapte natura, sit indelegabile, ut patet, immo sunt casus pleriq; in quibus nõ solũ licet episcopo abesse, uerum ꝗ̃eti necesse, si ꝓpterea magis consulatur ecclesię suæ, aut ecclesiæ catholicæ. Sunt & historiæ de uiris probis & sanctis, qui nonnunquam, & per magna temporum interualla, ex magnis causis abfuerunt ab suo episcopatu. Beatus Timotheus Apostoli discipulus, etsi esset Ephesinus episcopus, tamen ad iussum Pauli, alijs ecclesijs inseruiuit, unde iussus est ire Romam ab Epheso & Corintho, idque non semel, & e Roma Hierusalem, ut nonnullam intercapedinem, imo & frequentem pateretur cura episcopatus sui, quod de multis alijs per historias patere potest. Sunt & casus in quibus licet dubitare an teneantur & quatenus, & ideo huius-

huiusmodi quæ uariationem & dubitationem ex emergentibus casibus accipiunt, determinatio est sapientum, unde non possunt constanter dici esse iuris diuini. Nã quæ proprie iuris diuini sunt, certe sunt immutabilia. Sed illud est (ut dixi) quod deceptionem facit, quia credimus, quòd quia aliquid in genere consideratũ est; iuris diuini. V.g. curare oues, similiter etiã sit iuris diuini, si consideretur in particulari signato secundũ certos modos & coditiones, quod est falsum manifeste, ut multis locis declarat B. Tho. exempla sunt innumera, & iam dedimus, & addere etiam plura possemus. E.g. Præceptum obseruantiç Sabbati, de iure naturali est & diuino, quatenus de determinata die intelligitur, & deindeterminato modo obseruantiæ. Quatenus uero determinatio facta est ad certum diem. V.g. quòd septima die, ut obseruatio est Iudeorũ, aut octaua die, sicut obseruamus nos, non est ex lege naturæ, quãquã ab initio fuerit ex lege Dei, qui diẽ septimũ sanctificauit propter beneficium creationis in ea die perfectum, & postmodo lege Moseos confirmatum fuit. Non enim proprie Dei dicitur lex illa Moseos, tanquam quæ non immediate uenit a Deo, Decalogus autem a uoce Dei uenit. sed non hic locus disputare de singulis, declaro in loco proprio & tractatu nostro de legibus. Venio nunc ad resolutionem argumentorũ, quibus uidebatur ostendi necessitas residentiæ ex iure diuino.

Ad primum igitur, dico in duobus peccare argumẽtũ, alterum est quod christi uerba, Pasce oues meas, dicta sunt soli Petro & non alijs Apostolis, & multo minus cęteris episcopis, nec in Petri persona alij subintelliguntur episcopi, quã Petri successores, sicut Catholici cõtra Lutheranos euincunt, & ipse Caietanus. Quare miror in hoc loco id non animaduertisse uirũ illum, nec item uidisse, quod peccat argumentum in eo quod colligit Dominum, quia dixit Petro, Pasce oues meas, intellexisse, ut per se illas pasceret, & nullo modo per alios, quod erat impossibile, quum totius christiani gregis cura illi committeretur. At hoc erat quod obiectabat Lutherus aduersus Papæ potestatem. Lutherus enim ad probandũ quod non fuerũt dicta Petro illa uerba, Pasce oues meas, supponebat quòd dominus per ea uerba exigeret, ut per seipsum pasceret oues, & cum id esset impossibile, concludebat quod illa uerba non attinebant ad ipsum Petrum. Nos autem cum Catholicis dicimus ea uerba & ad solum Petrum attinuisse, atque adeo attinere, & tamen non sic arcte intelli-

gi,ut cogant eum oẽs oues paſcere per ſeipum.Nã paſtorũ prin ceps,oues,quas per alios paſcit,per ſeipſum paſcere uř, iuxta regulam. Qui per alium facit,per ſeipſum facere videtur. Eſt autẽ error magnus (quod tamen quidam afferebant) Papam eodem modo eligi,& fieri ab hominibus,ſicut cæteri epiſcopi;cum nuda ſit electio in Pontifice ſummo per homines,& non collatio potestatis papalis. At epiſcopi ſicut ab homine eliguntur, ita etiam ab homine poteſtatem,& iurisdictionem accipiunt;aut mediante homine,cui hoc datum eſt non ſolum habere poteſtatem, uerum etiam conferre. Et aliter circa hoc ſapere, eſt deſipere, eſt confundere,& doctrinam tradere ſchiſmaticam.

Ad ſecundum de diſcriptione boni epiſcopi quam facit dominus,non uideo quantum urgeat. Declarantur enim ibi conditiones boni paſtoris, quæ proprie erant ipſius domini. Nullum autem ibi præceptum epiſcopis de reſidentia. Explicantur autem quidam actus, ut eſt vocare oues nominatim, & ante eas ire, qui videntur deſiderare pręſentiam paſtoris. Sed quid hoc ut intelligatur præceptum factum epiſcopis a Deo immediate, & ad probandum, quòd illa munia per alium fieri nequeant? immo parabola illa re uera, non ad alium pertinere uidetur, quàm ad Christum. Vnde Caiet. ibi ſic ait. Secundum huius intimæ intelligẽtiæ ſenſum,quilibet (ſolo Ieſu excepto) deſcribitur hoc in loco mercenarius,ſeu non paſtor, quia nullius ſunt oues proprię niſi Christi &c. Cui autem dubium,quòd ad exemplum Chriſti formare ſe quiſq; debet quantum poteſt,in quouis ſtatu fuerit? Sed nũquid propterea cum deſcendimus ad particularia, elicere liceat continuo diuinum præceptum ab eo quod Chriſtus fecit? Non puto, Quia enim Chriſtus communicauit ſub utraq; ſpecie diſcipulos, non confeſtim natum eſt præceptum diuinum, ut omnes ſic facere teneantur; quanquam hæretici aliter dicant. Neque quia ieiunauit. 40. dies, idcirco erit præceptum diuinum quadrageſima, quanquam habeat rationem in iure diuino fundatam, quia Chriſtus ſic fecit. Sed ut pręceptum exculperetur,oportuit eccleſiam hoc præcipiendo determinare. Sicut quòd dies ſancta reſurrectionis octaua hebdomadæ celebris habeatur,non habet præceptum diuinum, tametſi a ſcripturis ducatur, quòd pręcipi debuerit. Puto autẽ decipi plures, qui ob id quòd in ſcripturis ſunt admonitiones ſanctorum,Prophetarum,& apoſtolorum,epiſcopis,ut curent gregem,ut agnoſcant uultum pecoris ſui,& huiuſmodi,

modi, continuo esse iuris diuini omnem modum curandi existimant, quod non concedimus, intelligendo ius diuinum sicut habet hypothesis nostra.

Mitto quòd quædam admonitiones sunt, non præcepta, aut si præcepta sunt, non sunt Dei pręcepta, sed sua ipsorum prophetarum & pastorum, ut quæ dicebat B. Petrus inferioribus se, pascite qui in uobis est, gregem. & Paulus, quando uetat prophetari, aut orari uelato capite, & non nulla alia quę apud ipsum tantum leguntur, vt de bigamia, & si qua huiusmodi. Vnde & Salomon qui in prouerbijs dixit, Agnosce uultum pecoris tui, non precipiens dixit, sed quod conueniebat memorauit.

Quod si uelimus iuris diuini esse cūcta, quę suggerūtur a Spiritum sancto uiris Dei, & per ipsos mandata sunt in ecclesia, iā ad ius diuinum redigetur omne ius ecclesiasticum & ciuile, quia per Deum ipsum reges regnant, & legū conditores iusta decernunt. At hoc pacto iura ipsa confundimus, & uane differimus, non explicantes, sed implicantes. Quare & in concilio Constantien. primo, quidam Gratus episcopus hoc intelligens dixit, Apostolorū statuta sunt, quæ dicunt, Nemo militans Deo ingerit se negotijs secularibus. Vide ut recte non est ausus dicere, diuinum illud esse preceptum, sed Apostolicum statutum.

Ad tertium, quod dicitur episcopos in locum Apostolorū successisse; Respondeo non debere hoc intelligi respectu Apostolici muneris, quod erat personale, in quo erat etiam electa industria personæ; immo ab ipso christo erant ad hoc ipsum aptati, ac formati. Vnde non licebat eis non euangelizare, & in eo munere nō habuerunt successores, sed in eo tantum, quod & ipsi erant episcopi. Quod officium officio Apostolatus erat annexū. Si enim apostolus, ergo episcopus, non econuerso.

Quartum argumentum facit pro nobis, Tum quia quod dicitur, Vade & predica populo Dei, non est uox Dei, sed ecclesiæ, unde conuincitur potius hanc obligationem non esse iuris diuini, sed ecclesiastici, & canonici; Tum uero, quia adhuc nō sic rigide est intelligenda, ut teneatur homo per seipsum predicare, quasi sit hoc Apostolicum munus, ut sic electa sit persona ad euangelizandum, ita ut non ualeat per alios facere, sicut apostoli, qui ipsi tenebantur predicare. Nam apostolatus ille, & apostolorum predicatio pro infidelibus erat, ad conuertendas gentes, & fundandam fidem. Episcopalis uero predicatio est pro iam fidelibus, ut

in fide

ut in fide maneant. Vnde dicitur, Vade ad prædicandum populo Dei,& non dixit,gentibus.Itaq; potest episcopus, immo debet cum nō sit ipse aptus ad prædicationem,aut si inueniat aptiores, sufficere illos ut hoc munus impleant loco sui. Alioquin peccasset sanctus Valerius Hypponensis episcopus,qui B. Aug. in hoc opus substituit loco sui,de quo tamen a prudētibus est commendatus. Et idem fecerunt innumeri & sancti Pastores, quos uelle damnatos esse ob hoc ipsum,temerarium est.

Ad quintum,quòd oportet episcopum esse doctorem,non negamus.Nec tamen,si non sit doctor,non erit episcopus,sed peccabit qui talem elegerit imperitum,& ipse quoq; qui munus acceptauerit,cum se minime esse idoneum poterat agnoscere.Nec tamen doctrina episcopi propter hoc tantum requiritur ut ipse assidue prædicet,sed ut possit etiā de alienis doctrinis iudicare, & saltem docere,siue præsens sermone,siue absens per epistolas(ut faciebat B. Paulus & alij Apostoli) exhortari,instruere, consolari.Quod & olim faciebant episcopi eruditi,ut D.Cyprianus,Ambrosius & alij. Quare doctrina non semper nec assidue exigebat præsentiam.Itaq; ratio ista non probat obligationē ad assiduam residentiam, quam etsi probaret (cum nos eam non negemus) non tamen probaret eam esse de iure diuino,nisi eo modo quo declarauimus. Quare eadem ratione soluuntur, quæ de alijs officijs episcopi allata sunt.Non enim negamus officia ab episcopo debita, nec item inficiamur quòd rationabiliter ipse illa per seipsum præstare potius debeat quàm per alium,si tamen fieri potest ut solus unus omnia præstet, quod certe minime fieri posset,præsertim ubi diœcesis fuerit nimis ampla. Doctrina enim & prędicatio requirit totum hominem. Messis autem cum sit multa, & officia erga illam multa, requirit etiam cooperatores multos. Quare non conuenit dicere, quòd episcopus illa omnia, & singula per seipsum exercere sit astrictus. Vnde legitur Decretū concilij generalis sub Innocentio,ubi mādatur episcopis, ut idoneos uiros habeant, quibus committant, & prædicationes, & uisitationes, & audientiam confessionum, & alia quæcunque pertinēt ad salutem animarū. Quinimmo correctiones,& uisitationes,& emendationes in ecclesijs,& in clero, Item examinationes promouendorum siue ad sacros ordines, siue ad beneficia, per archidiaconos ex officio fieri consueuerunt,sicut docent sacri Canones. Quare falsum apparet, quod proponunt noui qui-

dam

dam tanquam axioma, dicentes absolute, episcopi officia esse per sonalia, nec posse per alios administrari.

Illud omnino onerosum est, quod etiam dicunt esse munera propria episcopi, quæ proprium loci requirant episcopum, & ab alijs episcopis exerceri iure non possunt. Frustra ergo introducti sunt Coadiutores. Quid enim si proprius episcopus infirmetur? quid si necessario fuerit peregrnus, aut exul, aut ad curiam uocatus ex magna causa, aut ad concilium? His casibus, si cura illa, ut uolunt, tam assidua de iure diuino exigitur, & per alios præstari non potest, quid hic fiet? an hæc sunt per accidens ut dimittantur ab arte? Et cur non liceat uti opera ac ministerio titularium episcoporum? Aiunt horum creatio est per accidens. Sed quæ consequentia, ut non liceat eorum opera uti ac ministerio, si bonum fuerit, & necessariũ? Imo ipsimet qui hoc negant, ui ueritatis tandem in necessitate concedunt. Sunt tamen qui uelint huiusmodi episcopos titulares non esse, quoniã omnes mali sunt. Sed cur tales creantur qui sunt mali? an quia titulares, idcirco boni esse non possunt? Verum huius rei cognitio, uidelicet, utrum sit bonum destituere hominis episcopos, Papæ est, non nostra. Mihi bona ratione instituti esse uidentur. Si quid uero circa hoc peccatur, ut eligantur mali, hominum uitio dandum est, non ipsi rei. Nam & sæpenumero etiam non titulares, mali eliguntur, & creantur, & hoc sane est per accidẽs & contra ueram normam.

Ad aliud uero principale argumentum, falsum est quod sumitur, uidelicet, quòd si hoc non sit diuini iuris, uidelicet, præceptum residentiæ personalis, posset contraria consuetudine tolli quoniam talis consuetudo esset abusus. Sicut enim omnis lex debet esse iusta, & rationabilis, ut sit lex, ita & consuetudo non ualet, neq; etiam est dicenda consuetudo, sed abusus, cui ratio manifeste repugnaret. Non autem conuenit rationi, ut prælati a Spiritu sancto positi in cura ouium Christi, quàmquàm mediante Petro, ab illa cura sine ratione se expediant, & sine particulari, & iusta causa, cuius tamen iudicium summi Pastoris est. Nec ualde mirum quod hoc argumento motus fuerit Caietanus, putans quod ius positiuum facile tolli posset consuetudine, ignorabat enim iura, & id quod Gregorius nonus cap. fi. recte docuit his uerbis, Licet longæuæ consuetudinis non sit leuis autoritas, non tamen est usque adeo ualitura, ut uel iuri positiuo debeat

præiudicium generare, nisi fuerint rationabilis, & legitime præscripta. Hæc ille, cui magis hac parte credendũ est, q̃ Caietano.

Fateor tamen quòd pœnæ quæ lege ecclesiastica statuuntur non residentibus, cum ratio huiusmodi statutorum sit subiecta uariationi, & ideo merito pati posset mutationem, possint longa desuetudine tolli. At absolute quòd non resideant episcopi, nec expressa lege fieri potest a Papa, quoniam manifestã iniquitatem contineret, & contra ipsius rei naturam. Contra ius diuinum ergo faceret Papa, relaxando residentiam, cum (sicut diximus) sit diuini iuris ut ipse eam præcipiat, quam tamen eoipso præcipit, quando curam imponit, quatenus tamẽ ad curam exigitur, quum iure diuino ipse teneatur pascere omnes oues, aut per se aut per alios. Nam quia omnes non potest per se, saltem per alios hoc agere debet, quod profecto non faceret, si omnino residentiam tolleret. Ipse ergo summus Pont. habet a iure diuino, ut præcipiat residentiam, & eius modum, ijs quos elegit in pastores. Præceptum uero ipsius residentiæ ab ipso Pont. habet episcopus, ut patet, non a iure diuino. Nec potest circa hoc passim, & absque causa dispensare Papa sine animæ suæ periculo, quia potestas illi data est in edificationem, non in destructionem, id est, ut oues curentur, non ut negligantur. Tamen ad illum pertinet determinare ac moderari residentiam, & pœnas Pro arbitrio ponere.

Ad illud uero tertio loco adiectum, quo sic arguit quidam. Si de iure diuino est, quod debeatur merces episcopo, etiam iuris diuini esse debet, quòd teneatur impendere officium suum, & propterea etiam residentiam. Quod argumentum si probat, etiam probat quod de iure diuino debet religiosus prædicationem suam populo, quoniam, & illi (ut nemini dubium est) si prædicauerit, de iure diuino debetur stipendium uitæ. Et similiter si iuris diuini est quòd detur merces mercenario, etiam iuris diuini erit ipsum mercenarij opus, & sic omnes artes mechanicæ erunt iuris diuini. Hoc argumentum erat eius magistri qui nuper scripsit de residentia necessaria episcoporum.

Ad illud uero quod quarto loco dictum est, uidelicet, Si tolleretur præcepta residentia, nonne adhuc deberetur? Quod si deberetur, quo ergo iure nisi diuino? Respondeo, Si absolute tolleretur præcepta a canonibus, proculdubio non deberetur de iure diuino. Quod si dicas, ergo posset episcopus non

residere

residere impune,fateor. At inquies, Nonne hoc est absurdū, & quam maxime? Verū quid obstat uno dato absurdo sequi aliud? Dices, Ante canones ergo licebat episcopum non residere? An non dixi quòd semper mandata fuit ab ecclesia residentia, quatenus tamen exigeret ipsa demandata cura? Quod si etiam expressum non fuisset, tamen in episcopi creatione subintelligeretur. Confestim enim ut creatur episcopus, ipso facto iniungitur illi onus curandi gregem,Sed hoc illi ab ecclesia, sicut Petro a Christo,& ideo quatenus poscit cura,eatenus debetur residentia. Et quia in hoc plura occurrunt, de quibus merito dubitatur circa residentiam episcopi,ideo determinanda est ab ipsa ecclesia. Et per hoc non solum satis fit argumento, sed ueritas etiam magis patet.

Quod uero postremo de sponsa, & sponso affertur, facit pro nobis,quoniā manifeste uidemus quòd Papa amouet ac disiungit episcopum a sua ecclesia, & in aliam transfert,quam illi coniungit.Et sunt Canones,qui hanc potestatem probant, nec ullus Catholicorum negat,quod certe facere Papa non potuisset,si illa cōiunctio fuisset a Deo immediate,stante Christi uerbo, Quos Deus coniunxit homo non separet. Si enim carnalia matrimonia separare non potest,quantum minus spiritualia? Verbum igitur Domini hoc,uidelicet,Quos Deus coniunxit homo non separet,in ipso Pontifice,& uniuersali ecclesia, cui uere a Deo ipso summo immediate coniungitur,uerum esse apparet,quoniā hoc spirituale uinculum solui non potest, nisi ab ipso Deo. Non est enim potestas in terra,quæ ualeat destituere nec Papatum, nec ullum Papam,qui uere sit Papa, id est,saltem fidelis. A Papa uero destitui quidem episcopatus,id est,officium & ordo nequaquam potest,episcopus uero ille uel ille,potest,ut auferat summus Pontifex ab eo curam,& si quidem adsit causa iure factum erit,sin autem non adsit causa,nihilominus cura ab eo sublata erit. Pontifex autem de iniuria rationem reddet Deo.Nec propterea manet ecclesia illa uiduata sponso suo,quoniam(ut eleganter docet B. Tho. in Opusc. xix. cap. iiij. circa finem)Christus proprie loquendo est sponsus ecclesiæ. Alij autem qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi,exterius cooperantes generationi filiorum quam facit Christus,qui & dicuntur spōsi in quantum cooperātur uice sponsi qui est Christus. Et ideo Papa qui obtinet uicem in tota ecclesia,uniuersalis ecclesiæ sponsus dicitur. Episcopus autē, suæ

diœcesis,Presbiter autem,suæ parochiæ. Vnde & diœcesis sponsus Papa est,& parochiæ episcopus &c.Vide igitur ordinem bone lector,nec turberis,quum audis residentiam episcopi particularem non esse præceptam iure diuino,& cum hoc tamen,absque causa Papam dispensare nõ posse,quoniam de iure diuino habet papa ut curet oues,contra quam curam facit,si circa residẽtiam dispenset ad libitum.Omnis enim dispensatio debet esse cum ratione quam probet Deus.Ratio autem dictat,ut præfecti ouibus oues curent,& ideo necessarium est Pontificem id curare, quod in se est,& quod sibi mandauit Deus de uniuersali ecclesia,& alijs demandare,& ita modum curæ dispensare,ut gregis detrimẽtum per incuriam non contingat.

Vtrum autem rationabiliter cum Cardinalibus, & alijs curialibus, puta, cum auditoribus Rotę, siue Cameræ, aut clericis Cameræ, aut Vicarijs suis, aut gubernatoribus urbis, aut custodibus arcis sancti Angeli, & alijs huiusmodi, possit dispensari,aut cum ratione ,siue tacite,siue expresse dispenset,sicut uidemus passim fieri,alia quæstio est,circa quam(si tractabitur in synodo) libere tunc atque ingenue dicã quod sentio,Nihil enim prohibet incuria multos esse abusus,qui propter longam consuetudinem,& nullam animãduersionem,ac magnam huius seculi cæcitatem,non solum fiunt & permittuntur,uerum etiam(quod est longe calamitosius) iam abusus non reputantur. Videat ergo tandem Deus,& apponat oculum misericordiæ suę,ut & nos recipiamus uisum,& nemo ausit dicere bonum malum,& malum bonum,nec ullo præstigio obijcere nobis tenebras pro luce.

Illud uero quòd exigunt assiduam residentiam personalem episcopi in sua diœcesi,non habet uanam rationem,quoniam si uelit officium suum facere bonus pastor, uix minimũ supererit ei tempus,quo uacare possit a cura. Et nihilominus hoc assiduum, non cum rigore,sed iuxta humanam æquitatẽ ac rationem accipiendum est,& illo utendum prouerbio.Ne quid nimis, Et Omnibus in rebus modus, Hic non omittam quòd Caietani doctrinã hoc in loco non capio. Ipse enim, ut superius deduximus, facit hoc præceptum affirmatiuum gratia materiæ obligare ad semper, ac deinde uult gratia materię hoc præceptum quod obligat ad semper,posse aliquando licite non seruari,& ita sine uiolatione præcepti,quod obligat ad semper gratia materiæ, posse episcopum non semper residere gratia materiæ. Hæc enim sunt eius uerba.

Et

Et quoniã obligatio ista ad semper ex parte materiæ est, & materia ipsa mutabilitati subiecta est, idcirco contingit absq; uiolatione præcepti episcopum non semper residere, &c. hæc ille. & post hæc soluendo argumenta dixit. Ad primam obiectionẽ (quæ erat quod in pluribus casibus licitum est non residere) dicitur quòd quia præceptum hoc est affirmatiuum, nihil obstat, ꝙ in multis casibus contingit licite non residere. Qui potest, intelligat. Mihi enim ista non aliud dicere uidentur, nisi quod hoc præceptum residentiæ, etsi sit affirmatiuum, cuius natura est ut non obliget ad semper, ratione tamen materiæ habet, ut naturam affirmatiui non seruet, ac per hoc obliget ad semper. Et rursum licet ratione materię obliget ad semper, tamen cõtingit in multis casibus licitę non seruari, tum ratione materiæ, tum quia præceptum est affirmatiuum, cuius natura est non obligare ad semper.

Ecce igitur Reuerẽdissimi Caietani doctrina de præcepto residentiæ. Primum ꝙ obligat ad semper, quàmuis sit præceptum affirmatiuum, & hoc ratione materię. Rursum hoc præceptum quod ratione materiæ, etiam sit præceptum affirmatiuum, obligat ad semper, potest tamen sine sui uiolatione non semper seruari, & hoc ratione materię, & quia præceptum est affirmatiuũ, ut huc tandem sit ueniendum, Obligat ad semper, & nõ obligat ad semper. Et item, ratione materiæ obligat ad semper, & ratione materię non obligat ad semper. Et item, licet sit affirmatiuũ obligat ad semper, & quia est affirmatiuum, non obligat ad semper. Profecto hæc doctrina ex eius uerbis elicitur. Et ideo non immerito puto me dixisse. Qui potest intelligat, quàmquàm nõ dubito facile inueniri posse, qui etiam sic dicentem uelint defendere, nec defore illis subtilissimas aliquas glosas, quas tamen, si bene perpenderent, nec ipsi probarent. Defendant ergo qui uelint, non censebo operæpretium contendere, cum non de re, sed de hominis errore agatur, quem in plerisq; aberrasse, nõ est qui (saluo pudore) ualeat inficiari. Mihi autẽ illud semper probatissimum fuit, quod ait Scriptura, Doctrina prudentũ facilis.

FINIS.


FRANCISCI TORRENSIS,

DE RESIDENTIA PASTORVM IVRE DIVINO SCRIPTO SANCITA,

ADVERSVS AMBROSIVM CATHARINVM.



LIBER VNVS.



T NON fuerunt electi olim inter septuaginta, edpotius relicti in multitudine, ac numero vulgi Eldad, & Modab, tamen donati sunt munere prophetiæ, aduersus quos, cum populus murmuraret, sanctus Moises, vt murmurationem reprimeret, ac contineret. Quis (inquit) tribuat, vt omnis populus prophetet? Sic ego neq. fui inter Tridentinos magistros cum a nonnullis eorum de Residentia Episcoporum, quo iure sancita esset, libris etiam de eo in publicum editis, ageretur, neq. si interfuissem, is eram, qui rogari possem, aut deberē sententiam, Quis tamen prohibeat, tum cæteris alijs, tum mihi, quicunque sim, & vbicunque agam, ne dicam sententiam præsertim ex literis sanctis per gratiam prophetię depromptam? Nemo itaque æmulus dicat. Domine mi Moises, prohibe eos, ne audiat, Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet? & det eis Dominus spiritum suum? Los uero, contra quos fortasse scribere videbor, vt æquo animo ferāt, meminisse velim, quod eosdem audio dicere solitos, cum contra aliquē scribunt,

bunt nō ſe aduerſus auctores ſcribere, ſed aduerſus eorum falſas opiniones. Tanto autem æquius ferre debebunt, quanto maior eſt,& plus nocere poteſt eorum opinio præiudicata,ſi eam vſurpare, eandemq; ad defendendum errorem abuti alijs contigerit, item quanto plura,& ſępius,ijdem recte aliàs ſcripſerunt. Quis enim omnia, & ſemper bene? cum non male cum eo agatur, qui pauca aliquando non male. Deinde,quis iſtorum non cogitat euenire ſibi poſſe,quod ſuis magiſtris eueniret? aut ſi cogitat,cur pœniteat retractare, aut doleat contra dicentes audire? Quam multa ſunt, quę magis nos pudet Auguſtino tribuere, quam eum puduit de ſe agnoſcere, ac confiteri? qui cum eſſet ueritatis defendendæ ſitientiſſimus, neq. ignoraret, quod non multo poſt Leo Magnus pontifex ſanctiſs. dixit, tunc optime ueritatē defendi, cum opinio falſa a ſuis auctoribus damnaretur, librum retractationum,ſapientiæ,pietatis,modeſtiæ,doctrinæ,iudicij,& ſtudij, ac ſtudiorum progreſſus refertum compoſuit. Præterea meminiſſe debent, ut præceptum Domini ſit, non eſſe communicandum,ſicut Apoſtolus ait, operibus infructuoſis tenebrarum, ita non eſſe communicandum erroribus,& falſis doctrinis,magis autem redarguendum. Omnia nanque quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur. Vt enim debemus omnes honeſtate uitę aliena uitia,tanquam lumine tenebras coarguere, ac prodere, ſic luce ueritatis errorum tenebras patefacere,vt, ſicut ſcriptū eſt,ambulemus omnes in omni bonitate,iuſtitia, & veritate, neq. ponamus offendiculum fratri,vel ſcandalum,quale eſt,quod quidā dicunt, epiſcopos non fieri a Deo,ſed a pontifice, & quod ijdem falſa ratione inde concludunt, reſidentiam paſtorum non eſſe iuris diuini. Quis enim de puſillis iſtis,qui in Dominum credunt, cum audierit,epiſcopos non fieri a Deo, non minore honore habendos eſſe putabit,quam cum eos recte credebat a Deo fieri? Aut quis paſtor animarum,cum audierit iniqua paſtoris abſentia,non ſtatim legem Dei uiolari,ſed hominis,non iam facilius negliget adeſſe? Citius enim in mentem veniet,ſi peccauerit vir in virū, placari ei poteſt Dominus. Si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Quam illud,qui vos ſpernit,me ſpernit,quanto citius,& libentius,quod laxare videtur,quam quod aſtringit, arripimus,& tenemus. Recitemus ergo primum, quæ iſti ad hæc duo defendenda tanto alioqui errore, & ſcandalo plena falſo,opponunt pluribus alijs erroribus implicata,ut uelut in tabella propoſita ſit

sita sit tota suscepti operis ad redarguendum materia. Quemadmodum (inquiunt) episcopus iure diuino residere teneatur, cum nullus a Deo immediate fiat episcopus, sed a pontifice? Ipsius.n. est diuidere dioeceses, & particularia ouilia, & imponere curam. A quo autem episcopalis potestas traditur, inde nascitur residendi lex, vt in pontifice, cui soli immediate a Deo episcopalis potestas applicatur, & in quo nuda est electio per homines, non collatio potestatis papalis. Episcopi uero ut ab homine eliguntur, ita ab eo potestatem, & iurisdictionem accipiunt. Soli enim Petro dictum est, Pasce oues meas. Et illud, tibi dabo claues regni coelorum. Caeteris uero episcopis applicatur, & semper applicata fuit immediate a pontifice, exceptis apostolis, quos Christus solus, Petrum praeueniens episcopos fecit, cum dixit, sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum. Et rursus. Quomodo (aiunt) iure diuino sancita est residentia, si neq. in scripturis sanctis expressa est, neque ex eis conclusa necessario? Deinde Timotheus Pauli discipulus, idemq; episcopus Ephesi an nō abfuit diu, Romam profectus non semel, & inde Hierusalem Apostoli iussu? Illa enim parabola euangelica boni pastoris nunquam discedentis ab ouibus, sed praeeuntis, & eas nominatim vocātis, ad Iesum magnum pastorem, & episcopum animarum nostrarū pertinet, nostris vero tantum est admonitio, sicuti sancti Prophetae, & Apostoli, pastores monent, vt curent gregem, & agnoscant vultum pecoris sui. Quod quidem Salomon dixit non praecipiēs, sed commemorans. Quale illud etiam est vel monitum, vel praeceptum, non quidem Dei, sed Petri, Pascite, qui in vobis est, gregē. & quod vetat Paulus, mulieres in ecclesia prophetare, non velato capite. & illud, vnius vxoris virum esse episcopum. Quale illud item est, non quidem diuinum praeceptum, sed apostolicum statutum, Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus. Et huiusmodi alia. Praeterea quod dicitur in ordinatione episcopi, Vade, & praedica populo tibi commisso, cum non sit vox Dei, sed ecclesiae, an non satis demonstrat, non teneri episcopum iure diuino residere, sed ecclesiastico? Quae quidem uox ecclesiae, nō sic (inquiunt) anguste accipienda est, vt teneatur episcopus huiusmodi iure ecclesiae per seipsum praedicare, ita ut non possit id per alios praestare, ut apostoli praestare non poterant; qui quidem ipsi praedicare tenebantur, quia scilicet apostolorum praedicatio pro infidelibus erat ad conuertendas gentes, & fundandam fidem,

Episcopi uero prædicatio pro iam fidelibus, ut in fide maneant. Vnde dicitur, Vade ad prædicandum populo Dei, & non dixit gentibus. Iam sanctus Valerius Hipponensis episcopus Augustinum substituit suo loco, quo nomine commendatus est. Quod ipsum plerique alij sancti laudabiliter fecerunt, & concilium generale sub Innocentio pontifice decretum fecit, quo episcopis iussit, ut idoneis viris committerent visitationes, prædicationes, confessiones, & alia, quęcunque pertinent ad salutẽ animarum. Ad hæc, nonne potest pontifex remouere hinc episcopum, & transferre alio, quod quotidie fieri videmus, aut ẽt episcopatu priuare? At hoc non posset, si coniugium spirituale episcopi, & ecclesiæ huius, aut illius a Deo esset immediate factum, ut quidem est pontificis, & ecclesiæ coniugium. Deinde quę iuris diuini sunt, certa sunt, & non mutabilia, Tale vero non est pascere, quoties sigillatim consideratur, sicuti neque sanctificare diem Dominicũ, neque ieiunare, quadragesima, quæ omnia, & similia iuris (inquiunt) ecclesiastici sunt. Neq; enim quia aliquid generatim diuini iuris est, continuo erit singulariter, & sigillatim. Hæ sunt istorum oppositiones, quas dicere licet, sicut Apostolus ait appositiones falsi nominis scientiæ, a scientia sanctarum scripturarum, & earum virtute alienę, ut paulo post intelligetur. Quibus ego nunc eodem ordine ueritatem rursus opponam, ut ueritatis nobis reuelatæ, creditæ, ac traditæ depositum fideliter custodiamus, non attendentes fabulis, & opinionibus hominum. Ergo ut propositum aggrediamur, quia isti libenter concedunt, a quo fiant episcopi, ab eo ius residendi proficisci, quod libenter ab eis accipimus, doceamus a Deo fieri proprie, ac principaliter, & immediate quod ijdem negant. Aiunt enim pontificem immediate fieri a Deo, scilicet tanquam ab auctore, & Domino, episcopos uero immediate a pontifice in illo quidem nudam esse electionem per homines sine collatione potestatis papalis, hos vero ut eligi ab homine, ita ab eo potestatem, ac iurisdictionem accipere. Quæ omnia absurda sunt & secum discrepantia. Quid enim monstri est, nuda illa pontificis electio per homines sine collatione potestatis papalis? Etenim si eligitur canonicè, ad aliquam potestatem spiritualem eligatur, necesse est, imo ipsa electio, quam pontifex per homines consequitur, quid aliud est, nisi gratia, siue charisma summæ potestatis spiritualis? Cum per Moisen applicati sunt Aaron, & fi-

lij eius, vt (ſicut ſcriptum eſt) ſacerdotio fungerētur Domino; an non per eundem poteſtatem ſacerdotalem acceperunt a Domino? Præterea electio ſiue in pontifice, ſiue in epiſcopis cæteris, quid eſt, niſi ſeparatio quædam, & applicatio ad gubernationem ſpiritualem? Huiuſmodi vero applicatio quid, niſi gratia, quam ſolus Dominus diuidit? Homo autem gratiæ diuidendę miniſter eſt tantum, & diſpenſator, qui de poteſtate propria non promiſit, ſed quod alterius eſt, miniſtrat, neq; quod miniſtratur, ac diſpenſatur fit ab eo, qui miniſter eſt tantum, & diſpenſator, ſed ab eo qui auctor eſt, & cauſa prima atq; immediata. Hinc Paulus Corinthijs ſcribens, Quoſdam (inquit) poſuit in eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, &c. Quid quæſo eſt, poſuiſſe quoſdam in eccleſia apoſtolos, niſi quoſdam ad apoſtolatum applicaſſe? Quid ſimiliter poſuiſſe in eccleſia gubernationes, niſi quoſdam item ad gubernationes applicaſſe, alios ad alias? Eſſe autem gubernationes ſpirituales inter chariſmata, idem Apoſtolus docuit, Subiunxit enim, æmulamini autem chariſmata meliora. Quid ergo eſt, quód iſti dicunt applicationem quidem pontificatus a Deo fieri immediate, applicationem uero epiſcopatus immediate ab homine? Ferri quidem poterat ſimplicitas ſermonis, & huius verbi immediate adiaphoria, niſi de dogmate ageretur, ſicuti Leontius Cyprius ſcribēs aduerſus Acephalos, quādo inquit, ſimpliciter, & libere vtimur ſermone, ac nominibus, nihil prohibet ἀδιαφόρως, id eſt, indifferenter eis uti, ſolere enim ſcripturam, & patres accommodare nomina, quibus non conueniant eorum diffinitiones. ut Paulus partes hominis appellat homines interiorem, & exteriorem, quibus non conuenit diffinitio hominis, & patres vnamquāquam naturam appellabant hypoſtaſim, ita ut homo diceretur compoſitus ex duabus hypoſtaſibus quibus tamen non conuenirent diffinitio hypoſtaſeos, at quando inquit, dogma tractatur, & de eo quæritur, tunc prætermiſſis homonymis, cogimur proprias ſignificationes ex ipſis diffinitionibus ſumere, ut rerum ἀκρίβεια, id eſt perfecta, & limata ratio nominum indifferentia non lædatur, ſic nunc quia docent iſti, & tanquam dogma tradunt, epiſcopos a pontifice fieri immediate, a deo autem mediate, ac proinde ius totum reſidendi a pontifice naſci, quod omnino volunt concludere, idcirco non

eſt hic

est hic utenda homonyme,neq; indifferenter hæc uox immediate, sed uno modo, & proprie.proprie autē immediatū est, quod non habet causam priorem,ut philosophi tradunt, quare hac ratiōe immediate fiunt a Deo episcopi. fiūt quoq; primum a Deo, tum hac ratione, quia immediate fiunt ab eo,sunt autem immediata prima,tum quia cum primū multipliciter dicatur,ut ijdem quoque philosophi tradunt, primum secundum potentiam dicitur,quod ualentius est,vt causa, qua secundum uoluntatem mouente,alterum mouetur,& qua rursus non mouente, non mouetur,qua item ratione primum a Deo fiunt episcopi, fiunt igitur immediate & primum ab eo.Sed age ostendamus adhuc planius a Deo fieri episcopos,& quomodo.Quod ut melius intelligatur, repetam quod magnus Athanasius tradit scribens aduersus hæreticos illos,qui aiebant, datum esse secundum gratiam spiritui sancto sanctificare,ex quo(inquit)sequitur,ut officio sacerdotis, atque ministri spiritus sanctus fungatur.Neque enim potest Dominus pariter,ac minister esse.Quod si minister sit,frustra iā baptizamur in nomine ministri.Etenim minister,ac sacerdos nō sanctificat aquam,sed ministerium, quod deest, secundum gratiam acceptam implet.Quod si idem faceret spiritus,quod facit minister,ac sacerdos,datumque esset spiritui sancto sanctificare,sicuti datum est ministro,ad quid Pater sanctificaret? Rex enim imperans aliquid ministro,scilicet ualenti,non iam ipse illud facit, sed relinquit ministro,cui iussit faciendum.Hactenus ille, Ex quo loco intelligi potest,quod ait Apostolus, Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo,quod neminem uestrum baptizaui,ne quis dicat,id est, ne quis habeat occasionem dicendi, quod in nomine meo baptizati estis,id est,uirtute mea,tanquam ego essem auctor & Dominus gratiæ huius,ac non potius minister,ac dispensator huius mysterij,ministrans scilicet aquā, & uerba,ex quibus sacramentum baptismi constat.Et rursus in eadem epistola,cum enim quis dicat,ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo,nonne carnales estis?Quid igitur est Appollo?Quid uero Paulus?Nonne ministri eius,cui credidistis?Itaque neq; qui plantat,neq; qui rigat est aliquid.Nihil(inquam)est minister, prçterquam minister ministrans(sicut ait Petrus) tanquam ex uirtute. quam Deus suppeditat.Quod perinde mihi esse uidetur, ac si diceret,qui minister est,semper meminisse debet,ministrum se esse, tantum ministerio suo uirtutem Dei administrantem,ita ut quic

quid perficiatur spiritualiter, per uirtutem Dei perficiatur, cui ipse minister solum subseruit, & ministrat. Ergo ut sacerdos non dicitur potestate sua propria baptizare, quia minister tantum est, ministerium acceptum secundum gratiam datam implens, sed Deus ipse, qui non per gratiam, tãquam minister, sed per substantię ac naturę suę uim & energiam, tanquam Dominus, & auctor baptizat, & regenerat, sic pontifex, quia etiam minister est, & secundum gratiam acceptam ministerium uniuersalis pastoris implet, non dicitur potestate sua propria, & principali siue prima, & immediata, sed accepta a Deo facere episcopos, id est, neque eligere, neque consecrare, neque benedicere, neque plus agit, quantum ad efficientiam gratiæ, & doni spiritualis, cum episcopum creat, quam cum baptizat, utrobique enim solum subseruit uirtuti diuinæ ministerio suo, quo illam administrat, atq; dispensat, ut iam si ideo episcopum pontifex mutare, aut etiam priuare potest, quia ipse illum fecerit episcopum, cum tantundem agat ipse, aut sacerdos, cum baptizat, aut consecrat, sequitur posse similiter baptismum, aut consecrationem tollere. Idcirco Paulus presbyteros, ac pastores Ephesios ad studium, ac diligentiam officij cõmendandã, necessariũ esse duxit, admonere illos, a quo esset illis cura attendẽdi gregis imposita, ne si suspicarentur ab homine impositam, & iniunctam, (ut quidam nunc sentiunt) remissius agerent. Attendite (inquit) gregi, in quo uos posuit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei. Quod si minister ponit potestate sua, immediata & prima pastores, concludam, ut Athanasius in baptismo concludit, ergo non posuit spiritus sanctus. Frustra. n. ponat Dominus, quod iam ministro iusserit ponere. Rex enim imperans aliquid ministro, non iam ipse illud facit, sed ministro, cui iussit, relinquit faciendum. Deus ergo tanquam auctor, & Dominus eligit, benedicit, & consecrat episcopum in opus ministerij, id est, a Deo, tanquam ab auctore, & Domino accipit episcopus ptãtẽ, siue ministeriũ, siue gratiã siue charisma, primũ quidem gubernationis, quæ dicitur potestas iurisdictionis, Deinde uero similiter accipit ab eodem potestatem, siue ministerium, siue gratiam, siue charisma ordinandi presbyteros, & confirmandi, quæ dicitur potestas sacramentalis, ut uel ex ipsis formulis in pontificali digestis perspici potest. Sed uideamus quomodo hęc fiant, id est, quomodo Deus eligat, & quomodo consecret episcopos, & cur sic, id est, per ministerium hominum. Late

ret,

ret,enim hoc tum eum, qui eligitur, & consecratur, tum ecclesiam, quę electum, & consecratum recipit, nisi aliquod ministerium hominum corporale, id est sub sensum cadens interueniret, sicuti Hier. in Comm. Esaiæ, Ordinatio (inquit) non tantum precibus, sed manus impositione perficitur, ne sicut in quibusdam risimus, uocis tacita imprecatio clericos ordinet nesciētes. Ergo potestatem gubernationis, quæ est in desponsatione canonica episcopi, & ecclesię, fecit ipse consensus eligentis, & electi, quem bullæ (ut uocant) expeditæ testātur. Sed quomodo hoc fieri potest, ut consensus hominis charisma gubernationis, siue iurisdictionis spiritualis, quod diuinum est, efficiat? Dicam, quod euangelium de conceptu uirginali, & Leo magnus de aqua regenerante, superuenit spiritus sanctus, & uirtus altissimi obumbrat, id est, non ex natura sua hoc facit consensus, sed uirtute Dei superueniente, sicuti consensus uiri, & mulieris, non ex natura sua, sed per uirtutem Dei efficit matrimonium, id est coniunctionem legitimam, ut iam neuter coniugū peccet in corpus suum, quamuis unum corpus efficiatur cum altero propter communionem procreationis, quæ ex utroque perficienda est, sed potius fit torus immaculatus, & honorabile coniugium. Non itaque cum episcopus eligitur in nomine, id est, in uirtute ministri eligitur, sed Dei. Qui enim ministrat, tanquam ex uirtute, quam Deus dat, id est, uirtuti Dei superuenienti subseruit tanquam minister. Similiter dicatur in consecratione. Illa enim, quæ adhibentur in canonica, atque ecclesiastica consecratione, tum res, tum uerba, ut unctio cum formula ungendi, baculi, annuli, libri euangeliorum cum certis uerborum formulis traditio, mitræ item impositio, & chirothecarum inductio, Hæc (inquam) omnia, superueniente spiritu sancto, id est, non uirtute propria, sed uirtute Dei mysteria fiunt consecrationem perficientia, quorum mysteriorum ministri tantum sunt ij, qui consecrant, quorum est princeps pontifex, a quo manat omnis auctoritas, non quidem principalis & immediata, sed ministerialis, canonicæ electionis, & consecrationis. Ipse enim tanquam caput accepit a Deo secundum gratiam omne ministerium, ac dispensationem, omnis potestatis spiritualis, ita ut quicquid Dominus alijs tribuat, non nisi per pontificem tanquam summum ministrum suum tribuat, accipiantque de eius potestate cæteri partem, non quidem ab eo, tanquam

primo auctore, & datore, sed a Deo, per eum, qui quidem (si ita loqui libet) dicatur mediate facere episcopos, tanquam minister, ac sic quidem, vt pontifex facit episcopos, similiter electores faciunt pontificem, tanquam ministri inquam, electionis, & gratiæ pontificalis, quæ a Deo immediate, & primum tribuitur. Hoc vero interest, quod pontifex, qui episcopos facit, episcopus est ipse, & quidem superior, imo summus, electores uero, qui pontificem eligunt, etsi pontificali actu utantur, tamen nõ sunt sic pontifices nedum superiores pontifice. Verum hoc non tollit, quin omnes ministri sint. Deus autem auctor, ac dator potestatis episcopalis, & pontificalis, nihil enim refert, utrũ det alijs Deus per ministrum de eo, quod prius ministro dederit ad vtendum, & habendum, an det aliquid per ministrum, quod non omnino dederit ei. Neq; refert, vtrum minister dispenset alijs de eo, quod accepit sibi, vt quidem pontifex dispensat de potestate spirituali, an dispenset, quod non omnino accepit sibi, ut electores pontificis. Sic Moises 70. viros elegit iussu Dei, vt sustinerent secum onus populi. ne autem existimaretur daturus eis potestatẽ aliter quam vt minister, dei vero esse intelligeretur, diuidere ministrationes, ut Paulus loquitur, & ponere gubernationes, sequit̃, & auferam de spiritu tuo, id est de tua potestate, & tradam eis, ut sustentent tecum onus populi. Non inquit, spiritum tuum auferã, sed de tuo, vt significaret, sicut Theodoretus ait, tum dedisse illi, quantum gratiæ satis esset ad gubernandum, si quidem non nisi de spiritu eius illis. 70. daret, tum gratiam Moisis non esse exhaustam, aut imminutam, quod esset cum illis. 70. communicata. Prɇterea neque est dictum. Tradet Moises de spiritu suo, sed Dominus inquit, Auferam ipse de spiritu tuo, vt doceret (sicut ante dixi) neminem præter Deum spiritum sanctum, eiusq; charismata dare. Similiter dicat̃ in episcopis, ac presbyteris, reliquisque potestatibus, spiritualibus scilicet charismate pontificatus, id est, de potestate vniuersali pontificis datum esse illis, quod quidem non exhaurit, neque minuit eam, licet de ea cæteri accipiãt, non quidem immediate, & principaliter a pontifice, sed a Deo per pontificem. Cum vero fit pontifex, non sic aufert Dominus de spiritu eligentium, id est, de charismate eorum, Siquidẽ charisma, seu potestatem summi pontificatus minime habeant illi, sed tantũ gratiam eligendi, & applicandi ministerio suo, quod a Deo similiter per pontificem acceperunt, ministerium inquã applicãdi ad

di ad eam potestatem, & gubernationem, qua ipsi carent. Recte ergo, qui dixerũt Papam immediate fieri a Deo, cum fiat per ministerium eligentium, quod ipsi eligentes rursus a Deo acceperunt per ministerium pontificis, qui eos ad hoc elegit. Minister uero (ut dixi) siue ministret, ac dispenset de eo, quod ipse sibi accepit a Deo, siue etiam ministret aliquid, quod non sic accepit, non est aliud, quam minister ex uirtute, quam Deus dat, Ministrans, neque plus agit ministrando cum habet quod ministrat, quam cum non habet, sicut qui ministrat gratiam, alienus ipse a gratia. Idem uero Dominus est dator charismatis, & effector muneris, quicunque sit minister legitimus. Male itaque, qui dixit, iurisdictionem pontificalem in hoc, aut illo, immediate esse ab homine. Melius uero, qui dixit, potestatem spiritualem iurisdictionalem (ita enim uocant) ex iniunctione hominis esse, si tamen sic accipiamus, ex iniunctione hominis, non quidem immediata, & prima, sed ministeriali. quare qui aiunt Papam immediate fieri a Deo, uel necesse est, tollant ministerium medium, quod intercedit, quodque nudam electionem appellant, si ita ut uolunt, uerbum immediate accipiant, uel si sic, idest proprie, & ut debent, accipiant immediate fieri a Deo, scilicet tanquam ab auctore, & Domino, ita ut inter Deum, & eum qui fit pontifex, nemo alius intercedat potestatis pontificalis auctor, & dator, profecto cum addunt statim, uelut comparantes, episcopos uero non fieri immediate a Deo. sed a pontifice, eumque esse collatorem potestatis episcopalis, non iam ministrum faciunt pontificem, sed proprie datorem episcopatus, id est, huius gubernationis spiritualis, quæ charisma est, & quam Deus ponit in ecclesia, non intelligentes, cum dicitur episcopo, Accipe euangelium, & uade, prædica populo tibi cõmisso, hoc quod auditur, dici quidem a ministro, & dispensatore mysteriorum, idem uero immediate, & primum interius, ac spiritualiter a Domino dici, qui tũ alijs mysterijs consecrationis, tum huic, quod constat ex libri euangeliorum datione, & hac uerborum formula, uirtutem diuinam dat, quæ quidem in hoc mysterio potestatem spiritualem eundi, & prædicandi operatur, & quidem adiuncta ui præcepti diuini. Cum enim minister pronunciat. Vade, Dominus est, qui tanquam auctor, & Dominus ire præcipit. Quo autem ire pręcipit, scilicet ad diœcesem commissam, ibi haud dubio manere præcipit. Ex quo iam perspicitur pręceptum de residentia non ecclesiasticum, ut isti dicunt, sed di-

uinum

uinum esse, ut postea magis perspicietur, preceptumq; Dei intus loquenti violare, quicunque non eunt, cum ire possunt. Sed pergamus magis adhuc ostẽdere, a Deo fieri episcopos. Potestas spiritualis, qualis est omnis potestas ecclesiastica, vt antistitis, aut præpositi ordinis, a Deo, & legibus diuinis originẽ habet, ut tradit Magnus Basilius in Constitutionibus monasticis, scilicet a lege illa, qua iussit Dominus Petro pascere oues, per quem ad reliquos omnis potestas, & auctoritas pascendi manet a Deo, tanquam a principe, & Domino pastorum: & ab illa, vt ego interpretor, qua eidem iussit, vt conuersus firmaret fratres, per quem omnis potestas, & auctoritas spiritualis firmandi, & regendi deriuatur. Denique ab illa lege, qua constitutum est a Christo, ut Petrus esset fundamentum ecclesiæ catholicæ, & qua constitutum, ut haberet claues regni cœlorum, per quem proficiscitur a Deo omnis spiritualis potestas, & auctoritas ædificationis ecclesiasticæ, omnisq; auctoritas, & potestas claudendi, & aperiendi in ecclesia regnum cœlorum. Per Petrum enim dedit, quicquid potestatis alijs in ecclesia non negauit. Ergo cum potestas omnis ecclesiasticæ iurisdictionis spiritualis sit, ea autem a Deo, & legibus diuinis originem habeat, Sequitur iurisdictionem huius episcopi, aut illius, cum spiritualis potestas sit, non ab homine, sed a Deo esse. Neque enim uoluntas hominis, neque ministerium eius, sed, vt Leo magnus ait in sermone de assumptione sua, dignatio cœlestis gratiæ gignit antistitem. Et Ambrosius in pastorali suo scribens aduersus eos, qui pretio ordinant. Quis (inquit) dat, frater, gratiam episcopalem, Deus, an homo? Respondes, sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O iustitia, o æquitas, si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solũ seruitium, quod ei creditur. Cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Quid clarius? Ergo quod est in electione, & cõsecratione epi [illegible] & [illegible] i. corporale, ac ministeriale, hoc dicit Amb. & nos cũ eo, immediate esse ab hoĩe, qđ vero spũale, quale est epãtus, q. est charisma in opus ministerij, siue grã ministrationis, ut Apl̃us loquitur, hoc non immediate ab homine, sed a Deo per hominis ministerium, ita vt electio epõrũ, diuisio ouiliũ, circũscriptio cuiusq; diœcescos, iniunctio curæ pa

storalis,

ſtoralis, uox illa, Vade, & prædica populo tibi commiſſo, hæc inquam σωματικῶς καὶ ὑπουργικῶς, id eſt, corporaliter, & miniſterialiter, & ut cerni poſſunt, ab homine ſunt immediate, Spiritualiter uero, καὶ ὡς κυρίως ἐνεργούμενα, id eſt, ut proprie, ac principaliter fiunt, non immediate quidem, & primum ab homine, ſed a Deo per hominem. Deus enim eſt, qui diuidit chariſmata ſpiritus, qui committit curam animarum, denique qui poteſtatem paſtoralem tribuit, quam legibus diuinis, & euangelicis ſanxit. Sed uideamus, quemadmodum ſanxerit, & quomodo a legibus diuinis poteſtas ſpiritualis gubernationis originem habeat. Scribit Baſilius in eodem capite, cum dixit Chriſtus Petro, Paſce oues meas, Petrum conſtituiſſe paſtorem eccleſiæ, & conſequenter dediſſe omnibus paſtoribus, & magiſtris poteſtatem ſpiritualem, Quod perinde mihi eſſe uidetur, ac ſi diceret, dixiſſe quidem Chriſtum ſoli Petro, paſce oues meas, eumque ſolum paſtorem eccleſiæ catholicæ his uerbis per uirtutem diuinam cõſtituiſſe. Cæterum tranſiſſe uim huiuſmodi poteſtatis paſcendi in cæteros omnes paſtores, rectores, atque miniſtros eccleſiarum, ſimiliter atque dixit ſanctus Deo ſermone 3. de die anniuerſario aſſumptionis ſuę, cum dixit Petro, tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunq; ligaueris ſuper terram, &c. Tranſiuit (inquit) in alios apoſtolos vis poteſtatis huius, & ad omnes eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit. Sed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, qui cunctis eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Hæc ille. Et Ambro. in paſtorali, Idcirco (inquit) nos, quibus in uerbis diuinis credita eſt diſpenſatio, & qui gregem Chriſti alendum ſuſcepimus, & quæ ſequuntur. Et paulo poſt. Væ iam nihil eſt, ſic claues illas regni cœlorum, quas in beato Petro Apoſtolo cuncti ſuſcepimus ſacerdotes, minime reſeruauero. Idem paulo infra, Repetitum eſt a Domino tertio Paſce oues meas. Quas oues, & quem gregem non ſolum tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed nobiſcum eas ſuſcepit, & cũ illo nos ſuſcepimus omnes. Vnde regendę ſacerdotibus contraduntur, & merito rectoribus ſuis ſubdi dicuntur. Idem ſenſit Auguſ. in lib. de Paſtoribus, ſcilicet cum Dominus dixit Petro, paſce oues meas, per Petrum, & in Petro cunctis paſtoribus dixiſſe. loquẽs enim de parabola boni paſtoris, Non ideo (inquit) modo tacentur paſtores, & dicitur paſtor, quia non inuenit Dominus, cui

commendaret oues suas, tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit, imo vero, & in ipso Petro unitatem commendauit. Multi erant Apostoli, & uni dicitur, Pasce oues meas. Omnes pastores in uno sunt, & unum sunt. Transisse ergo diuinam uim horum uerborum, Pasce oues meas, ad cæteros alios spirituales rectores, testantur etiam ecclesiasticæ formulæ, & ritus constituendi rectores spirituales, ut episcopos, Abbates, aliosque huiusmodi. Episcopo enim dicitur, Accipe euangeliū & uade, prædica populo tibi commisso. Quod perinde est, atque diceretur illi, Vade, pasce oues tibi creditas. Abbati dicitur, Accipe plenam, & liberam potestatem regendi hoc monasterium. Nihil autem aliud est pascere, quam regere. Clarius autem dicitur Abbatissæ, Accipe regulam, ad custodiendum, & regendum gregem tibi commissum. Perinde atque diceretur illi, Pasce oues tibi commissas secundum hanc regulam. Non enim mulieri simpliciter, & omnino committi potest cura animarum tanquā pastori, ut cum alij, tum Chryso. tradit lib. de Sacerdotio. 2. Idcirco non dr̄ illi, ut Abbati, accipe ptātem pascēdi, siue regendi, sed accipe regulā, &c. Per hanc itaq; legē diuinā, & euangelicā de pascēdis ouibus cōstituit Christus ecclesiæ catholicæ pastorem vniuersalem Petrum, & per eandem legem dedit de potestate ista uniuersali, & spirituali Petri potestatem singularem, eandemque spiritualem ijs omnibus, quicunque fiunt pastores, siue rectores in interioribus, id est, animarum, mediatoresque Dei, & hominum. Non autem per hanc legem, neque per aliam huiusmodi in euangelio scriptā, aut Christo, uel apostolis prædicatam, sed per legem humanam dat potestatem secularem ijs, qui fiunt pastores, siue rectores in exterioribus, cleri scilicet, ac plebis mediatores, id est, ut sint ecclesiæ contra populum defensores, quales sunt potestates seculares, sicut est in coronatione regis, de cuius potestate generali, ac regali cætera omnis potestas secularis ipsius regni deriuatur, sicuti de pontificali omnis spiritualis potestas regni ecclesiastici.
Ita enim precatur Metropolitanus, cum regem coronat, sicuti nos in interioribus pastores, rectoresq; animarum intelligimur, ita & tu contra omnes aduersitates ecclesię Christi defensor existas. Et illud in eadem coronatione, Quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorē cleri, & plebis in hoc regni solio confirmet, &c. sic ergo intelligendum puto, Basilio interprete, quod si

pra dixi ſcriptum eſſe ab eodem, poteſtatem ſpiritualem a Deo legibus diuinis conſtitui, ſecularem vero legibus humanis, id eſt, a Deo per leges humanas, ſiue mediātibus legibus humanis. Qđ uero idem ait, id, quod nonnullis dubitationem aliquam efferre poſſet, conſtituere Chriſtum poſt ſe Petrum eccleſiæ paſtorem, cum dicit. Petre, amas me. Paſce oues meas, omnibusq; deinceps paſtoribus, & magiſtris æqualem tribuere poteſtatem, cuius rei (inquit) ſignum eſt, quod omnes ſicut, atque ille, ligent, & ſoluant. Loquebatur autem de obedientia a monachis præſtanda rectoribus ſuis, ſiue præpoſitis. (Hoc inquam) ſic exiſtimo accipiendū eſſe, vt intelligamus, hac una lege de ouibus paſcendis, qua ſolus Petrus conſtitutus eſt ſummus paſtor eccl'e catholicæ, ad oēs paſtores, ſiue rectores eccleſiarum æqualiter pertinente, æqualē paſcendi poteſtatem omnibus illis tribui, ſeruata tamen graduū diſtinctione, ita ut non ſit magis paſtor, qui maior eſt, & excellentior, quam qui minor, & vilior, cum vna, eademq; ſit paſtoris, ac rectoris ſpiritualis ratio, quicunque ille ſit, quatenus paſtor, rectorque eſt, ſcilicet perſonam Chriſti gerere, eſſe mediatorem inter Deum, & homines, & operari Deo ſalutem ſubditorum. Nihil enim aliud eſt, ut idem Baſilius paulo ſupra dixerat, paſtorem, ſiue rectorem eſſe, quam hæc tria facere, ad quæ facienda omnes æqualiter poſiti, conſtitutique ſunt ab ſpiritu ſancto, quæ vno verbo Apoſtolus de ſpiritualibus prępoſitis loquens, complexus eſſe uidetur. Ipſi (inquit) peruigilāt pro animabus ueſtris, ſcilicet operantes ſalutem ueſtram, & exercentes officium mediatorum inter Deum, & homines, denique perſonam Chriſti veri mediatoris Dei, & hominum gerentes, qui de cœlo deſcendit, ut hæc uere in nobis perficeret, & operaretur. Verum hæc æqualitas, & hæc una eademque ratio omnium paſtorum ſpiritualium, quatenus paſtores ſunt, non tollit gradus paſtorum, atque rectorum, quin alius ſit presbyter, alius epiſcopus (Nam eundem dicere utrūq;, hęreſis Aerij eſt) item alius ſit oīm ouium princeps paſtor, & rector uniuerſalis, alius paucioru, alius in hoc loco paſcat, alius in illo, alius in cuncto orbe, ut pontifex. Hęc. n. accidunt paſtori. Sicuti eadem eſt ratio, & equalitas omnium hominum, quatenus homines ſunt, eſto non idem ordo, & gradus hominum ſit. Hec itaque eſt ueriſſima Baſilij ſententia, ſcilicet his uerbis. Petre, amas me, Paſce oues meas, conſtitutum eſſe Petrum, omnium ouium, id eſt, catholicæ eccleſiæ paſtorem, eiſdemq;

demq; uerbis tribui ceteris omnibus post Petrum pastoribus, ac rectoribus, spiritualibus equalem potestatem pascendi, ita ut eadem ratio sit pastorum omnium quatenus pastores sunt, nempe unius, eiusdemque Christi personam gerere, operari vni, eidemque salutem subditorum, esseque omnes mediatores inter Deum, & homines. Non me pœnitet, quæ optima sunt, & commodissima sæpe repetere. Huius uero æqualitatis signum esse ait Basilius, quod omnes similiter ligent, atque soluant. Vna enim, eademq; est omnibus ligandi, atque soluendi formula, que potestas canonice conuenit prepositis, atque rectoribus animarum. Libenter hunc locum Basilij tam multis uerbis tractaui, quod sciam non paucos, presertim Grecos ita hunc locum, & similes interpretari, ut audeant, non intelligentes de quibus loquantur, neque de quibus affirment, audeant (inquam) cum pontificatu ceterum omnem episcopatum equare, qui, si ita interpretantur in pontifice, & reliquis episcopis, quod dixit Basilius, dari illis uerbis, Pasce oues meas, equalem potestatem reliquis post Petrum pastoribus, dicant similiter episcopos, & presbyteros pastores, æquales esse, atque, pares. Quod, quis est, qui dicat, nisi Aerianus aliquis? teneamus ergo quod satis me arbitror hactenus demonstrasse, scilicet a Deo fieri singulos episcopos, a quo fuerit institutus episcopatus, una Dei voce, unaque lege de pascendis ouibus ad omnes rectores, & magistros ecclesiarum per Petrum transeunte, quem ipse Dominus absque ullo hominum ministerio, neque ab hominibus, neque per hominem episcopum primum, cęterorum episcoporum, ac pastorum omnium principem, & gubernatorem fecit, voce illa, atque lege de pascendis ouibus ei singulariter siue specialiter dicta, per quem cæteros pastores, & rectores animarum facit, tanquam per virtutis diuinæ administrum, & instrumentum. Per se enim pontifex, id est, suo nomine, & virtute nullam gratiam, neque charisma ministrare potest, sed ex virtute, quam deus dat, sicut B. Petrus ait. Quare si residere tenentur episcopi, vt quidem tenentur, quod nemo ne istorum quidem negat, sequitur eius præcepto teneri, id est, dei, qui episcopos faciat, eaque voce, & lege diuina, qua facti sunt pastores. Dei enim uox est, & præceptum, quod tanquam Christi minister ipse cōsecrator episcopi pronunciat, cum ait. Vade, & prædica populo tibi commisso. Quæ quidem verba, uim illorum Christi uerborum, Pasce oues meas, explicant. Vade (inquam)

quam) scilicet ad diœcesem tuam regendam. Quam dei vocem, denique per ministrum loquentis præceptum violant quidem, qui cunque non eunt, cum ire possunt. De potestate uero mundi, siue seculari, quia non est scripta lex in euangelio, per quam illa tradatur, neque rursus fuerit præceptum speciale de eiusmodi potestate, quod statim violet, qui ibi non resideat, ubi illam ipsam potestatem gerat, uiolarit tamen, obedientiæ fidei, iustitiæ, ac charitatis leges, quibus se obligauit, cum suscepta cura regiminis exterioris factus est particeps ministerij pastoralis ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum. præclare itaque Ildelbertus episcopus Cenomanēsis vir singulari doctrina, & sanctitate, scribens ad Comitem quendam parantem proficisci ad templum sancti Iacobi Compostellani, cum uellet eum a proposito, & sententia deducere, fortasse, inquit, dices votum uoui domino, transgressionis arguar, si irritum facio uotum, agnosce o princeps, quia tu quidē te alligasti uoto, sed deus officio, tu uiæ, sed deus obedientiæ, appende ergo si tantus sit fructus itineris, vt supplere possit intermissæ dispendiū obediētiæ, & paulo post, si autem bonum administrationis longe maius est, & elegantius, quod inficiari nemo audebit, sede in palatio, dispone de suffragijs afflictorum, & ut omnes tibi uiuāt, omnibus uiue, uiue Reip. noctes illi præsta & dies, &c. Hæc uero quanto magis in pastores spirituales conueniant, nemo tam tardus est, nemo tam corrupto iudicio, qui non uideat clarissime, & libenter confiteatur. quibus cum in interioribus uigilandum sit pro animabus eorū, quibus præsunt, minus multo licebit abesse, quam illis, ne absentibus, & strepitus, ac molestias præsentes fugientibus facile somnus obrepat, multa uelut dormientes ignorent, multaque eis tanquam somniantibus appareant. Quando ergo locum haberet illud, Vade, & prædica? quæ, ut dixi, uim illorum Christi uerborum continent, Pasce oues meas, si absolui potest, qui præest, ne unquam uadat? Aut quomodo hoc dominus prę cipit, si ne unquam impleatur, pontifex concedere potest? Verum afferamus alium scripturæ sanctæ locum, non quidem ex quo ratione, & syllogismo concludi possit, residentiam esse iure diuino sancitā, cuiusmodi loca satis multa ab alijs recitata sunt, & in eorū libris copiose & diligenter tractata, sed in quo expressa sit huiusmodi residentia, quod quidem importune a quibusdam requiri scio. Ergo Salomon loquens de cura, & studio ouium

rationalium,

rationalium, Cognosce (inquit) animas gregis tui πρόσωπον id est euidenter,&c, ut scriptura loqui solet, facie ad faciē, siue coram, & in præsentia. Hoc enim significare πρόσωπον ut est apud 70. uel ex eo loco Exodi didicimus, in quo Moises desiderās uidere Deum, non per speculum in ænigmate, sed sicuti est, ut Ioannes ait, siue facie ad faciem, ut Paulus, Ostende te (inquit) mihi πρόσωπον ut uideam te. Id enim desiderasse & petisse, uel ex eo constat, quod Dominus negauit hoc fieri posse, quamdiu mortalis esset. Non uidebit me (inquit) homo, & uiuet. Sic enim uidere Deum ut fieri hic posse, negauit, beatorum est. Esto postea gloriam, siue splendorem, & lumen suum eidem Moisi uiuenti, absque ęnigmate, & figuris ostenderit, sicuti testatur idem Moises in libro Numerorum, Palam (inquit) & non per ænigmata, & figuras gloriam Dei uidit. Vidit autem Exodi. 33. cum faciem suam uidere non concessit Deus, quod quidem erat uidere Deum πρόσωπον gloriam uero, & splendorem concessit, qualis fuit gloria, siue splendor, qui in scriptura dici solet πρόσωπον, quam uiderunt discipuli in mōte Thabor, de quo nos alias egimus. Redeamus ad locum Salomonis, in quo quidem Dominus prouidēs fore futuris temporibus, qui negarent iure diuino sancitam esse residentiam pastorum spiritualium, insitamque esse a Deo in scriptura sancta, idcirco cum alias in nouo testamento, tum clarissime, & ut ita dicam expresse per os Salomonis hoc sanxit, neq. cognoscere potest pastor gregem suum πρόσωπον, nisi suis oculis cernat, suis autem oculis cernere non potest, nisi pręsens sit, unde episcopi, ut beatus Cyrillus in Commentarijs Zachariæ scripsit, sic dicti sunt, quia in corpore Christi quod est ecclesia, locum teneant oculorum, & per eos Dominus inspiciat credentes. Cum autem præceptū Salomonis audimus, proprie Dei pręceptum audimus, etsi fortasse negabunt isti, qui etiam dicere, imo scribere ausi sunt, legem Moisis non esse proprie legem Dei, cum tamen, si alterutrum dicendum esset, potius dicendum esse uideretur, non esse proprie legem Moisis, sed Dei potius per Moisen. Deus enim Moisi legem per angelos inspirauit, quam idem Moises populo dedit non in suo, sed in Dei nomine. Quemadmodum ergo non est dicenda lex Dei proprie cum ab eo primum profecta sit? Sicuti quod Adā dixit, Propter hoc relinquet homo & quæ sequuntur, Dominus se dixisse in euangelio testatur, quia scilicet ipse illud primum, & immediate dixit. Verum hęc sententia non longe abest ab erroribus Ptolemæi hæretici,

retici, ut intelligi poteſt ex epiſtola eius ad Florã ſororem,quam Epiphanius Cyprius in Panario ſuo doctiſſime cõfutauit. Is enim connexionem ponebat in lege ex ijs,quę Dei eſſent,& ex ijs,quæ Moiſis. Quod uero dicunt iſti ideo legem Moiſis nõ eſſe proprie legem Dei,quia non ueniat immediate a Deo, Decalogum uero ueniſſe a uoce Dei. Videamus quale hoc ſit. Teſtatur beatus Stephanus datam eſſe legem in diſpoſitione Angelorum,id eſt, per angelos adminiſtros,ſicuti ſcriptum eſt,Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus ad miniſterium miſſi? &c. Cum autem legem dicit,Decalogum quoque intelligit, quem in primis, & grauius Iudæi uiolabant,quod idem Stephanus exprobrans illis,Accepiſtis (inquit) legem in diſpoſitione Angelorum,& non cuſtodiſtis. Item Apoſtolus,Si (inquit) qui per angelos dictus eſt Sermo,factus eſt firmus,& omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem,&c. Sermonem per angelos dictum appellauit Apoſtolus quicquid olim Dominus locutus eſt populo ſuo miniſtrantibus angelis,quod comparat cum euangelio ſalutis,quod idem Dominus locutus eſt nobis miniſtrante filio. Et in epiſtola ad Galatas de lege Moiſis,Lex (inquit) ordinata per angelos in manu mediatoris,donec ueniret ſemen,cui promiſerat,&c. Perinde atque diceret, lex, quam Moiſes accepit a Deo per angelum miniſtrum dictantem,& informãtem illam. Eſt enim illud in manu mediatoris,ſimile,atque illud Aggæi, factum eſt uerbum Domini in manu Aggæi prophetæ.Perinde atque, diceret, prophetiam Domini excepit Aggæus. Hoc ſignificat frequens illud in prophetis uerbum ſumptionis,ut in Malachia, ſumptio uerbi Domini. Illud uero ordinata per angelos ſimilitudinem habet cum eo,quod eſt in Zacharia, angelus, qui loquebatur in me. Siue ergo Decalogus ille populo Iſraelitico dictatus, ſiue lex Moiſis, a Deo ueniunt per miniſterium (ut teſtatur ſcriptura) angelorum,qui locuti ſunt Decalogum in populo, & legem in Moiſe. Quorum ſermonem,& locutionem, quia iuſſu dei factam,uocem dei appellat ſcriptura,non quidem proprie. Cum enim uox ſit propter auditum,& auditus propter uocẽ, ubi non eſt aer,neque lingua,neque auditus,neque porus,qui ad ſenſum, qui in capite eſt,ſonum deferat,ibi non eſt proprie uox,ſed conſuetudo ſcripturæ ſanctę uocem dei uocare ſolet informationem diuinæ uoluntatis intus cientis,ac uelut ſonantis, miniſterio angelorum a Deo fieri ſolitam. Atque ita utrumque (ut dixi)

non solum decalogus, sed lex Moisis uenit a uoce dei, id est, a uo luntate dei manifestata per angelum, qui loquebatur ei in Sina. Quod enim Moisi illam deus inspirauit,& per angelum ei loquentem informauit, declarauit sanctus protomartyr Stephanus. Hic est (inquit) Moises, qui fuit cum angelo, qui ei loquebatur in monte Sina,& cum omnibus patribus nostris, qui accepit uerba uitæ dare nobis. Qui locus satis illum Pauli locum declarat, Lex ordinata per angelos in manu mediatoris, id est, lex, quam accepit Moises angelo ei loquente. Quod enim hic est in manu mediatoris, illic est, accepit, quod hic lex, illic uerba uitæ (sicut scriptum est. Qui fecerit ea, uiuet in eis) quod hic ordinata per angelos, illic angelus, qui ei loquebatur in monte Sina. Sicut etiam decalogum, angelus loquebatur populo. Quod enim scriptum est in Exodo de solo Decalogo, locutus est Dominus cunctos sermones hos, & rursus, post auditum cum incredibili horrore Decalogum, populus (inquit) loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus,&c. De angelo accipiendum est, sicut solet scriptura, cum Deus per angelum, aut angelos loquitur, uel apparet, frequentissime appellare deum, aut dominum, ut quando Iacob cum uiro luctabatur, i. cum angelo specie virili, statim appellat scriptura deum, quoniam (inquit) cōtra deū fuisti fortis &c. Qui postea, cum Iacob nomen quæreret, quid inquit, quæris nomen meum, quod est mirabile? idem respondit angelus ille, qui apparuit Manoi,& vxori,& nesciebat (inquit) Manoes, quod esset angelus Domini, dixitq; ad eum, quod est tibi nomen? cui respondit, cur quæris nomen meum, quod est mirabile?, & paulo post, statimq; intellexit Manoes, quod esset angelus domini,& dixit ad uxorem suam, morte moriemur, quia uidimus deum, s. meminerat, etsi nō satis intellexerat, quod dixerat dominus Moisi, non poteris uidere faciem meam, nō uidebit me homo, & uiuet. Item tres uiros illos, qui Abraę apparuerunt, scriptura appellat dominum, quia. s. iussu domini aderant. Quos licet Hilar. in. 7. de Trini. lib. personas diuinas fuisse dicat, tamen angelos fuisse ex Paulo didicimus, cum ait in epi. ad Heb. & hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidā angelis hospitio recep tis, intelligit autem de angelis Abraæ,& Loth fratris. Populus itaque in Exodo dominum appellat angelum, qui ei loquebatur Decalogum (sicut etiam angelus Moisi loquebatur legem) cum ait, loquere tu nobis,& non loquatur dominus, sic etiam appellat

Moises

Moises loquens de Decalogo, cum ait, locutus est Dominus cunctos sermones hos, vnde Paulus, si, inquit, qui per angelos dictus est sermo, & quæ sequuntur. Valeant ergo nouitates verborum, ut est hæc, & quidem non parua, dicere, non esse proprie legem Dei, quæ sit lex Moisis, quia scilicet nō ueniat immediate a uoce Dei, ut quidem veniat Decalogus, quod quam sit falsum, & ab scriptura sancta alienum, satis me docuisse arbitror. Similis error erat, quem supra confutauimus, non fieri immediate a Deo epos, in vtrūq; uero egit istos trāsuersos huius uocis immediate abusus, usq; adeo verū est quod Leontius Cyprius aduersus Acephalos scripsit sæpe μὴ κυριολεκτῶν δόγματος ἐργάζεται διαφωνίαν dicam Latine, non proprie inquit uti verbis, dogmatis discrepantiam efficit, si ergo lex Moisis proprie lex Dei, ut Decalogus, quia ab eo auctore primum, & immediate profecta, sunt.n. immediata, quæ prima, & quæ prima, immediata, sicut philosophi tradunt, ut supra diximus. Necesse habui huc tot verbis digredi, quia uerebar, ne quis audiens pręceptum Salomonis esse, ut pastor resideat, nō proprie Dei præceptum putaret, præsertim cum legeret hoc quod nos in istorum libris legimus, legē Moisis nō esse ꝓprie legem Dei, tanquā, quæ nō ueniat a uoce Dei, ut ueniat Decalogus. Quare ut redeamus, unde digressi sumus, pręcepit Salomon uel potius Deus per Salomonē, ut pastores animarū nō quidem ꝑ literas ex uicarijs suis de ouibus cognoscerent, sed vt uideāt ipsi eas, cognosce (inquit) γνωστῶς, id est, notorie vt ita dicā) siue cognoscēter animas tui gregis, siue ouilis, deinde sequitur, quo magis ac magis curā, & studiū ouiū commendaret, quia nō satis est præsentes esse pastores, nisi ad præsentiā accedat studiū & solicitudo, adhibe (inquit) cor tuis gregibus, quoniā nō in seculū viro robur, potestas, & virtus, neq; tradit ex generatione in generationē, perinde atq; ꝑciperet præsentē esse, & accurate ac ad uigilanter attēdere gregi aīarū creditarū, idq; dū tps habet, neq;. n. cum sit oībus moriendum, sꝑ futuram esse hoi huius muneris pastoralis ptātem, non.n. in altero seculo licebit hmōi curam, ac potestatem spiritualem gerere, & administrare, euacuato iam (sicut scriptum est) omni principatu, & potestate, atq; uirtute. Prætereo alia loca scripturæ sanctæ nō pauca, tum quia ab alijs recte obseruata sunt, & diligenter tractata, tum quia qui a nobis dissentiunt, sic illa omnia interpretanda esse falso putāt, ut quod de præsentia pastorū necessaria ex illis locis cōcludi uideat, id

vicarios, & ſubſtitutos ſatis poſſe præſtari affirment. At cognoſcere notorie, & (ut ita dicam) ſine ullo medio, ac facie ad faciem, quod declarat verbum γνωτῶς ſecundum conſuetudina ſcripturæ, ut ſupra docui, hoc inquam, quemadmodum per alium præſtare poteſt, qui ipſe adeſſe poteſt? Qui enim poteſt ad tempus, ſiue propter magnam utilitatem eccleſiæ ſuæ, aut aliarũ, aut propter præcipuam aliquam œconomiam ſpiritualem, aut aliquam aliam neceſſitatem, quæ vitari aliter nõ poſſit commode, is profecto non abeſſe, ſed adeſſe iudicandus eſt, abſens quidem corpore, præſens autem ſpiritu. Cæteri uero paſtores præceptũ dei uiolant, quicunque per alienos gregi attendunt, & animas pecoris ſui non γνωτῶς, & facie ad faciem ſuiſque oculis cernunt præſentes, per auditum, & epiſtolas cognoſcunt. Si tamen uel ſic cognoſcunt, ac non potius uel hoc negligunt. Eſt præterea quodam canone apoſtolorum, quem inter alios in uetuſtiſſimo libro legi pœna etiam adiuncta, his uerbis clariſſime ſancita paſtorum præſentia ποιμένες ὄντες καὶ οὐ τῇ ἰδίᾳ ποίμνῃ παραμένοντες ἀλλότριοι ἔστωσαν τῆς ἐν χριστῷ κοινωνίας nothi (inquit) & adulterini magis quam paſtores, qui in ſuo ouili non permanent, alieni ſint a communione in Chriſto. Eant nunc iſti, & negent iuris diuini eſſe reſidentiam. Quæ enim canonibus apoſtolorum ſancita ſunt ad ius di • num, aut ſcriptum aut non ſcriptum pertinere, quis, neget, niſi qui eccleſiaſticas traditiones, quæ ſolui non poſſunt, contemnat? Verum quanta ſit canonis huius auctoritas, magis intelligetur, cum agetur de alio iſtorum errore, qui aiunt, quæ in ſolo Paulo leguntur, non eſſe dei præcepta. Quia uero iactant iſti, neminem ante Caietanum de hoc diſſeruiſſe, aut pronũciaſſe, vtrũ epiſcopi iure diuino reſidere tenerẽtur, legant epiſtolas non paucas Athanaſij Patriarchæ Conſtantinopolitani in literis ſanctis ualde eruditi, atque exercitati, quas ad Imperatorem ſui temporis ſcripſit rogans eum, ut epiſcopos omnes ex urbe eiectos ad eccleſias ſuas ire cogeret, legant illam, quam idem ſcripſit ad omnes epiſcopos, hortans eos, ut in eccleſijs ſuis reſiderent. μηδ' ἔξω ἐπὶ πολὺ τῆς λαχούσης ἀθετήσει τοῦς θείων θεσμῶν διατρίβωμεν ne, inquit, diu extra diœceſes contra diuina iura moremur, & in epiſtola ad epiſcopum Sardenſem, hortãs ſimiliter, ut ad diœceſem rediret, θείων θεσμῶν μηδὲ κἂν πρὸς μικρὸν ἀνεπιτιμήτως ἑαυτῶν ἀφίστασθαί τινα τοῦ ποιμνίου, diuina, inquit, iura, uel ſtatuta ne pauliſper quidem ſinũt impune quẽquam paſtorem a grege abeſſe.

esse. Idem in ep̄la ad omnes episcopos, sacerdotes, & præpositos monachorum, docens quemadmodum subditos, & quid docere debeant, ἄ παραυτήτου ἀνάγκης χωρίς, τῆς ποίμνης μακρὰν μὴ βραδύνομεν λόγον ἐπέχειν εἰδότες ποιμένα τῇ ποίμνῃ πρὸς σῶμα ψυχήν; ne (inquit) absque magna necessitate, quæ aliter vitari non possit, procul a diœcese moremur, scientes pastorem esse gregi, quod anima corpori. Idem Athanasius, cuius tempore hoc etiam malum frequens, & familiare erat, causam cur, cum a principio decretum esset, ut bis singulis annis Synodi haberentur, deinde vt semel haberentur, decerneretur, fuisse ait, ne propter crebram absentiam pastorum oues a lupis facile inuaderentur, idem in epistola quam scripsit ad metropolitam Cretensium, laudās eum, quod constituisset ad diœcesem suam proficisci, episcopus (inquit) si uel biduum in diœcese moretur sua, experimento cognitum esse, permulta peccata, & damna non cerni in populo, perinde namq. uideri gregem esse absque pastore, ut cæcum duce carere. Quod si iudicio patrum, & synodorum, atque vsu rerum cognitum est absentiam pastorum, tam pestiferam, & incommodam semper fuisse, & esse, ac futuram, quis non credat, tametsi non videat ipse, a Deo prohibitam esse? neque de eo tacitum in scriptura sancta, quamuis ipse non facile cernat? mihi certe in mentem uenit, dicere de istis, quod idem Athanasius de eisdem dixit, tendere eos uelamen euangelio, ne aspiciant eius ἀκρίβειαν. Nos autem per dei gratiam reuelata facie, sicut scriptum est, veritatem speculamur. Pene oblitus erā recitare testimonium grauissimum Damasi pontificis ex epistola, quam scripsit ad episcopos Africanos aduersus chorepiscopos, & eos pastores, qui substitutis in locū suum chorepiscopis, ipsi a suis ecclesijs aberant, quam quidem absentiam contra Christi doctrinā esse cū dicat, necesse est intelligamus iure diuino sancitam præsentiam, idq; Damasum sanctissimū, & sapientissimū pontificē sentire, vt nobis (inquit) relatum est, quidā ep̄orū propter suam quietem, chorep̄is plebes suas cōmittere non reformidāt, & ipsi in sua quiete torpent, & curam sibi a deo cōmissam negligunt, cum dominus dicat, bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, & vocat eas nominatim, & cognoscit suas, & suæ cognoscunt eum. Item sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem, & animā meam pono pro ouibus meis, de mercenario aūt quid dicat, bene nostis, quia uidet lupū ueniētē, & dimittit oues,

& fugit,& lupus rapit,& dispergit oues,& reliqua. Pro talibus ve ro negligitur cura ecclesiæ, & eius status perturbat, & ideo sunt prohibiti intantum, vt si aliqui ex his reperti fuerint, a proprio decidant gradu,illi nãq; epi qui talia sibi præsumunt,uidētur mihi esse nutricibus similes,quæ statim ut pariūt,infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos,ut suam citius ualeant expler elibidinem,sic & isti infantes suos,i. populos sibi cõmissos alijs edu candos traduut,ut suas libidines expleant,i. ut pro suo libito se cularibus curis inhient,& quod unicuiq; uisum fuerit, liberius agat.Pro talibus.n.animæ negliguntur,oues pereunt, morbi crescunt,hæreses,& schismata prodeunt,ecclesiæ destruuntur,sacerdotes uitiantur,& reliqua mala proueniunt,non taliter dominus docuit,neq; apostoli instituerunt, sed ipsi, qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos domino repræsentent. nam ipse ouem perditā diligenter quęsiuit,ipse inuenit,ipse pro prijs humeris reportauit,nosq; idipsum facere perdocuit.si ipse pro ouibus tantam curam habuit, ipse docuit, ipse curauit, ipse sanauit,ipse proprijs humeris reportauit, atq; intantum dilexit, ut etiam animam,multas sustinēs iniurias, multa opprobria,mul tasq; passiones,pro nobis traderet, Quid nos miseri,& desides dicturi sumus, qui etiam pro ouibus nobis commissis curam im pendere negligimus? & alijs eas educandas tradimus? corrigan tur hæc fratres, necesse est &c. Hactenus ille. Quis hic cauillari poterit,quin cõfiteatur iudicasse Damasum, & a deo fieri episcopos,& eorum residentiam diuini iuris esse? Sed pergamus ordine,ut cœpimus falsas istorum rationes refellere, ne simplicibus noceant,& incautos in errorem inducant,uideamusq;,quale sit, quod afferunt de Timotheo episcopo Ephesi,aliorumq; sanctorum episcoporum absentia,quāquidem, tametsi diuturnā fuisse fingeremus,ut isti fingunt, tamen non sequeretur statim, nõ esse iuris diuini assiduam residentiam, neque enim illorum absentia tam iudicanda erat absentia,quam pręsentia, Nam ut Thessalonicensibus & per eos nobis omnibus apostolus præcipit sine inter mi ione orare,& Colossensibus,orationi instare, immo Dominus in euangelio,semper orare, & nunquā deficere, sic præceptū est pastoribus semper ac perpetuo residere.atq; ut illud impleri põt,sic hoc potest, põt uero illud.si quicquid fiat, in laudem dei fiat,sicut apls.Sic ergo iudicandus est semper esse præsens in ecclesia,atq; diœcese sua episcopus, quoties propter magnam utilitat.m

litatẽ eius, aut præcipuam aliquam œconomiam spiritualem ad tempus abesse necesse est, ut.n. uniuersa uita hoīs religiosi, ac deũ timentis, & cum in omnibus, & per oīa laudãtis perpetua quædã Oratio est, sic utilis, atq; necessaria pastoris propter oues absentia, pręsentia quædam est. Quare Timotheũ etsi demus ab Ephe so & Corintho Romam nõ semel ire iussum fuisse, & a Roma Hie rusalem, non tamen continuo necesse est, sicut isti aiunt, idcirco diu ab eccl'a sua abfuisse, & si diu abfuisset, tamen existimandum quoq; esset, ob magnam ecclesiæ utilitatem abfuisse, sed bene ha bet, quod exemplum absentiæ diuturnæ in Timotheo Pauli disci pulo habemus in scriptura sancta clare perscriptum.

Legimus, enim Paulum, cum Epheso digressus, iterũ in Macedoniam, eiusq; regiones iret, Timotheum, ut remaneret Ephesi, rogasse recusantem principio onus, cuius recusationis fortasse memor apostolus scripsit ad eum in priori epistola, qui episcopa tum desiderat, bonum opus desiderare, deinde Timotheum pro fectum ex Macedonia Ephesum, iam factum Episcopum resedisse ibi toto eo tempore, quod Paulus consumpsit in peragranda cuncta Macedonia, exhortans oẽs multo sermone, ut Lucas ait, & item toto eo tẽpore, quod consumpsit in Gręcia, ubi moratus est tribus mensibus, cũ ãt uellet iam Paulus proficisci ex Græcia in Syriam, & Iudæam non directe, sed per Macedoniam propter insidias Iudæorum, uenisse Timotheum in Græciam paucorum dierum nauigatione, ut Paulum cum alijs fratribus, quos Lucas narrat deduceret, atque comitaretur usque ad Asiam, ut idem Lucas meminit. Venisse autem tunc Corinthum Timotheum, perspici potest ex epistola ad Romanos, quam tunc Paulus Corinthi scripsit, cum proficisci uellet Hierusalem, in ea.n. ait. salutat uos Timotheus adiutor meus, rursus scriptam fuisse hãc epistolã Corinthi, perspici quoq; potest ex eo, quod ait, salutat uos Gaius hospes meus, hunc uero Corinthium fuisse, constat ex priori epistola ad Corinth. c. 1. item Rom. 15. nunc (inquit) proficiscar Hierusalem ministrans sanctis, probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere, de qua quidem col lecta meminit in priori epist. ad Cor. 16. Cum ergo Paulus, & co mites Troadem, quæ est in Asia, inde Miletum paucis diebus per uenissent, a Mileto Paulus mittens Ephesum, ut Lucas narrat, uo cauit presbyteros ecclesiæ, qui cum uenissent, habito sermone, quo eis curam studiumque muneris pastoralis accuratissime

commendauit,

commendauit, dimisit eos, reuersum uero fuisse cum presbyteris istis ipsorum episcopum Timotheum, neque perrexisse Hierosolymam cum Paulo, non puto esse dubitandum; primum, quia Lucas testatur Sosipatrum, Aristarchum, Secundum, Gaium, ac Timotheum comitatos fuisse Paulum usque ad Asiam, ex Asia uero Asianos Tytichum, & Trophimum, deinde quia nullius horum comitum amplius meminit Lucas in tota illa peregrinatione a Mileto usque Hierusalem, neque postea in reditu Romam, prçter quã Trophimi Ephesij, qui cum Paulo peruenit Hierosolymam, ut est in actis. c. 21. & Aristarchi, de quo Lucas describens nauigationem Pauli in Italiam, cum Romam uinctus adducebatur, ascendentes (inquit) nauem Adrumentinam, nauigaturi circa Asiæ loca soluimus, existente nobis cum Aristarcho Macedone Thessalonicẽsi, quasi alij non adessent, is autem Aristarchus cum prius comitatus esset apostolum usque ad Asiam, postea tamen ad eundem re uersus est, verisimilius itaque est Timotheum a Mileto redijsse Ephesum cum presbyteris, ibique non paruo tempo re resedisse, quousque audiuit Paulum perductum esse Romam uinctum, tunc autem accurrisse continuo Romam, vt eum viseret, eidemque in vinculis ministraret, quod exemplum pietatis Timothei in doctorem, & magistrum ecclesiarũ Paulum primum valebat ad ædificandum in charitate cum cæteros omnes, tum ipsos Ephesios, quorum erat episcopus Timotheus. Romæ vero fuit Timotheus paucis diebus, quantum ex epistola ad Philippenses, quam apostolus eo tempore scripsit coniectare licet. Spero (inquit) in Domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos, & Paulo post iterum, hunc igitur spero me mittere ad uos mox, vt videro, quæ circa me sunt ex ipsa, scilicet, hora. Metuerat enim statim ut perductus est Romam, ne secum peius ageretur, verum cum non ita eueniret, quin potius cum omni fiducia, & sine prohibitione, vt Lucas narrat, docere illi liceret, uideretque omnia sibi quieta, & pacata, Verisimile est statim Timotheum remisisse Ephesum, cui etiam illud iussit, ut transiret in Macedoniam Philippos gratia visitandi fratres. Quibus breui visitatis, reuersus Ephesum diu fortasse ibi resedit, quousq; instante martyrio Pauli, ab eodem est iterum Romam accersitus, vt perspici potest ex epistola. 2. ad Timotheum, ego (inquit) iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat, & paulo post, festina ad me uenire cito, & rursus paulo infra, festina ante hiemem venire, vt iam satis verisimile

risimile sit fuisse eam hiemem extremam, quam consecuta fuerit cædes Pauli proxima æstate, scilicet. III. Calen. Iulii, pertulisse etiam epistolam Pauli ad Hebræos Hierosolymam, iussumque esse celeriter redire ex eadem epistola cognouimus, utrum vero rursus Paulus eo comite Gebręos inuiserit, vt propositum sibi esse in ea epistola scribit, non est certum, neque necesse, & vt ita factum sit, rursus non est necesse, ideo diu abfuisse, potuit enim comitari & deducere Paulum Iudæam vsque, & statim reuerti Ephesum. Hæc idcirco tam copiose, & prolixe attuli, vt ostenderē non conuinci ab istis exemplum absentiæ diuturnę in Timotheo, imo fortasse neq; mensium multorum, si quis his omnibus notatis, & animaduersis, attente secum rationem ineat, deinde illius absentiam præsentiam fuisse potius, cum tanta pietate, & vtilitate, atq; ædificatione in charitate plena esset, cum qua non video, quid habeat commune absentia nostrorum omnium episcoporum, vt cum illa comparari debeat. Veniamus iam ad euangelicam illam parabolam de bono pastore, cuius uocem oues audiunt, & ipse oues proprias vocat nominatim, & educit eas, & cum oues proprias emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt uocē eius, &c. Hanc parabolam aiunt isti pertinere ad Christum quo nihil verius, ille enim princeps pastorum Iesus depingitur, atque exprimitur in ea, quod vero ijdem addunt, nostris pastoribus admonitionem tantum esse in hac parabola, non intelligo quid hic appellent admonitionem, nisi fortasse hoc volunt, scilicet consilium esse nostris, vt tales sint, ita vt si tales extiterint, bene faciant, imo optime, sin autem non tales, nō peccent in legem diuinam, quę hoc non pręcipiat, tametsi peccent aliquando, quia faciant, quod non expediat, esto, liceat, sicut scriptum est, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, quod magnus Basilius in iijs ait esse tenendum, quæ non sunt in sancta scriptura prohibita. Verum videamus vtrum huiusmodi admonitio pastorum sit in hac parabola, & in reliqua scriptura sancta, an magis pręceptum. Sane cum præceptum sit Dei, vt cui præcepit pascere, is bonus pastor sit, Siquidem omnibus præcepit, vt perfecti sint, dubitari non potest, quin in pręceptum incidant, quæ bonum pastorem constituunt, qualia sunt, quæ in hac parabola, & in cæteris locis scripturæ sanctæ de pastoribus continentur, hoc autem multos fallere solet alioqui doctos, quod literam ab spiritu non semper distingunt, quæ tamen distinguenda sunt non solum in vetere Te

stamento,

ſtamento,ſed aliquanto etiam in nouo,vt docet multis exemplis magnus Athanaſius Alexandrinus in libro de Cõmuni energia, ſiue operatione Trinitatis,tametſi enim ad ſolum Chriſtum perfecte & abſolute pertineat hæc parabola de bono paſtore,qui eſt verus mediator Dei,& hominum homo Chriſtus Ieſus noſtræ ſalutis auctor,ipſe enim vere cognoſcit oues ſuas,& vere vocat eas nominatim,qui ſolus omnia nouit, antequam ſint, & uocat ea, quę non ſunt,tãquam ea quę ſunt, ipſe ſolus vere poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis,qui morte ſua alioqui morti nõ obnoxius, nos a morte liberauit æterna. Cæterum hæc, aliaque huiuſmodi, quæ vere,perfecte,& proprie in Chriſtum cõpetunt,non faciunt, quin hæc eadem parabola ad alios quoq; bonos paſtores pertineat inchoate & imperfecte, quantum ſcilicet ferre poteſt infirmitas hominis,atque ita pręceptum continere poſſit,vt quidem continet. ſicuti etiam in uetere Teſtamento, quod quidem frequentiſſimum eſt,perfectus ſenſus non tollit imperfectum, verbi gratia, quod ſecundum ſenſum perfectum accipiendum ſit de Chriſti reſurrectione,quod Dauid dixit,Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem vt beatus Petrus nobis interpretatus eſt, hoc non tollit,quin idem ſecundum ſenſum imperfectum hyperbolice, verbis rem ipſam ſuperantibus accipiendum quoque ſit de populo Hebræo,ex captiuitate,ceu ex quodam ſepulchro, ac morte cum mirabili ſopitate,ac lætitia reuocato, & liberato, vt cum ex conſequentia ipſius Pſal.perſpici poteſt, tum ex ſimili figura,qua Ezech. vſus eſt,eandem liberationem prædicens, ecce ego,inquit aperiam tumulos veſtros, & educã uos de ſepulchris veſtris,& inducam uos in terram Irael. Similiter illud Zachariæ, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus,& ſedens ſuper aſinum,& pullum filium ſubiugalis, quod ſecundum ſenſum perfectum intelligendum ſit,vt euangeliſta interpretatus eſt de Chriſto, ita vt res ipſa non ſit minor verbis.ſed potius maior,non tollit,quin ſecundum ſenſum imperfectum, & extrinſecus apparentem verum quoque ſit de Zorobabele rege ex ſemine Dauid, cuius humilis & abiectus reditus ſuperlate,& hyperbolice a propheta deſignatus eſt.Simile eſt illud Oſeę,ex Aegypto vocaui filium meũ,quod primo & perfecte accipiendum eſt, vt euangeliſta interpretatus eſt de puero Ieſu,deinde vero ſecundo loco ſecundũ conſequentiam hiſtorię extrinſecus deſcriptæ,de populo Iſrael ex Aegypto reducto,quem ſępe vocat ſcriptura filium,& filios, vt. 70. verterunt.

runt. ac nisi ita in his, alijsque huiusmodi locis infinitis dicere malimus, necesse est dicamus, repente mutari propositum in prophetijs, & reliqua scriptura sancta sine ulla consequentiæ ratione, quod valde absurdum nonnullis veterum uisum est, ex quibus, Theodorus Antiochenus, in Commentarijs Prophetarum minorum cum alias, tum copiosius in Zacharia, Lex (inquit) umbram quandam continebat eorum omnium, quæ ad Christũ pertinebant, multa igitur eorum, quæ admirabiliter, & præter omnium opinionem siue in viris ad res aliquas gerendas electis facta sunt, scriptura narrat hyperbolice, uerbis ipsis primo aspectu, & ut in promptu sunt, veritate carentibus in ipsis illis rebus, in quibus exponendis posita sunt, at tunc deprehendunt esse uera cum comparantur cum ipso Christo, ad eumq; referũtur, qui cum in omnibus vmbram legis cessare fecerit, veritatemq; introduxerit, merito etiam huiusmodi veritatem demonstrauit, hactenus ille, & plura quæ sequuntur ad hanc rem pertinentia; quæ alias commodiore loco pertractabimus. ergo vt ad rem redeam. ad hunc modum secundum consuetudinem veteris scripturæ, hæc parabola boni pastoris perfecte competit in Christum. tametsi nihil obstat, quominus in alios pastores competat imperfecte, ut facile perspici potest ex ipsa euangelicæ parabolæ consequẽtia, cum.n. dixisset, pastor bonus animam suam dat pro ouibus, statim subiunxit, mercenarius aũt, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quod quidem cum de malis pastoribus dicatur, sicut illud quod dixit ibidẽ, alienum non sequunt, quis dubitare põt, quin hos opposuerit bonis pastoribus, de quibus dixisset illud, bonus pastor, &c. tametsi id vere, & perfecte non nisi Christo Domino nostro conueniat. Quemadmodum quæso, doceret Dominus, quales essent mali pastores, quales uero boni, preteriret? Præterea pertinere quoq; ad nostros pastores hanc parabolam, contineriq; in ea præceptum, videtur mihi declarasse Beatus Petrus prima sua epist. quod .n. Dominus dixit de bono pastore, quod proprias oues uocet nominatim, & educat eas, & cum proprias oues emiserit, ante eas vadat, & oues illum sequantur, quia sciant vocẽ eius, &c. Petrus hunc locum imitatus scripsit ad pastores oẽs, pascite, qui in uobis est, gregem Dei forma gregis facti, hoc.n. est vadere ante oues, & oues illum sequi. s. fieri exemplum, ac formam fidei, & operum ouibus, ut sic

H credant,

credant, & uiuant, quomodo doceat, & uiuat eorum pastor bonus. ex Apostolo etiam intelligi potest pertinere hanc parabolam non solum ad Christum, sed ad alios quoq; pastores bonos, hortans enim presbyteros pastores, siue parochos Ephesios ad boni pastoris, qui in hac parabola descriptus est, imitationē, & exemplum, uidetur mihi ex ea parabola sententias sumpsisse, mutuatusq; esse, itaque quod est in parabola proprias oues vocare nominatim, & educere eas, & ante eas vadere, tanquā ea omnia uigilantiam, & præsentiam spiritus, summamque attentionem in pascendo grege verbo Dei, & exemplo uitæ designarent, sic dixit Apostolus, attendite uobis, & uniuerso gregi. & paulo post, hæc omnia uno uerbo cōplexus, quāobrem (inquit) uigilate, &c. quia uero pastoribus est attendendum, & uigilandum gregi exēplo eius, qui animā suam posuit pro ouibus suis, ita ut sicut idem apostolus dixit de se, nihil subterfugiant, quominus annuncient oē consilium dei, neq; faciant animas sibi pretiosas, dummodo consument ministerium, quod acceperunt a domino Iesu, idcirco pastores dixit esse positos ab spiritu sancto, ut regerent ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, perinde atque diceret, ut pascerent oues, pro quibus dominus posuit animā suam, hoc enim est posuisse animam pro ouibus suis, quod est acquisiuisse ecclesiam sanguine suo, & hoc est scire, siue cognoscere uocem pastoris, audire. s. annunciari ab eo omne consilium Dei, ut dixit Apostolus. Quod autem sequit̃, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorū, Paulus quoq; in eodem ad Ephesios sermone interpretatus esse vr̃, exponens. n. cur bonis pastoribus esset uigilandum, qui (inquit) intrabunt post discessionem meam lupi graues in uos, non parcentes gregi, quod amplius adhuc declarans subiungit, & ex uobis ipsis exurgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se, iam hic uerbis etiam parabolæ vsus est Apostolus, intrabunt (inquit) scilicet non per ostium, sed aliunde, tanquā fures, & latrones, per ostium intrent ad oues ij pastores, qui doctrinam Christi ceu pastum spiritualem tradunt, & omne consilium dei annunciant, qui autem hoc non faciunt, sed potius peruersa loquuntur, ut Paulus dixit, hi sunt alieni, & uocem eorum non nouerunt, & ab eis fugiunt, aut certe fugere debēt, & nullo modo sequi, quamuis illi magnopere studeant, ut alij sequantur, quod apostolus dixit, intrabunt, ut abducāt discipulos post se.

Ostium

Ostium itaque vocauit hoc scriptura Christum, & eius euangelium, sicuti etiam annotauit Photius in scholijs euangelij Ioãnis Ergo sicut Petrus apud Lucam Dominum rogauit, inquiens, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Sic nos rogemus dominum dicentes, ad te dicis hanc parabolã, an ad omnes pastores? profecto si scripturas scrutemur, & conferamus, intelligemus respõderi nobis, parabolam dici ad omnes pastores, etenim si non ad alium quam ad Christum, hæc parabola pertineat, vt isti volunt, neque illud quidem, quod postea sequitur in eadem parabola, scilicet, erit vnum ouile, & vnus pastor, de alio, quam de Christo licebit accipere. At de ecclesia etiam catholica, & vno pontifice accipiunt cum alij veteres patres, tum Cyprianus in libro de simplicitate prælatorum, & in concilijs non paucis sic accipitur. Sed videamus quale sit, quod isti fatentur, actus quidem illos vocandi oues nominatim, & eundi ante eas pręsentiam pastoris desiderare, sed quid hoc aiunt, vt intelligatur, præceptum factũ episcopis adeo immediate, & ad probandum, quod illa munia per alium fieri nequeant? profecto ne intelligere possent, in causa fuit, quod secundum literam extrinsecus apparentem de præsentia corporis omnino accipiendum esse putarunt. nos vero aliter obseruauimus, & didicimus tum ex sanctis scripturis, tum ex earum magnis interpretibus. Docet enim Athanasius multis exemplis, vt iterum dixi, in libro de communi operatione trinitatis illud apostoli literam occidere, spiritum autem viuificare, non solum in vetere testamento verum esse, locumque habere, sed interdum in nouo, vt illud (inquit Athan) qui dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur ei, si secundum litteram intelligamus, & vt ille loquitur κατὰ ῥητὸν videbitur secum pugnare, qui alio in loco dixit, qui me negauerit coram hominibus, negabo ego eum &c. & si illud, omne peccatum, & blasphemia remittitur hominibus similiter intelligatur, quemadmodum cohærebit illud, qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennę ignis, & illud, contumeliosi non possidebunt regnum, multa alia huiusmodi exempla affert, quæ prætereo, ne longior sim, quibus vt dixi, docet, distinguendam esse interdum in nouo testamento literam ab spiritu ad percipiendum sensum scripturæ. quod quidem qui non fecerunt, ijdem, quæ sunt alioqui euangelica pręcepta, consilia, siue admonitiones esse dixerunt, vt illud, si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prębe ei & alteram, quod quidem quomo-

do,& quatenus accipiendum est,sic,& eatenus præceptum est ad vitam communem Christianorum pertinens, quodque seruare necesse est,nō minus quam superiora euangelij præcepta de non irascendo,de reconciliatione gratiæ facienda,de non concupiscenda vxore aliena,de non soluendo coniugio &c. Non enim secundum sensum primo aspectu,& extrinsecus apparentem, sed secundum sensum latentem,id est,secundum spiritum, nō secūdum literam accipiendum est,perinde atque diceretur, si quis te percusserit &c. tantum absit,vt vicem tuam ulciscaris,vt alteram potius maxillam præbeas feriendam, denique præcipitur, quiduis potius perpeti,quam vlcisci,dantes locum iræ, scriptum est enim mihi vindictā,& ego retribuam. pręceptum vero esse hoc, sensit quoque Epiphanius Cyprius. scribens aduersus Ptolemæum hęreticum,quod ex eo tempore ait præceptum esse seruari, ex quo iussit lex Dei,oculum pro oculo, eandem enim vim esse vtriusq; mandati,& eodem vtrumque spectare. Simile est illud,qui vult tecum in iudicio contendere,& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, κατὰ διάνοιαν enim,id est,secundū spiritum precipit omnia contemnere,& relinquere prę charitate seruanda, quod quidem ad vitam communem Christianorum pertinere, non tantum ad perfectionem apostolicam, sicuti nonnulli falso dicunt, negabit nemo,qui recte quæ dico,consideret,pręsertim cum sine charitate,neque cæteræ virtutes quicquam valeant. huiusmodi ergo est, quod nunc preceptum esse dicimus episcopis,imo pastoribus spiritualibus,vocare oues proprias nominatim, & educere eas, & cum emiserit,ire ante eas. Hæc enim sunt propria bonorum pastorum,quales vult,& præcipit esse pastores omnes Dominus,perinde atque præciperet, nihil pretermittere, quod necessariū sit ad cognoscendum γνωστῶς id est,euidenter,& vt ita dicam notorie animas sui gregis,vt Salomō cognoscere precepit, hoc enim credo significat,vocare nominatim oues suas,& perinde atque præciperet,vt Petrus pastoribus precepit,formam,& exemplum gregis fieri in doctrina scilicet & vita, ad quod tametsi præsentia pastoris pernecessaria esse videatur, tamen cum huiusmodi præsentia ad vtilitatem gregis dirigatur,cum magnopere interest ecclesiæ ad tempus breue,aut non ita multum abesse, non quidem dicendum est,solutum esse tunc episcopum, aut pastorem lege diuina de præsentia eius in diœcese,aut ouili suo,sed potius non esse interpretandam,atque censendam absentiam huiusmodi,sed pre

sentiam,

ſentiam, neque enim accipiendum eſt ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritum hoc præceptum de reſidentia perpetua, ſicuti neque præceptum de ſemper orando. Sicut Timotheus Epheſi epiſcopus dum ad tempus breue abfuit a diœceſe ſua paucis quidem menſibus, quantum ex ſcriptura coniectare licet, in Macedonia, Græcia, Iudæa & Italia, non eſt inquam interpretandus abfuiſſe, cuius abſentia tã vtilis erat & neceſſaria ad ædificationem ſuæ, & aliarum eccleſiarum, ſed præſens fuiſſe, neque violaſſe præceptum Dei de aſſidua, atque adeo perpetua paſtoris reſidentia, ſed ſeruaſſe potius, vbicunque enim ab epiſcopo per abſentiam ſuam eccleſiæ ſuæ vtilitas agitur, ibi quodammodo eccleſia eius adeſt. Idem dico, cum neceſſe eſt ad aliarum eccleſiarum vtilitatem non ita diu abeſſe, ea enim abſentia vtilis quoque eſt eccleſiæ propriæ, dum ſic etiam forma gregis ſui factus epiſcopus, in charitate eum ædificat, docens iuuandos eſſe omnes fratres in Chriſto, & omnes eccleſias in vnum vno ſpiritu copulari. Si vero abſentia ad tempus non ædificat eccleſiã, aut eccleſias, nam perpetua nulla poteſt non eſſe eccleſiæ propriæ incommoda, & peſtifera, tunc omnino abeſſe cenſendus eſt. Quæ quidem abſentia ſcelerata eſt, & perfidię plena, atq; charitatis inimica. Cum enim paſtor nõ iam ſuus ſit, vt Athanaſius ad Dracontium monachum recuſantem epiſcopatum, ad quem fuerat electus, ſcripſit, ſed eccleſiæ ſuæ, cui electus, & præpoſitus eſt, non ſibi iam, neque commodis, rationibuſque ſuis, neque voluptati, atque gratiæ hominum viuendum, ſeruiendumque eſt. nemo autem qui non velit ſibi viuere, & ſua quærere, & non quæ Ieſu Chriſti, aut hominibus placere, perpetuo, uel diu aberit, neque enim licet, niſi quantum requirere videatur eccleſiæ, aut eccleſiarum ædificatio in charitate, quod non poteſt eſſe longum, & diuturnum. Quamobrem quod ſtatim ut epiſcopi in collegium Cardinalium cooptantur, eorum epiſcopatus uacent, clariſſimum eſt, ut mihi quidem uidetur, eccleſię Romanæ pręiudicium, ut munus, parteſque eorum eſſe omni tempore præſto adeſſe pontifici tanquam conſimiliarios, adiutoreſque eius in onere ſuſtinendo, ita non poſſe commiſſas eſſe eis alias eccleſias, neque poſſe eos ſolui lege reſidendi, quia diuina ſit, quare eligendos eſſe alios epiſcopos, qui eccleſijs illis, & populis præſint, ſintque ipſis populi commiſſi, interim uero commendari iſtis cardinalibus eccleſias huiuſmodi, dum proprius cuiuſque epiſcopus eligitur. uerum itaque eſt, aut non teneri,

neri residere Cardinales, si non amplius habeant diœceses commissas sibi tanquam episcopis earum, sed si ita est, rursus uerum est, neque ipsos intrare ad ouilia, neque sinere alios intrare, dum ista sua commendatione occupatos tenent episcopatus, tutoresq; potius ecclesiarum, & populorum tanquam uiduarum, uel pupillorum, quam pastores, sponsos, atque patres. aut si sibi ut episcopis adhuc commissas habent diœceses, & ecclesias, quod magis credo, siquidem nullam renunciationem fecerunt, illa.n. commendatione hoc illis cauetur solum, quod ipsi etiam Cardinales confitentur, ne propter absentiam Cardinalis uacet episcopatus, cum ad tempus canonibus præscriptum, ac definitum nō adfuerit in ecclesia, siue diœcese sua, si inquam commissas habent ecclesias tanquam earum episcopi, profecto residere tenentur, aut certe facere meo iudicio, quod in Lateranensi concilio Innocentio tertio Pont. decretum est de dignitate, cui est annexa parochia, ut scilicet seruiat in maiore ecclesia, & in parochia uicariū ponat perpetuū, & canonice institutū, quod nihil aliud est, quam conferre parochiam, perpetuitas enim & canonica institutio non tam substituti, ut loquuntur, quam proprij parochi conditiones sunt, idem arbitror Cardinales facere debere, seruire inquam semper in ecclesia catholica Romana, & renunciatione facta, atque assentiente populo substituere pastores perpetuos, auctoritate pontificis canonice electos, & institutos, id est, proprios episcopos, non autem ponere istos, quos appellant suffraganeos, quibus ad actus quosdam episcopales, vt ordinandi, & confirmandi tantum utuntur, sed proprios inquam, quos populi sciant, ministerium a Christo per pontificem suum accepisse, positosq; esse ab spiritu sancto episcopos in ipsis ecclesijs, quas regunt, ut sic populi magis sint obedientes, & eorum episcopus uigilantior, & attentior, tanquam rationem redditurus de suscepta sibi a Deo cura animarum. Ergo ut ad parabolam, euangelicam boni pastoris redeam, satis me demonstrasse arbitror, in ea non admonitionem solum, ut isti uolunt, sed præceptum nostris pastoribus contineri. id quod Augustinus etiam sensit in libro de Pastoribus, quæ sunt (inquit) oues meæ, audiunt uocem meam, & sequuntur me, hic inuenio omnes pastores bonos in uno, non enim boni pastores desunt, sed in uno sunt, multi sunt qui diuisi sunt, hic unus prædicatur, quia unitas commendatur. Neque.n. ideo uere taceantur pastores, & dicitur pastor, quia non inuenit

Dominus

Dominus cui commendaret oues suas, tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit. Imo uero & in ipso Petro unitatem commendauit &c. An non significat plane pertinere hāc parabolam ad omnes bonos pastores? Commendariq; in ea illis oues, sicuti commendatę sunt Petro? Petro autem quomodo cōmendatæ sunt, nisi præcepto pascendi illas in charitate? amas me, inquit, pasce oues meas. Non dissimile est, quod ijdem aiunt, pascite, qui in uobis est, gregem, hoc uel monitum, vel præceptū esse, non quidem Dei, sed Petri apostoli, verum hoc quod Petrus præcepit, præceptum Dei esse, ut uel ex ijs, que supra dixi, perspici potest, omnino debet concedere, qui cōcedat, præceptum Dei esse, quod eidem Petro dictū est, pasce oues meas. His enim verbis, vt vnum uniuersæ ecclesiæ pastorem constituit, ita uis illorum uerborum ad cæteros omnes manauit, quibus idem Dominus de hac Petri gratia, id est, de hac pastorali potestate dedit. Sic docent sentire, & loqui sancta scriptura uetus, & noua. Sic ecclesia sancta Dei, & eius formulæ rituales, sic sancti doctores cum alij, tum Athanasius, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Damasus, Augustinus, Leo magnus, ipse enim Dominus est, qui, ut est in pręfatione consecrationis episcopi, constituit episcopum super familiam suam, ipse tribuit cathedram episcopalē, ipse est, qui auctoritatem pascendi dat, ipse inquam est, qui præcipit pascere, & attendere gregi. Quare cum ait Paulus præcipiens, attendite uobis, & vniuerso gregi, profecto dicere potuisset, ut aliàs loqui solet, præcipio non ego, sed Dominus, attendite gregi, siue pascite. imo ut hoc significaret, statim subiunxit, in quo uos posuit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, perinde atq; diceret, non hoc meum præceptum est, quod attendere, & pascere præcipio, sed eius, qui fecit uos episcopos, & pastores, id est spiritus sancti. Quare desinant obsecro, imo obtestor nouitates verborum, qui aiunt pręcepta Pauli non esse pręcepta Christi, desinant scandalum fratribus, pro quibus Christus mortuus est, creare. Qui enim audit, non esse præceptum Dei, quod Petrus, & Paulus pastoribus præceperunt, pascere scilicet, & attendere gregi, facilius ministerij sui opus negliget tametsi cum magno suo, & ouium suarum malo. Quod quidem ut persuaderent, non esse scilicet hoc Dei præceptum, falsa inductione similiū vsi sunt, idem in omnibus peccantes, id est, falso ponentes pręcepta Pauli non esse Christi precepta, verum hoc dicunt, ne secum discreparent,

rent,aut ſui diſſimiles eſſent,qui prius dixerant, legem Moiſis nõ eſſe proprie legem Dei. Hæc ergo ſimiliter uolunt non eſſe Dei precepta,mulierem non orare,aut prophetare,niſi uelato capite, epiſcopum eſſe unius uxoris uirum, & Deo militantem non implicare ſe negotijs ſecularibus, & alia (inquiunt) non pauca, que apud ſolum Paulum leguntur, qualia fortaſſe diceret, epiſcopum non neophytum, nemini cito manus impoſueris, fidelem coniugem ab infideli non diſcedere, ſi conſentiat habitare cum eo. Item mulierem non docere in eccleſia, in quę quidem competat illud,dico ego,non Dominus. que tamen qui dicit pręcepta Dei non eſſe,fratribus ponit offendiculum, Sunt enim precepta Dei,non minus quàm ea,que leguntur in euangelijs, hoc intereſt. quod illa prius precepta ſunt a Domino, quando ſcilicet Dominus docebat,& euangelizabat, hec uero ab eodem Domino per apoſtolum ſpiritũ Dei habentem, quod ex ipſo Paulo intelligi poteſt. quia enim in euangelio erat lex de matrimonio non dirimendo, repetens Apoſtolus magiſque explicans legem illam,ijs (inquit) qui matrimonio ſunt iuncti, præcipio non ego, ſed Dominus,perinde atque diceret,non ego primus, ſed Dominus ante in euangelio ſuo,quod predicauit. quia vero de coniugio duorum,quorum alter eſſet fidelis, alter vero infidelis, nihil erat in euangelio, ipſe de eo ſanciens, nam ceteris (inquit) ego dico, non Dominus, non in quam Dominus per ſe, ſed per me hoc docuit,ſic enim Chryſoſtomus in lib.de Virginitate cap. 13. interpretatus eſt, perinde atq. diceret Paulus, ut Theodoritus, Chryſoſtomum ſecutus,in Comment. epiſtolarum Pauli ait,non inuenio hanc legem in euangelio Chriſti, ſed eam nunc ſtatuo, neq. me hoc docuit Dominus ἐγγράφως ſed ἀγράφως,id eſt,non didici hoc ex ſcriptura,aut predicatione Domini,ſed ſine ſcripto,& uoce,ſpiritu docente,quod uero leges Pauli, Chriſti leges ſint,norunt,inquit idem Theodoritus,qui in literis ſanctis eruditi ſunt, ipſius enim eſt illud. an experimentum queritis eius qui in me loquitur Chriſtus? & illud, dico ego per gratiam Dei, que data eſt mihi,& alias, Si quis propheta eſt, aut ſpiritualis, cognoſcat que ſcribo,quoniam Domini mandata ſint, item illud, exiſtimo autem,quod & ego ſpiritum Dei habeam. neque uero qui hoc dicit,idem,ut iſti fingũt,iura eccleſiaſtica,& ciuilia,iura diuina eſſe dicat,quia eius afflatu condita,& ſcripta ſint,qui dixit per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, cum nemo

eiuſmodi

eiusmodi legislatorum certus esset, dum iura ciuilia describeret, quod spiritus sanctus per eum loqueretur, ut erat Paulus apostolus, neq; quisquam eorum tūc dicere potuit, in se loqui Christū. Non itaque ponenda est in sanctis scripturis connexio ex praeceptis Dei, & ex praeceptis hominum separatim, ut faciebat Ptolemaeus haereticus, sed omnia praecepta scripturae sunt, & dici debent Dei praecepta. scio aliquem ex ueteribus idē sensisse, quod modo isti, Originem dico. & alios eum secutos, quos, ne sim longior, non commemoro. sed quę male ueteres docuerunt, aut corrigenda sunt, aut certe non imitanda in ijs praesertim, quorū opera cum auctoribus damnata sunt haec itaq; sunt Origenis ex Homilia Num. 16. & per Moisem quidē multa locutus est Deus, aliqua tamen & Moises propria auctoritate mandauit, quod Dominus in euangelio euidentissima ratione secernit, cū dicit de repudio mulieris interrogatus, quia ad duritiam cordis uestri scripsit uobis haec Moises, ab initio autem nō fuit sic. & paulo post, uides ergo & hic Deum quidem non praecepisse, neque uoluisse fieri diuortium, Moisem uero propter duritiam cordis Iudaeorum scripsisse, dandum esse repudium. ostendit haec, & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam, Dominus dicit, non ego, & de alijs, hoc autem ego dico, non Dominus, & iterum in alijs. preceptum Domini non habeo, consilium autem do. & iterum, quae loquor, non loquor secundum Deum, unde similiter etiam in ceteris prophetis aliqua quidem Dominus locutus est, non ꝓphetae, alia uero prophetae, & nō Dominus. haec Origenes. Equidem ut hic in origene Ptolemęum agnosco, sic in istis qui sic sentiunt, origenem. hoc ergo fefellit eus, qui falso putarunt non esse haec, de quibus loquimur, & alia huiusmodi praecepta Dei, primum, quia non intelligebant, quid sibi uellet, neque quorsum illud, dico ego, non Dominus, & illud, praecipio non ego, sed dominus, & rursus, praecepta mea tenetis, & similia. Deinde, quia uidebantur huiusmodi praecepta solui posse, & solere aliquando ut in neophytis episcopis. & non unius uxoris uiris, & in ceteris similiter, quod fieri non posse putabant, si diuina essent. uerū cū spiritualia sint praecepta, spiritualiter sunt examinanda, & sic examinat, qui spiritualis est, ac tunc quidem facile cognoscunt mandata Dei esse, non itaque iudicandum est secundum faciem utrū sit hic unius uxoris uir, sed spiritualiter iudicandum utrum talis, ac tam rarae pudicitiae, tantaq; spes futurae cōtinentiae tantusque

fructus ex eo expectetur, tãtaq; sit eius viri necessitas in ecclesia sancta Dei, ut merito haberi possit, & debeat unius uxoris uir, quamuis semel, & iterum uxorem duxerit, aut semel uiduam, aut non virginem, ut meretricem, uel uiolatam. propter præiudicium enim futurę incontinétiæ prohibetur sacerdotio, & episcopatu, qui non est unius uxoris uir, ut ex Innocétij primi epist. 2. intelligi potest. Is enim sanciens, ne clericus uiduam ducat, ne (inquit) hoc præiudicio impeditus, non possit ad sacerdotium peruenire. Idem in eadem epistola, unius (inquit) uxoris uirum dixit non permanentem in concupiscentia generandi, sed propter futurã continentiam, quare in his cum cã præcepti non inest, neq; vis præcepti remanet. Similiter dicatur in præcepto de arcendo neophyto ab episcopatu, quod quidem præceptũ Dei est, licet in solo Paulo legatur, cum. n. neophytus prohibeatur, ne sicut Apostolus ait, in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli, id est, ne damnetur, propter quod dãnatus est diabolus, ne inquam, honorem datum in occasioné superbiæ uertat, sicut diabolus ex honore dato occasionem superbiæ arripuit, cum in quam, propter suspicionem futuræ elationis neophytus prohibeatur, profecto in quo nimia modestia spectata fuerit, is haberi potest non neophytus, neque in eo, si episcopus, aut sacerdos fiat, præcepti violatio fuerit, sed interpretatio potius, ut in iuramentorũ; & votorum dispensatione, quę alioqui lege diuina sancita sunt. ergo hoc Christi præceptum a Paulo primo prædicatũ & scriptum de neophyto arcendo, non secundum literam, sed secundum spiritum diiudicandum, & custodiendũ, ut custoditũ, seruatumq; est in episcopis neophytis sanctissimis viris Thalassio Cæsariensi, Nectario, Tarasio, Nicephoro eius successore, Flauiano, Ambrosio, & primo omnium Cypriano, ut Pontius eius diaconus, idemque martyr in uita eius scribit. neq; vero solum neophyti sunt, qui dudum conuersi sunt, sed etiam qui ex ordine laicorum repente in ordinem sacerdotum, aut episcoporum ascendunt, ut Nicolaus primus in Epist. ad Michaelem Imperatorem interpretatus est, quod etiam Apostolus prohibuit primus, cum præcepit, nemini cito manus imponere, Vim itaq; huius præcepti de neophytis arcendis, & similium, quæ pendent ex causa, explicauit Ambrosius epist. 82. Is enim loquens de sua ordinatione lib. 10. epist. quam resistebam, inquit, ne ordinarer, Postremo cum cogerer, tamen ordinationem meã occidẽtales

iudicio

iudicio probarunt,orientales vero exemplo, & tamen neophytus prohibetur ordinari,ne superbia extollatur,si dilatio ordinationi defuit,vis cogentis est. Si non deest humilitas competens sacerdotio,vbi causa non hæret,vitium non imputatur,hactenus ille. Iam vero in alio exemplo, quod addunt isti, nemo militans Deo,implicat se negotijs vitæ, siue sæcularibus, dupliciter peccant,primum,quod hoc similiter atque alia,de quibus ante diximus,non præceptum Dei,sed Pauli esse aiunt,deinde, quod inter ea numerant, quę in solo Paulo leguntur, qualia sunt superiora, cum tamen in euangelio Lucæ legamus, cauete ne grauentur corda vestra crapula,& ebrietate,& cogitationibus sæcularibus, ita.n. vertit,aut legit Leo magnus in serm. 8. de ieiunio decimi mensis,deinde subiungit,quod vtique præceptum ad nos specialius pertinere cognoscimus, ne quemquam curis sæcularibus inueniat implicatum. idem quoque annotarunt Photius, & Oecumenius,scilicet esse hoc præceptum presbyteris & episcopis,quę vero sint huiusmodi negotia sæcularia ecclesiasticis præcepto Dei prohibita,vtrũ mercatura,& negotiatio,vt Theod.& Chryst. interpretantur,idque,vt existimo, non solum propter distractionem animi,qua abundat omnis negotiatio,sed propter segetem, atque materiam multam peccandi in ea,sicut scriptum est in sapientia Syrach. vix effugiet peccatũ mercator, & alias in eadem sapientia,inter emptionem & venditionem exercebitur peccatum,vtrum ergo negotia sæcularia mercatura,& negotiatio sint, an etiam tutelę,& curationes testamentorum,quæ Cypria.lib.1. epist.9. clericis interdicta esse dicit,an etiam cum vxore consuetudinem habere & liberis operam dare, an alia quoque similia, hæc inquam,& alia quæ ad huius præcepti interpretationem spiritualem pertinent,non est nunc tractandi locus, neque tempus, illud satis est, quod ad propositum spectat, esse hoc præceptum Dei,& Pauli,immo non esse Pauli,vt Paulus loqui solet,ita vt Paulus primus,hoc pręceperit,sed Dominus prius, ita vt dicere potuerit apostolus,præcipio non ego,sed Dominus,nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus &c. Item quod præceptum est mulieribus de velando capite, præceptum quoque Dei est, per Apostolum spiritum Dei habentem primo traditum,ac prædicatum,quod quidem eodem spectat, quo muliebris coma, & pręceptum de ea non tondenda scilicet ad recordationem subiectionis,vt Gang. Concil. declarauit,si qua(inquit)mulier,vt reli-

giosa habeatur, comam tondeat, quam deus dedit ad recordationem subiectionis, sit anathema, tanquam scilicet præceptum subiectionis quodammodo violaret, quæ Symbolũ eius a natura datum, deo ita instituente, tolleret. quod si tondeat ob aliã cãm honestam, vt valetudinis, aut vt careat curę, & studio capilli curãdi, atq; vt sit Symbolũ, siue signum, quo admoneatur, obous renũciasse uoluptatibus, non uiolabitur tunc hoc dei pręceptum. vbi enim causa non hæret, uitium non imputatur, ut Ambrosius dixit de approbatione suæ properatæ ordinationis, cui etiam cito contra pręceptum apostoli manus impositæ fuisse videbantur. Similiter pręcipit viris Apostolus, quod in eo tantum legitur, & per Apostolum Dominus, ne comam nutriant scilicet propter religionem, sicut Messaliani hæretici faciebant, religio enim comæ non tondendæ, Nazoreorum tantum erat in typo Christi uẽturi, si quidem comam ferebant in capite propter uotum, donec veniret impletio eius, uerum aũt uotum, siue optatum mũdi erat Christus caput nostrum, quare cũ typus trãsierit, & uenerit ueritas, naturæ repugnat, & contentione, atq; studio legis agere videbitur, qui propter religionem dei comam nutriat. ad hunc modũ interpretatur Epiphanius scribens contra Messalianos. Ratio vero cur idem Apostolus viris præcipiat aperto capite orare in ecclesia, quo uiri, & mulieres cõuenire solent, est recordatio, quod vir est caput mulieris, quod enim supra est, nudum & patens est, sicuti quod infra, siue subter, tectum est, vt mulieribus præcipit tecto esse capite ad recordationem subiectionis, utraque enim recordatio plurimum ad concordiam ualere uidebatur, quam symbolis publicis commendari uoluit, & pręcepit. Tradit idem Epipha. in eodem loco canonem esse Apostolorum de non tondenda barba, quem quidem canonem præceptum diuinum idem auctor appellat, causam uero præcepti huius significat fuisse, q̃a sit barba tota virilis, & uiros decẽs, quæ quidem causa ex ijs, quę sequũtur in canone, colligi potest, statim enim prohibet, meretricio more ornari, vt iam ubi nihil sit molle, neque effœminatum, neq; suspicio, aut species mollitiei, ibi non sit uitium tondere barbam, neque ulla præcepti huius existat violatio. ne sim longior, non persequor cætera huiusmodi præcepta, quę isti non pręcepta Dei, sed Apostolorum admonitiones, aut statuta ut de pascẽdo grege a pastoribus suo more appellabunt incidentes in Epiplocem Ptolemæi, quam supra dixi. satis sit annotasse hæc, quę

mandata

mandata Domini sunt,& vim habent, quam diu causa mandatorum existit, vbi vero non existit, neq; uitium violationis existit, quamuis non seruari videantur, quod quidem istos, ut existimo in primis fefellit, oportebat autem spiritualiter, omnia dijudicare,& singulorum causas inquirere. Præterea, ut suadeant, non teneri episcopos lege diuina adesse in suis ouilibus, & populis, fingunt, non potuisse per alios prædicare Apostolos, quia eorum (inquiunt) prædicatio pro infidelibus erat ad conuertendum gétes, episcopos uero posse, quia eorum prædicatio pro fidelibus fit, episcopo enim dici, vade, & prædica populo dei, Equidem (ut alios taceam) Paulum legimus prædicasse quidem ubi non fuerat nominatus Christus ab Hierusalem, inquam, usque ad Illyricum per circuitum, item prædicasse Romæ, ubi iam Christus prædicatus fuerat prius, quod ipse testatur, cũ ait ad Romanos scribens, desidero videre vos, vt aliquid impertiar uobis gratiæ spiritualis ad confirmandos uos, scilicet significat uerbum confirmandi, prædicatum fuisse illis ante euangelium, sic enim de eo in Actis scriptum est, profectus est perambulans Galatiam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos, s. quibus ante prædicauerat, fuerat (in quã) prius prędicatum Romanis a beato Petro, vt veteres auctores tradunt, cum alij, tum Leo magnus in sermone de Natali Petri, & Theodoritus in Commentarijs epist. Pauli testantur. Non ergo Apostolorum prædicatio pro infidelibus tantum erat, ut isti fingunt, neq; uerũ est non potuisse eos aliquãdo per alios prædicare, cũ ipsi non possent esse in pluribus locis. Sic Paulum legimus misisse Timotheum ad Philippẽses, ut. s. eos exhortaretur, & prædicatione sua confirmaret. Et si episcopus aliquis nunc ad infideles mitteretur, ut eos per dei gratiam conuerteret, eorumq; pastor esset, non enim dicitur episcopo, vade, predica populo dei, ut isti dicunt sed populo tibi commisso, an non esset dicenda hec predicatio epi pro infidelibus? imo uero hic non solum eps sed Apls, id est, missus, uocari posset, sicut Paulus uocauit Epaphroditum Apostolum Philippensium, hoc est, episcopum, ut Theodor. interpretatur, uel quod uerius puto, Apostolum, id est, missum ad eos consolandi, & exhortandi gratia. Hippolytus enim martyr in libro, quem de 70. discipulis domini scriptum reliquit, fuisse hunc tradit e numero 70. episcopũ uero Andricij. Iam quod afferunt Valeriũ episcopum Hipponẽsem substituisse Augustinum, idemq; fecisse alios sanctos uiros,

quod

quod quidem non liceret (aiunt) si diuino iure sancita esset episcopi residentia, fatemur fecisse hoc Valerium ingrauescente ęta te, tametsi illud non recte factum sit, quod Valerio adhuc viuente, & episcopo, cum eo August. sederit episcopus cōtra octauum Nic. Con. Can. quod idem Augustinus per imprudētiam suam, & Valerij, factum esse confessus est, cum publice omnibus appro bantibus Eradium sibi post obitum suū successorem episcopum designauit. atq. vtinam hoc tempore episcopi, cum perpetuo re sidere non possunt, optimos successores episcopos sibi designarent, aut designari postularēt, qui, episcopo loci absente, adessent ipsi semper, quisq. in diœcese sibi designata. hoc Petrum fecisse, auctor est Damasus, & sanctus Epiphanius, quia (inquit) Petrus & Paulus sæpe ad alias regiones, & prouincias proficiscebantur, neque poterat Roma esse absque episcopo, idcirco constitutos esse episcopos Romæ illis adhuc viuentibus, hos autem fuisse dicit Linum. & Cletum, quales vero episcopos Romæ fuisse. Petro superstite, intelligere debeamus, Damasus, & Ioannes III. docue runt, non quidem episcopos primos, sed episcopos adiutores pri mi episcopi. primus enim non potest esse nisi vnus, neque vnius loci plures. Ad hoc credo missum esse ab Apostolo Artemā, aut Tytichum ad Titum, cum misero ad te inquit Artemam, aut Tytichū, festina venire ad me Nicopolim, ibi enim statui hiemare, si non erat remansurus hic, aut ille, quorsum itineris, & nauigationis periculo, ac labore fatigare eos voluisset, si tantum per eos ac cersere Titum volebat, quod iam satis per literas ipsas faciebat? pręsertim tales, ac tantos viros e numero 70. aut Hippolytus tra dit, quorum alter, id est, Artemas, episcopus Lystræ fuit, Titychi vero duo fuerūt, alter Colophoniæ episcopus, alter Calcedonis. Similiter cum Timotheum accersit, & festinare iubet, Titychum se ait iam misisse Epesum, quorsum vero nisi vt Ephesi remaneręt? ne scilicet ciuitas esset sine episcopo. Hæc exempla faciunt, vt credam, non quidem vt nonnulli suspicantur, esse inutiles, & otio sos episcopos sine potestate populi commissi, quos vocant titula res, imo pernecessarios, vt præsto sint ad ministrādum ecclesiis, cum ad ædificationem spiritualem proprios earum episcopos abesse necesse erit, in quibus deligendis nō minus diligentiæ adhiberi vellem, quam si statim ad proprias ecclesias regendas mitterentur, ita vt quisque eorum dignus sit, cui dicatur, accipe euan gelium, & vade, prædica populo tibi commisso, uel committendo,

do, nihil enim referre exstimo, non committi statim populum, aut committi eum, cuius adeundi, & regendi non sit potestas vlla propter barbaros, & infideles. Et si fortasse conueniret, huiusmodi episcopos non prius fieri, quā propter absentiam proprij episcopi ad tempus, necesse esset alium episcopum mittere, ne populus sine episcopo maneret, sic enim pauciores fierent, & fortasse meliores, & non viderentur ordinati omnino ἀπολελυμένως, vt Græci dicunt, id est, sine titulo ecclesiæ, quod prorsus in presbyteris etiam, ne fiat, cautum est, si non fierent nisi propter necessitatem statim administrandi ecclesias absentibus proprijs earum episcopis, ex his igitur essent, qui postquam proprij episcopi ad ecclesias suas reuerterētur, episcopi existerēt sine diœcese, quales sunt titulares, quorum tanta nunc multitudo, & tam inutilis est, qui dici possunt ordinati absolute, quod Damasus ait in epistol. de chorepiscopis. omni auctoritate episcopali carere. Nihil. n. ut dixi, refert non habere diœcesim, aut eam assignari, cuius non possis esse compos. fuisse autem aliquando episcopos sine proprijs ecclesijs ad tempus, Artemam, & Titychum, illud me mouet, ut credam, quod non uideatur uerisimile, relictis suis ecclesijs, ad alienas missos fuisse, imo eundem nunc ad unam nunc ad aliam, ut Titychum fortasse nunc Cretam, nunc Ephesum. neq; puto tantos alioqui uiros e numero 70. tanquam simplices uicarios missos esse administrationem ecclesiarum aliquot fortasse mensibus sine potestate constituendi presbyteros, si uideretur, & faciendi quicquid ad episcopum pertineret. contendunt adhuc isti, non uiolari legem diuinam absentia pastorum, etiam perpetua, quia per uicarios idoneos prouideri possit, iussisse enim Synodum Lateranensem committere idoneis uiris prædicationes, confessiones, atque uisitationes. Ipsi uiderint quantum habeat ponderis hec ratio, quasi episcopus cum presens est, nō etiam opus habeat adiutoribus bonis, atque ministris, aut per se possit omnes pœnitentes audire, & in omnibus ecclesijs concionari. Grauius erat, & aptius, quod ex eodem concilio Lat. proferre potuissent, quodque non paucis, neq; parum doctis difficile uidetur. Sic enim decretum est. c. 32. qui parochialem habet ecclesiam non per Vicarium, sed per seipsum illi deseruiat, nisi forte prebende, uel dignitati parochialis ecclesia sit annexa, in quo casu concedimus, ut is qui talem habet ecclesiam, uel dignitatem, cum oporteat eam in maiori ecclesia de seruire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum & perpe-

perpetuum ſtudeat habere vicarium canonice inſtitutum, ſi iure diuino ſancita eſt reſidentia, vt quidem eſt, ergo Synodus Lat. decretum facit contra ius diuinum, minime, imo ius tribuit huiuſmodi dignitatem habenti, ut parochiam conferre uideatur, ut iam non tam ipſe parochus ſit, quam patronus, ſiue collator parochiæ, neque ille ſubſtitutus, tam dicendus uicarius, quam proprius parochus, quod intelligi poteſt ex eo, quod iubet Synodus perpetuum uicarium canonice inſtitutum ponere, Perpetuitas autem & canonica inſtitutio non ſunt cõditiones uicarij ſubſtituti, ſed proprij reſidentis, ſicut ſupra dixi. Item eadem Synodus, poſtquam decreuit ne cui liceret habere duo beneficia cum cura, ſubiunxit. hoc idem in perſonatibus decernimus obſeruandum, addentes, ut in eadem eccleſia nullus plures dignitates habere præſumat, aut perſonatus, etiam ſi curam non habeant animarum, circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ maioribus ſunt beneficijs honorãdæ, cum ratio poſtulauerit, per ſedem apoſtolicam poterit diſpenſari. Hoc quoque caput difficile non paucis uidetur, quaſi aliquid contineat aduerſus ius diuinum, ſi iuris diuini ſit reſidentia, uerum non ita eſt. Siquidem extrema huius capitis pars exceptionem tantum continet proximæ partis de pluribus dignitatibus, aut perſonatibus non habentibus curam. Præterea, eſto ſit iure diuino ſancita reſidẽtia, ut quidem eſt, non hoc prohibet, quin liceat aliquando ſi ea ſit perſonæ ſolicitudo, parochiarum uicinitas, non magna frequentia ouium, temporis neceſſitas, raritas bonorum paſtorum, non mediocris ſpes fructus, quin unus regat duas eccleſias, fueritque ea optima diſpenſatio, & œconomia pontificis id concedere, neque concedere modo ſed interdum quęrere, qui eas curas ſuſcipiat. Illud uero maius adhuc argumentum putant, quia poſſit pontifex remouere hinc epiſcopos & aliò transferre, quod fieri non poſſet, aiunt, ſi coniugium eccleſiæ, & epiſcopi immediate fieret a Deo, ſicuti fiat eccleſiæ, & Pontificis, quod ſi non fit immediate a Deo coniugium eccleſiæ & epiſcopi, nõ ergo ius diuinum eſſe, epiſcopum in eccleſia ſua reſidere, id eſt, ſponſum cum ſponſa ſua præſente uiuere ac uerſari. Diximus ſupra conſenſum pontificis eligentis, aut electionem confirmantis, & electi epiſcopi facere uirtute diuina coniugium eccleſię, & epiſcopi, item conſenſum eligentium Cardinalium, & electi pontificis uirtute quoque diuina facere pontificem, qui quia ſummus paſtor, & iudex ſit, id eſt,

vt om-

vt in omnibus præsit, ideo a nemine amplius, quamdiu fide stat iudicari potest, aut mutari, aut priuari, sed potius ipse cæteros omnes iudicare, & mutare episcopos, ac priuare potest. ut ergo non ideo non potest pontifex ab homine mutari, quia fiat a Deo immediate, esto a Deo fiat per ministerium hominum, alioqui lateret, & nos, qui pontificem accipimus, & eum, qui datus est, ut pontifex sit, sed ideo non potest mutari ab homine, quia nemo habeat in eum potestatem, imo ad hoc fit pontifex, ut omnibus præsit, de omnibus iudicet, & de eo nemo, & sic non ideo potest episcopus a pontifice mutari, quia, ut isti loquuntur, mediate fiat a Deo, id est, per ministerium hominum, hoc enim euenit etiam in pontifice, etsi non eodem modo, ut ante dixi. alioqui episcopos quoq; a Deo fieri immediate ostendimus supra, quare non recte concluditur, ideo non esse iuris diuini residere in diœcese episcopum, quia mediate fiat a Deo, ualeret. n. hæc etiam ratio in pōtifice, ut.s. non teneretur iure diuino residere in diœcese sua, id est, inter Christianos, quia mediate fiat a Deo id est, per ministerium hominum, at hoc non concedent isti. Ad hæc, sunt (inquiunt) casus, in quibus licet dubitare, an teneantur episcopi residere, & quatenus, & ideo huiusmodi, quæ uariationem, & dubitationem ex emergentibus casibus accipiūt, determinatio est sapientum, unde non possunt constanter dici iuris diuini, ut diei dominici religio, & ieiunium quadragesimę, & alia huiusmodi, quæ si ita sunt, ergo neque vota, neque iuramenta iure diuino iam sancita erunt, quoniam in ea cadat uarietas ætatis, personæ, materiæ, & aliarum qualitatum, Verum diei dominici quietem canone apostolorum sancitā esse, ac proinde lege diuina testatur sanctus Anastasius Sinaites, is qui sextæ Synodo interfuit, qui canonem recitat, ieiunium uero quadragesimæ inter præcepta diuina nō uno in loco retulit Leo magnus, ut perspici potest ex sermonibus eius de ieiunio mensis decimi, & de quadragesima. Item ieiunia.4.temporum, quadragesimæ Pentecostes, septimi & decimi mensis a Deo instituta, & præcepta esse affirmat, tametsi ante tempora Calixti nōdum nisi.3. tēporum ieiunium exerceretur, ut ex epistola eius ad Benedictum episcopum intelligi potest. idem asserit Ambro. de ieiunio quadragesimæ in suis de ea sermonibus. Item Basilius in 2. homilia de ieiunio, & Anastasius in eo libro quem inscripsit [illegible], & alij quos prætereo. huius itaque ieiunii quadragendialis consuetudi-

suetudinem habet ecclesia catholica apostolorum canone, cuius sancti patres meminerunt, ac proinde iure diuino sancitã, Deus enim (vt ait sanctus Epiph. scribens contra Aerium traditiones ecclesiæ contemnentem) dupliciter docet scripto, & non scripto, quod quidem, inquit, Salomon significauit, cum dixit, audi fili sermones patris tui, & iura siue sanctiones matris tuæ ne reijcias, id est ecclesiæ, quæ in se habet constitutiones, quæ dissolui non possunt, hactenus ille. ualeat ergo cũ cęteris hæc quoq; verborum nouitas, quæ non parum scandali, & conteptus affert, non esse de iure diuino ieiunium quadragesimæ, & obseruationẽ diei dominici, aliaque huiusmodi, & si etiam notanda sunt, & distinguenda, quæ sunt à Christo, & quæ ab apostolis tradita, quæ scripto, & quæ sine scripto, tamen non sunt ex his dicenda aliæ iuris diuini, alia non iuris diuini, idem. n. Deus est, qui vtraq. sanxit, & docuit, siue scripto, siue sine scripto, siue per se, siue per apostolos, neq; refert ad uim obligandi quõ sanxerit, aut docuerit, an per se primum, an per apostolos suos, neutra. n. solui possunt, cum autem solui videntur, dispensatio potius est, & œconomia, quam solutio; aut enim causa non subsistit, aut iam nõ est ita necessaria, aut uariata est, & commutata. Vt in ieiunio 4. & 6. feriæ quod canone apostolorum sancitum est ad recordationem passionis Christi, sicuti Dominus prædixerat discipulis, tunc ieiunaturos cum ab eis esset ablatus sponsus, quod quidem cœptũ est 4. feria, cum initum est consilium de eo capiendo, & perfectum 6. cum crucifixus, quod quidem ieiunium magis erat necessariũ illis temporibus, quam nunc, cum celebratissima est, & in omnium memorijs infixa passio christi. Quare non uiolant nunc ius diuinum, ut mihi videtur, qui 4. & 6. feria non ieiunant, nisi vbi ea consuetudo religio est, ut hodie in Græcia, cum non ita necessaria sit causa, neque tamen hæc variatio facit, ne dici debeat iure diuino sancitum fuisse huiusmodi ieiunium. sed inquirendum potius, utrum nunc eo iure teneamur, & cur non & ubi, Similiter ieiunium quadragendiale fortasse cœpit ab ἀκρεοφαγία tantum id est, ab abstinentia carnis, ut in quodam uetustissimo canone apostolorum reperi, deinde clericis est indictum a Thelesphoro, postea, a Leone magno ĩ. 4. & 6. feria indictũ oĩbus, nunc uero cunctis hoĩbus, & oĩbus diebus, q̃ uarietas nõ tollit, quin ieiuniũ quadragesimæ sit diuini iuris, qđ isti negandum esse putarũt, quia ad pauca respicientes hæc, que diximus, nõ distinxerũt.

Illud

Illud prætereà non dissimulabo, quod ijdem aiunt, Petrum immediate a Christo accepisse potestatem ouium, reliquos uero episcopos a Petro, aut sub Petro, quod, ut inquiunt, dictum esse uolunt propter Apostolos, qui immediate acceperunt a Christo, qui tanquam uerus pontifex Petrum præuenit, fecit que episcopos, cum dixit, sicut misit me pater, & ego mitto vos &c. Ego preuentionem istam, fateor me non legisse nisi in istorum, & aliorum recentium libris, ueteres enim sancti, cum alij, tum Leo magnus aliter docuerunt, is enim in sermone de die anniuersario assumptionis suæ loquens de Apostolis, quibus regendis Petrum præfuisse tradit, si quid (inquit) cum eo commune cęteris uoluit esse principibus, non nisi per Petrum dedit, quicquid alijs non negauit, scilicet, quantum ad ordinem episcopalem, ac pastoralem ministrationem. Et Eusebius Cæsariensis libro. 7. historię suæ ecclesiasticæ, Iacobum ait, primum inter episcopos factum a Christo, & ab apostolis episcopum Hierosolymitanum; & Anicetus in prima epi. tradit episcopos a clericis, quibus præesse debent, eligendos, ab omnibus autem eius prouinciæ consecrandos, si fieri possit, si non posit, a tribus saltem auctoritate Metropolitani, & reliquis cōsentientibus. idq; exemplo (inquit) Iacobi iusti à Petro, Ioanne, & Iacobo consecrati. Valeat ergo cum reliquis nouitatibus hęc nouitas preuentionis, teneamus, ut tandem finiam, relictis fabulis, episcopos omnes immediate a deo per ministerium pontificis, & fieri nunc, & semper antea factos, fieri inquam, ut sicut ait Salomon, animas gregis sui norint ὄψει, id est, euidenter, & pro eis uigilent, tanquam rationem redditurí, presentes, quisque in ouili suo, ut est etiam apostolorum canone sancitum, alioqui nō pastores futuri, sed alieni, & adulterini, qui cum personam Christi principis pastorū gerant, & quod soli Petro tanquam formę pastorum dictum est a Christo, pasce oues meas, ad eos quoque tanquam formas gregis futuros per Petrum ad eodem domino dictū sit, teneamus, debere eos iuxta parabolam euangelij, quę ad omnes pastores dicta est, ante oues ire, & proprias oues uocare nominatim, ex quo fiat, ut iure diuino tum uetere, tū noua scriptura sancito, in suis ouilibus semper residere teneātur, quādiu eorum pastores sunt. ita tamen, ut si ꝓ necessitatem magnam, aut magnam ecclesię utilitatem abesse ad breue tempus contingat, non iam abesse, sed adesse censeant, satis enim fuerit tantisper dum redeunt, absentes quidē corpore

 presentes

presentes uero spiritu esse. aduersus uero pastores eos, qui alius alia causa abesse malunt ab ouilibus suis id est pasci, magis quam pascere, plena est scriptura sancta presertim prophetarum seuerissimis iudicijs,& horribilibus minis, estq; hic locus pernecessarius hoc tempore ad inculcandum, & retractandum frequētissime in libris, in ecclesijs,& in priuatis sermonibus, & a multis, uel exemplo prophetarum, qui idem multi, & unus eadem frequenter absq; uitio tautologię ad utilitatem repetere solent, ex quibus commemorabo visionē illam Zachariæ de supplicio in periuros,& fures, id est in eos tum populares, tum sacerdotes, qui post reditum Babylone, iuramentum de eijciendis uxoribus alienigenis,& reuocandis suis interpositum non seruarent, ut Esdras ipse, qui eos adiurauit, narrat, itē in eos, qui de sacro Thesauro tēpli principibus sacerdotum ab Esdra credito aliquid auerterēt. quę quidē prophetica uisio in figura tunc contigit, ut nunc istis, qui ecclesijs presunt similiter prophetatum putemus, si similiter vixerint, id est si fidelitatem, presentiam, & solicitudinem, quam sponsis suis ecclesijs promiserunt, non prestiterint, & si decimarum, atq; primitiarum mercedem in furtum, aut rapinam uerterint, accipientes scilicet,& non operantes, accipientes (inquam) stipendium, & non militantes . ego vidi, inquit, falcem uolantē longitudinis cubitorum.20.& latitudinis.10. s. magnitudinē, & celeritatem supplicij designat,& dixit ad me angelus, hec maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur iudicabitur,& omnis periurus iudicabitur. Commemorabo pretere a, quod est apud alium prophetam in eos sacerdotes, qui legē de partibus uictimæ sacerdoti assignatis magno studio, & diligētia seruabant, legem uero de inspiciendis uitijs uictime, utrum ceca, clauda, scabiosa, utrum aure, an canda carens, an aliter uitiosa, negligebant, mittam inquit super uos maledictionem,& maledicam benedictionibus uestris, quare non ponitis in cor vestrū? ecce ego separabo uobis armum,& disperdam vētriculum super facies uestras, uētriculum solennitatum uestrarum, & suscipiam uos in idipsum,& paulo post, ego dedi uos contemptibiles,& humiles in omnes gentes pro eo, quod nō custodistis uias meas. an non hec omnia imo maiora mala, & supplicia proposita sint ijs sacerdotibus, atq; pastoribus animarum, qui parum curant uidere? imo & si uelint, quia absentes sunt, uidere non possunt utrū ij, quibus presunt,& quorum habent curam impositam, ceci sint, id est

id est non habentes lumen ueritatis, vtrum claudi, id est, non recte ambulantes, & ad ueritatem euangelij, utrum scabiosi, id est, sanam doctrinam non sustinentes, sed secundum desideria sua coaceruantes sibi magistros, prurientes ipsi auribus, utrum aure careant, id est auertant auditum a ueritate, ad fabulas autem conuertantur, aut audiant quidem verbum Dei, non tamen faciant illud, quod est, non habere aures audiendi, id est, non esse promptos ad obediendum auditis, utrum habeāt cicatrices, id est cauteriatam conscietiam sensu peccatorum suorum amisso. Vtrum careant cauda, id est gubernatione recta, non solum ecclesiastica, sed ciuili, Cauda enim qua auium uolatus, ceu nauis clauo dirigitur, symbolum est gubernationis, quam inde Graeci dicunt οὐραγίαν utrum scissa lingua, id est, non offerentes laudes, fructum labiorum confitentium nomini Dei, denique utrum alijs vitijs affecti sint, quę prohibeant, ne offerant corpora sua hostiam uiuentem sanctam, Deo placentem. tamen qui hæc non curant, ijdem tamen ubicunque terrarum, & locorum sint, decimas, & primitias diligentius, & cautius fortasse curant, quam si præsentes essent. quibus per Malachiam Dominus inquit, mittam maledictionem super uos, & maledicam benedictionibus uestris, benedictiones appellat fructus sacerdotij, & participationes altaris, maledictionem autem supplicium, deinde causam subiungit, quia inquit, non posuistis in cor uestrum, id est, non considerastis, prius honorandum esse Deum, deinde fruendum honore, & fructu sacerdotij, prius (inquam) ministrandum altari, & plantandum uineam, deinde de altari participandum, & de fructu uineę edendum, ecce ego separabo uobis armum, & disperdā ventriculum super facies uestras, separo inquam uobis sacerdotibus, ac pastoribus decimas, & primitias, ipse enim Dominus constituit, ut ministri altaris de altari viuerent. Deinde sequitur, & dispergam super facies uestras, id est, cedent uobis tandem in incommodum, & contumelias, & suscipiam vos in idipsum, id est, vt me inhonorastis, inhonorabo uos, quæso, quid habebunt isti, quod respondeant pro se, & excusent, cum in conspectu Dei arguentur, neglectis ecclesijs, quæsisse quę sua sunt, non quę Iesu Christi? id est non fuisse solicitos pro animabus gregis in fidem suā recepti, pro quo Christus animam suam posuit sed pro lana, & lacte eius? quis eos defendet, cum ante tribunal Christi conscientia eos accusauerit auaritiæ, ut olim dominus apud Esaiam
accusabat

accusabat seniores & principes,qui inter se inquit Hieronymus. differebant,sicut apud nos presbyteri & episcopi,mi popule, inquit,exactores uestri calamos colligunt,& qui exigunt,dominantur vobis,Dominus in iudicium veniet cum senioribus & principibus.vos.n.depasti estis vineam meam,& rapina pauperis in domo vestra. quare atteritis populum meum , & facies pauperum pudore afficitis? quem locum imitatus Petrus,senioribus & presbyteris pręcipit his uerbis pascite, inquit , qui in uobis est , gregem Dei,prouidentes,non coacte,sed spontanee secundũ Deum neq; turpis lucri causa,sed prompte,neque dominantes in clero, &c. & quemadmodum poterunt isti crimen illorum exactorum, effugere,si nimium diligentes fuerint, multumque in eo cauti & prouidi,ut populus decimas etiam ex minimis soluat,quæ autem sunt grauiora iudicium,misericordiam & fidem minime doceãt, neque doctrina neque uitæ exemplo forma gregis facti coram, vt debet,immemores quid Dominus dixerit scribis, & pharisæis, qui ex ruta,anetho & cimino decimas exigebant , quos eosdem puto esse qui apud Esaiam exactores , Illi seniores , & principes, qui similiter neq; calamis parcebant.hæc,inquit,oportuit facere & illa non ommittere,perinde atq; diceret in primis plantandam esse uineã fide,& charitate,secũdo loco de fructu eius edendum, primum pascendum esse gregem,deinde de lacte eius manducandum,dignus est enim,sicut Dominus ait,operarius mercede sua. si quidem nemo militat suis stipendiis. præterea scriptum est in euãgelio,si ergo offeres munus tuum ad altare,& ibi recordatus fueris,quod frater tuus habet aliquid aduersum te;relinq; ibi munus tuum ante altare,& uade prius recõciliare fratri tuo , & tunc ueniens offeres tuum,at hic quis non uidet,quemadmodum non unus,aut duo,sed tota ecclesia habet non aliquid,imo aliqua aduersus pastorem suum absentem propter absentiæ incommoda infinita? merito ergo istis dicit Dominus,quod illis,qui uitia uictimarum non curabant & uxores quoque suas eiiciebant , non est mihi uoluntas in uobis dicit Dominus & sacrificium non suscipiam de manibus uestris. dici enim potest his sacerdotibus similiter atque illis olim,qui uxores suas relinquebant , quæ miseriam suam,& calamitatem lugebant,operiebatis,inquit, altare lachrymis,& fletu.ita ut non respiciam ultra ad sacrificium , neque accipiam quid acceptabile de manu uestra . Vbi ergo sunt , qui istos,priusquam ecclesijs suis, quibus usq; ad lachrymas incommodarunt,

modarunt, satisfecerint absoluunt, imo uero qui se, & illos scelere obligant? De eis uero, ad quos in primis pertinet huiusmodi residentiam pastorum curare, pontificem dico & reges, Deum omnes precemur assidue, ut sicut de Iesu filio Iosedech sacerdote magno, & rege Zorobabele prophetauit Zacharias, consilium pacificum sit inter ipsos cum ad alia bona perficienda, tum ad hoc de præsentia pastorum in sua cuiusque diœcese, & parochia prouidendum, quod ex ipsis & uniuerso gregi Christi tam necessarium est, ut dubitem utrū sit aliud in uita magis, imo certum habeam nō esse. sane euenit hac nostra ætate, quod Dominus per eundem prophetam de malis sacerdotibus dixit, in pastores iratus est furor meus, non enim est alia ira Dei maior, quam, ut est in sapientia, cum corripitur homo a superueniente iniquitate. Superest ergo precari Deum, ut eueniat nobis iam quod sequitur in eodem prophetę loco, & uisitabo agnos meos. ipse ergo uisitet gratia sua & suo spiritu ueritatis doceat semper quæ uera & salutaria sunt, profana uero illa uaniloquia, & scādali plena, quę sicut Apostolus ait, multum proficiunt ad impietatem, & uelut cancer serpunt, quæ satis hactenus confutauimus, sana doctrina & forma sanorum uerborum, quę ex sanctis didicimus, muniti & instructi uitemus diligenter, non esse in euangelio præceptum de residētia episcoporum, nulla Dei iudice episcopos fieri, esse quidem episcopatum inuentum a Christo, singulos tamen episcopos a Petro creari, pontificem immediate esse a Deo, episcopos autem immediate a pontifice, parabolā boni pastoris non esse dictam ad omnes pastores Item illud uerbum, pasce oues meas ad neminē pertinere nisi ad Petrum, & successores, in pontifice nudam electionem esse per homines sine collatiōe potestatis papalis, tum Apostolos factos episcopos per præuentionem a Christo solum sine ministerio petri principis apostolorum, prętererea precepta Pauli, quæ in eo sol o leguntur, quæ isti admonitiones & statuta uocāt, non esse præcepta Dei, similiter legem Moisis non esse proprie legem Dei. ad hęc, canones apostolicos de ieiunio quadragendiali, & quiete diei dominici, & alias huiusmodi traditiones, & consuetudines ecclesiasticas non esse iuris diuini saltem non scripti, hec inquam noua, & ecclesiasticis uiris insolita, & inaudita, aliaque huiusmodi summo studio uitemus, eos uero qui ea aliquando tradiderunt, ac docuerūt, obsecremus cum omni reuerentia, & obtestemur, ut meminerint, quod supra dixi, scriptum a Leone

magno

magno sanctissimo, id quod sapientissimo cuiq;, & optimo conuenit, tunc optime ueritatem defendi, cum opinio falsa a suis auctoribus damnatur, idem me omnium minimum facturum polliceor, si quid hic, aut ubicunque aliàs, & a quocunque errasse admonebor, imo habiturum me illi maximas gratias, ego enim omnes ab errore viæ suæ, sicut me ipsum, liberatos vehementer cupio, ut lex charitatis præscribit, quæ non æmulatur, non perperā agit, non inflatur, congaudet ueritati, quæ omnia sustinet, & omnia sperat in Christo Iesu Domino nostro, cum quo, & per quem Deus pater unà cum sancto utriusque spiritu regnat in secula seculorum. Amen.

PER uiscera Domini nostri Iesu Christi obtestor episcopos omnes, & presbyteros, quicunq. sunt pastores ouium, pro quibus bonus pastor Christus Iesus animam suam posuit, ut has Athanasij Patriarchæ Constantinop. episcopi sanctiss. & sapientiss. epistolas, quas e Græco in Latinum conuerti legant, & relegant attentissime, ex quibus intelligent, spero, non sine magno fructu, quæ sit muneris pastoralis ratio, & lex.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONstantinopolitanus, Episcopo Cretæ volenti proficisci ad episcopatum suum.



HARISSIME mi frater, & comminister, gratia tibi, & pax a Deo. Consilium illud tuum, ac voluntas, quæ ad aures meas perlata est, fortis, virilisq; animi, ac sursum tantum aspiciētis, ueriq; pastoris, vere, ac legitime certantis, & nomini, ac vocationi suæ respondentis uisa est, non aūt mercenarij, & fugientis non solum si lupum videat, sed si vulpem, vnde gregi Christi principis pastorum damnum creet, & animæ suæ infinitos præparet cruciatus. Cur enim iste non potius uitā priuatam viuere maluit, si cogitabat succumbere, seque, nō oues pascere, pro quibus sanguinem suum Christus profudit? quemadmodum non uenit huic in mentem eius, qui maledicto eum affecit, qui opus Domini facit negligenter? quamuis facere, nomine simulet, in cuius alioqui animo insidet, quod de insipiente

scriptum est, qui dixit in corde suo, non esse Deum. neque enim Deum ponunt, qui hæc in conspectu eius facere audent. ex quo rum numero, & ordine faxit Deus, ne simus, ascribatque nos inter fideles dispensatores, concedatque benigne, ut præsto simus principi pastorum, ad perficiendũ quæ oportet, ponamusq; animas pro ouibus eius, qui simul & demonstrauit, & edicto san xit, quod omnibus pastoribus, si quando alias, hodie maxime conuenit, cum non solum lupi graues, impij, (inquam) & hæreti ci, in gregem Domini irruunt, sed ex nobis ipsis, ut Apostolus ait, uiri, & mulieres non uerentur Christianos a Christo distrahe re, & auellere. quamobrem ueris pastoribus non est tutum non uigilare, & non circumquaque omnia lustrare, ouesque errãtes solum quærere, ac non magis solicitos esse pro ijs, quæ non errant, perterritos horum temporum tenebris, quæ iusto DEI per missu, ac iudicis nobis illatæ sunt, quia scilicet non ita uiuimus, ut eum decet, qui nos uocauit. sed O animarum nostrarum detrimentum, O ingentes pœnas nobis ob nostras libidines, & per turbatas uoluntates, quæ hoc malum pepererunt, infligendas, hoc (inquam) malum, ut gens sancta per omnes cãpos, & montes uitio pastorũ absentiũ dispersa, ac dissipata esset. quare, quo celerius istud tuum debitum tibi inspiratum persolueris, sanctũq; propositum perfeceris, tanto cum maiore lucro perfeceris. debent hoc facere omnes boni pastores, quicunque hoc nomine digni sunt, ita ut qui cessarit, non sit impune cessaturus, etenim si quisque pastor in diœcese, quę sibi obtigit, uel biduum more tur, expediri liceat permulta peccata, & damna non esse futura in populo. perinde nãq; esse uidetur gregem abesse a pastore, ut cœcum duce carere. sane augentur oues, & in tuto sunt, cũ præsunt ueri pastores, non autem qui solum ebibant lac, & lana tegã tur, omnique studio, & arte seipsos, non oues pascant. quod malum DEUS ab ouili nostro auertat, multiplicetq; in eo potius quic quid diuinũ est, Deoq; gratum. etenim si quod de te auditũ tantũ est a multis, de tuo ad diœcesem reditu, quod alioqui ab omni episcopo fieri debet, continuo uisum est laudabile, nẽpe oues ablatas fortiter recuperare, non ablatas conseruare viriliter, interdum ẽt alienas adiungere ad nostras, tum errantes, & amissas quoad fieri possit, quærere ac uestigare, & inuentas in humerum magno conatu imponere, ad ecclesiasq; reducere in numerũ eorum, qui ab errore alieni sunt, hæc (inquã), quã grata Deo, & DEO

dediti fuerint? idcirco quod voluisti, quia honestissimum erat laudauerunt cordati, & prudētes omnes, & in primis Imperator ipse, qui non solum approbauit, sed magnifica verba fecit nactus hanc occasionem ecclesiæ utilem, imitatus eloquentissimū illum uirum, cum quo, quoties pro ecclesia illi dicendum est ad utilitatem multorum, nemo orationis suauitate, copia, & elegantia certare potest. & usque adeo, ut dixi, propositum, consiliumque tuum aptum, & congruens uisum imperatori est, ut Synodicis literis, & edicto suo decreuerit, ut ex episcopatu Metropoli Mononbasiensi subiecto ducēti aurei annis singulis tibi redderentur, quo etiam beneficio nos obligauit, ut non solum propter religionem imperatorem laudemus, & pro eo omnes ecclesiastici preces adhibeamus, sed propter uariam, multiplicemque beneficentiam, atque prouidentiam. hoc exemplo factum est, ut episcopus Sardensis præ studio, & cupiditate eundi celeriter ad requirendas oues suas, non excusari pericula, impedimenta itineris, senectutem, temporisque incommoditatem, quas omnes difficultates vicit animus ipsius promptus. quem imperator cum laude dignum iudicaret, & ad debitum munus, atque salutare excitare uellet, prouidit, ut esset, unde illi necessaria commode suppeterent. scilicet suo consilio, & auctoritate perfecit, ut decreto Synodi, & edicto regis, Metymnensis metropolis ei adiiceretur, ut tibi hactenus adiecta fuit, idque duplici nomine, & causa, & ut Metropolita presidio septus esset ad regendum, & ut populus ipse Metymnensium commodius, faciliusque regeretur, ac propter vicinitatem oues scabiosæ curari possent opportunius, tum bene valentes conseruari, & excitari ad honesta opera. Vtrumque enim vestrum maledicto afficit scriptura sancta, si cum sitis pastores, non usque ad sanguinem in ijs, quæ diximus, efficiēdis persistatis. donec vt confidimus, Deus nobis propitius, pacem, tranquillitatem, ac salutem cuiusque pastoris gregi restituat, quod ut faciat, placandus, flectendusque nobis est, & nostris recte factis, obedientia, & vita Christiana implorandus. ita enim fiet, ut legem diuinam seruantes, quæ turpiter viuentes iuste amisimus, precibus Beatæ Mariæ restituantur. Vale in Christo.

ATHA-

ATHANASIVS PATRIARCHA CONstantinopolitanus Episcopo sardensium.

Nostri, quemadmodum sapiētia discipulos suos doceat, ne(inquit)reprehendas sceleratos,ne te oderint, tāquam sapientes, tantum reprehendere oporteat, vt quicunque fratres amant,vicissim amentur,opportune hinc principiū sumpsisse videbor,qui ad te virum sapientem,& in literis sanctis eruditum,scribam.Scio te non ignorare,quæ sanctis apostolis de constitutione rerum ecclesiasticarum sancita sunt,ex quibus vnū est, vt quisque pastor intra suos fines insistat propter pacem,& charitatem, quarum est Iesus arctissimum vinculum, quod solui non potest. scis præterea,vt quales nos essemus, appareret, quibus notis verum pastorem designantibus magnus ille pontifex Christus munus pastoris diffinierit, nempe mutua in illum charitate. Deinde non ignoras ornatum probi pastoris, qui sit animas gregis sui euidenter cogniturus, de quo scriptum est,bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis,& quod Gregorius cognomento theologus edisserit,non unū quemuis discipulum ad euangelium mitti,neque qui mittitur,quomodocunque mitti,sed qui ueritatis,virtutisque studio tantum intentus sit,vacuus, & expeditus omni cura, omnique impedimento liber,sine ære, sine virga,vna tunica,nudis etiam pedibus, tanquam non possint aliter speciosi esse pedes euangelizātium pacem,& cætera bona. Intellexisti etiam,quis sit mercenarius,& qualis,de quo pudet me tum dicere,tum tacere,cum satis ipse status temporum,& rerum eum ostendat,atque coarguat. de quo si attente audiam prophetas, cū in mei similes pastores his verbis inuehunt, pastores pascunt seipsos,nō oues,& illud,o pastores,qui perditis oues pascuæ, itē pretio respondent sacerdotes, sacerdotes legē Domini occultarunt,& legem meam violarunt, & sancta mea profanarunt, item illud,lanis ouium indui,& mactare, quod pingue est, lac bibere, hęc inquam attente audiens,quid faciam,ne metuam eos,qui me redarguunt,& clare ob oculos mihi ponunt,qualis sim?quæ si fabulas putat,qui in ignem illum extremum non intuetur,mihi certe non fabulæ,sed ita horribilia omnia esse videntur, vt horrore exedant,consumantque medullas. neque tamen curamus, facere pro uiribus,ne propter aliquod ex his vitium, ac scelus, con-

ſtricti vinculis arctiſſimis, pœnis ſempiternis afficiamur, ſed potius damus operam uanis contentionibus, iudicijſque ad libidinem noſtrā corruptis, aut ab eo, quod fieri oportuit, abducimur: quæ enim facere ſolent, qui ſtatum eccleſiæ perturbare moliuntur, hæc iſti quæſtus gratia faciunt, ſcilicet cum a principio conſtitutum eſſet, ut bis quoque anno Synodus haberetur, poſtea uero cōmodius uideretur haberi ſemel, ne oues propter crebram abſentiam paſtorū, facile a lupis inuadi poſſent, noſtra nūc ætas, neſcio an aliquid prudentioris conſilij prouidens, an corruptius iudicans, hoc quoque ſuſtulit, unde grauia, & noua mala ſuſcitauit, & curam paſtoralem in pecunias pauperum corradēdas contulit, grege lupis relicto, magna uero diligentia, & uigilantia locum epiſcopi ornarunt, ut deſertis ſuis gregibus apud regiam Conſtantinopolē accubarent, deniq; maluerunt breui uoluptate contenti carni indulgere, quàm cum populo Dei laborare, contemptis legibus diuinis, quæ prohibent, ne pauliſper quidem impune a grege abeſſe. ac niſi ut Apoſtolus ait, inimicus uiderer uerum eloquens, poſſem aliquid uere dicere, quid quæſo, iuuat iſtos epiſcopos, & paſtores in urbe morari, niſi (omittam alia) ut Patriarchas, alios moueant, alios eligant, ne ſi idem diu ſit Patriarcha, res omnes eccleſiaſticæ compoſitæ ſint, quod præclarum facinus ex eo tempore facere iſti conſueuerunt, ex quo Conſtantinopole potiti ſumus. quod quidem cum reliquis malis, non eſt ambiguum, & incertum, quin iram Dei nobis augeat. quādoquidem toleraſſe Deum mundi peccatum didicimus, eremi uero peccatum nequaquam, ſimiliter ueriſſimum eſt, neque paſtores, qui gregem neglıgunt, impunitos, inultoſque diſceſſuros, tametſi fortaſſe non ita uideatur ijs, qui ſponte uelamen obtendunt, ne limatam euangelij ueritatem aſpiciant, Sicuti cum Moiſes legitur populo Iſrael. quos quidem exiſtimabam ſublato iam uelamine, reuelata facie uidere, ſed o calamitatem, & miſeriam. ut tempore ipſo facile mala ſubeunt, quale eſt hoc monſtri, quod nunc ortum eſt, ut reperiantur epiſcopi, qui tantum dent conſilium, ſuamque dicant ſententiam, non autem qui decreta, ſententiamque maiorum tum priuatē, tum publice confirment, & ſanciant. ita ut iam in cauſis pauperum nobiſcum quidem ſentiant, qui pariter iudicant, non tamen in cauſis diuitum, atque nobilium, quamobrem non conuenit mihi cum his conſeſſoribus iudicibus iudicare. Si pax munere Dei, conſecuta fuerit, & concilium frequens cogi

conti-

contigerit, corrigentur hæc omnia, quod si secus euenerit, quandoquidem nescimus, quid proximus dies sit allaturus, iudex ille, qui falli non potest, ecclesiæ suæ consulet. hoc te scire uolui, ne molestum esset uenire. Vale.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONSTAN. Episcopo Apameæ.

GRATIA & pax tibi a Deo omnipotente. existimo te non ignorare, quid Basilius ille magnus ad Gregorium scripserit de eo, ut excluderet mulierculam, quam domi habebat. & quemadmodum iusserit, ut nisi statim excluderet, cessaret ab officio sacerdotali, redditurus Deo rationẽ cessationis, futurusq; cuncto populo anathema, si non cessaret, sed potius absque reuerentia sacra mysteria Deo offerret. quibus verbis demonstrauit, quantum damni, & iacturæ faceret, qui dignitatem adeptus, non exerceret ministerium recte, & assidue. Sunt itaque facta sanctorum patrum exempla nobis, vt quæ nobis facienda sunt, cum ijs comparemus, quæ gratia spiritus sancti per eos aspirauit. in quæ aspiciendum est, vt in solem aspicere solẽt, qui lumen desiderant. quamobrem tibi hoc exemplar insculpimus, vt quando quidem ecclesiam tibi commendari uoluisti, gregem Christi ad pascua viridia, & salubria omni studio agas, & ducas, defendasque eum a bestijs non quibuscunque, sed Arabicis, tum corporalibus, quæ cernuntur, tum spiritualibus, quæ non cernuntur. & vt debet verus episcopus resideas sancte ad sanctam aram, de qua tibi participandum est, sicuti Dominus pronunciauit, dignum esse operarium mercede sua, quamobrem non est existimandum, licere tibi diu quauis de causa abesse. quin potius faciendum tibi est, vt celeriter ire possis ad eam ecclesiam, quæ tibi addita est, & commendata, ut ei pręsis, hoc autem facies, si prius restitui feceris, quæcunque siue te conscio siue non conscio surrepta esse constiterit, ut benigne Deus sua cuique nostrum tribuere uelit, quod erit suo tempore iocundissimum, quæ quidem sublata sunt ab ijs, qui hanc labem episcopis aspergere uolunt, ut dum ipsi alijs insidiantur, & iniurias inferunt, culpa in eos, qui mali pastores sunt, transferatur. alioqui, quemadmodum ire licebit in aspectum eorum, quorum damna & iniurias in humane con-

contempſeris? a quo tamen omni ſe iniuria liberandos eſſe ſperabant. aut quemadmodum cogemus eos, vt magiſtrum ferant, niſi quod Zachæus faciebat, hoc idem nos fecerimus? ille enim ſi quid aliquem de fraudabat, reddebat quadruplum. & Dominus pios omnes iubet ab auaritia abſtinere, quodquidem qui non fecerit, & docuerit, quemadmodum nō erit anathema populo? eſt enim peius non facere hoc, quam quod Gregorius ille, quem dixi, fecit, quanto facilius, & leuius id mali potes corrigere, alioqui vtrumque, imo quicunque non emendantur, a Chriſto principe paſtorum punientur. ergo poſtquā hoc perfeceris, ueni ad nos, vt literis acceptis, a nobis abſoluaris, & confirmatus eas bona conſcientia ad munus paſtorale adminiſtrandum. quamdiu enim nō uereberis hæc, quæ facis, facere, nos quidem, te a diœceſe tua abſente, rei non erimus tuæ uacationis, eorumq; malorum, quæ ex abſentia, & uacatione naſci neceſſe eſt, neq; eorum bonorum interceptores, quæ ſi adeſſes, opere, & ſermone facere poteras, & debebas. Concedat tibi, cunctiſque fidelibus Deus, quod commodum eſt.

ATANASIVS PATRIARCHA Epiſcopo Apameæ.

TERTIO iam ad te ſcribo mi frater, & comminiſter, quando quidem binis meis literis ſuperioribus, quas ad te miſi, non ſtetit uerbum uelut in ore duorum teſtium, ſicut ait ſcriptura ſancta. hortamur ergo te, quia hoc ius poſtulat, ut quæ ſurrepta ſunt, ijs, quibus ſurrepta eſſe conſtat, reſtituātur, ut cum reſtituta fuerint, ipſe eccleſiam tibi commendatam adire poſſis, eumque honorare, a quo cuncta ſunt ita iuſtis & mirificis modis diſpoſita, atq; diſtributa, ut uel grues ſuo tempore canant, neque ſint omni tempore, neq; omni loco graculi. ego uero eum, cui grex Chriſti cōmmiſſus eſt, ſi dignitatem muneris norit, iniquum eſſe arbitror, nō uſq; ad ſanguinem aſſidue ei ſtudere, & incumbere, niſi forte ignorat is, Deum eſſe, qui dixerit, Petre amas me, paſce oues meas. ſed hei mihi, non iam paſtores oues paſcunt, ſed ouibus tanquam pane paſcuntur. iam horribilia illa mala malorum paſtorum, quę propheta Ezechiel deſcribit, ſumma licentia, irrepſerunt. quæ ſi talia, tamque grauia uobis uidentur, age

optime

optime uir, contentus esto tua diœcese, permane in ea, fac sis cũ ouibus tuis, usque ad sanguinem illis affixus, quas quidem nunc in myrtetis, inter ficus, & rosas, atque in montibus diuina prouidentia custodit. neque enim quod certissimum est, virga, & baculo tuo pastorali fit, vt in pascuis uirentibus pacis, & bonorum cęlestis Hierusalem eæ sint. scis enim, qui amplius sex mensibus a diœcese absfuerint, nisi eos grauis morbus teneat, canonibus, & legibus firmatum esse, ut sacerdotium, & gregem amitterent. Verum nouum consilium, & sceleratum hic a nostræ ætatis hominibus excogitatum est. scilicet mittitis aliquem, qui sciat mulgere gregem, ipsi uero in urbe Constantinopoli expectatis propter præfecturas ciuiles, subscriptiones, intempestiuas ordinationes, adde etiam bulas, & decreta, & tanquam impune sit uobis futurum, ita procul a diœcese vobis commissa recedítis, & alia huiusmodi, ut cui quęlibet, committitis. oportebat potius, cũctis episcopis undique in unum congregatis, suam cuique diœcesem funiculo distributionis circumscribi, atque ita patriarchę partem suam a uobis assignari, aut uos a patriarcha priuari. & quid prodest, laborasse vos in deligendo ac constituendo patriarcha, ac postea insultare, & efferri in eum? & uita ipsa, atque factis irridere? nulla, ne ad breue quidem tempus, canonum, & legum ratione habita, quem si uestris fortasse libidinibus resistere uideatis, continuo crimina fingitis, & eum cum infamia, atque dedecore eijcere contenditis. ad quid uero necesse est, ad suam quemque diœcesem ire, propriam dico, aut sibi commendatam, nisi ut lupos inde arceatis? quod si fortasse huc uos incitat, & trahit tum studium, atque desiderium consulendi multorum saluti, idque vobis propositum est, tum scientia tam multa, ut hinc possitis, etiam quæ extra fines uestrarum diœceseon posita sunt, guberna re, ad extinguendam sitim hanc, huiusque studij ardorem veniat in mentem illius, cui plurima sanctarum literarum sciãtia, theologi cognomentum dedit, illiusq; paruæ Sasimorum diœceseos, ita ut uel propter reuerentiam illius excellentis uiri, vel propter æqualitatem honoris, quo contenti esse debetis, quisque vestrum intra suos se fines contineat. quamobrem existima frater, deberi a te hoc usque ad sanguinem, vt cum ouibus tuis sis, & viuas, hoc idem cæteris episcopis studium esto, ipsis quidem, eorumque gregibus salutare. neque enim hoc pręsertim tempore supplicia effugiet pastor, qui cũ grege non laborat, in quem

profecto

profecto conueniat, quod Dominus ait, videt lupum venientem & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit eas, quæ qui non audit, sententiæ huius auctorem contemnit. etenim nisi hoc fiat, quorsum iste vester conuentus? quid commodi affert? aut si quid boni hic agitis, dicite. Ego enim, nisi sacerdotio labem aspergeret oratio, multa demonstrarem indecora, & ab ecclesiæ constitutione aliena, quæ ex isto uestro in hanc urbem conuentu proficiscuntur.

HANC epistolam uerti, ut intelligerent, qui mali pastores sunt tametsi præsentes in diœcese, non licere sibi præsentibus munere pastorali, siue ministerio episcopali fungi, id enim summæ est irreuerentiæ, & scandali plenum, sed præstare absentes esse, at tunc reos quidem esse uacationis suæ, & absentiæ. itaque non licet esse præsentes, si mali sunt & absentes non erunt impune, quia scilicet ipsi in culpa sunt, cur non liceat, præsentes esse, ut quidem esse debent, ita fit, ut præstet eis mori, & ex hoc mundo exire, quam furijs conscientiæ agitatos nusquam absque peccato officij sui sanctißimi consistere.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONSTANT. EPISCOPIS AD DIŒCESES SUAS PROFICISCENTIBUS.

SI quid est aliud necessarium, idq; omnibus, maxime est fratres, & compastores mei, necessarium præsertim magistris ecclesiæ sacram scripturam reuereri, metuere, & diligenti perscrutatione examinare, atq; ad perficienda, quæ in ea mandata sunt, promptos, expeditosq; esse cunctos Christianos, nisi prorsus insaniant. Dominus.n.est, qui hortatur perscrutari scripturas, & ex eis tum præterita, tum pleraq; in posterum futura discere, & docere. vnde salutis suæ cupidis semper studium fuit Moisem, & prophetas audire, Verbum enim iudicat nos, vt is, qui mẽtiri non potest, docuit. quare omnis scriptura diuinitus inspirata salutaris, & utilis est ad examinandum, quod conueniens est, & honestum, & ad erudiendum, atque corrigendum, utilis inquam, non solum ijs, qui turpiter viuunt, sed magis ijs, qui sobrie, & continenter, ijs uero, qui pastorali dignitate, & gradu qualicunque præditi, & ornati sunt, est ipsa uita æterna, & lucerna pedibus eorum, uiaque certissima ad faciendas Dei iustitias.

Ex ea enim didicimus, per quem, & a quo facti, & ad quem ten damus, quibus quidem iniunctum est munus docendi, & non ut cunque, sed ita pascendi, ut eum, qui pascere dedit, vicissim ame mus, scientes, quis est, qui uenit, & iterum uenturus est ad iudi-candum uiuos, & mortuos, & scientes quod pastores, qui Dei pręcepta, uel propter reuerentiam, uel metū, uel propter cha-ritatem ex animo seruarint, ad dextram positi incredibili splen dore fulgebunt, qui vero non seruarint, ad sinistram erunt ad omne genus cruciatuum damnati, & quod est omnium intolera bilissimum, atq; acerbissimum, procul a conspectu Dei eiecti, & perpetuo conscientiæ morsu exagitati. rursus uero, qui munere pastorali recte defuncti fuerint coram angelis, & hominibus lau dabuntur, utpote probi, fideles, & prudentes, atque grati, qui-que sal, & lumen fuerint hominibus, nihil, quod utile, atque cō-modum esset, prætermittentes, qui non uerbis solum, sed factis & uirtutes tradiderunt, & uitia expulerunt, cunctis præcipiētes, ut declinarent a malo, & facerent bonum. ad quod quidem bo-nus Deus legem non scriptam naturæ insculpsit gratis, deinde seruos mittere non destitit, qui nunciarent Dei uoluntatem nō solum inuitatis ad cœnam, & nuptias, sed ijs etiam, qui erant in uijs, & sepibus cum ornatu nuptiali, cæteros enim non sic or-natos uincula, & tenebras manere. ergo quicunque pastores appellamur, demus operam, ut in eorum numero reperiamur quos Deus occulto suo iudicio, quod ipsi soli notum est, ad uocandum inuitatos miserit. obsecro, & obtestor, ne obli-uiscamur, neue iussa, mandataque eius, qui misit, abiiciamus, ac negligamus, sicuti ij, qui corda habent crapula, & solli-citudinibus mundi grauata, & depressa. qui quidem vigilare, & orare iussi sumus, tanquam non aliter futura tormenta vi-tare possimus, neque aliter coram Deo sisti innocentes, osten-suri, utrum minis datis ad mensam negotiati fuerimus, an potius in fundo, atque sudario occultauerimus. ut quidam præ nequi-tia, & ignauia fecisse accusati sunt. horribiles profecto sunt minæ nobis pastoribus propositæ, nisi uigilauerimus, quibus mā datum, commissumq; est, tradere conseruis tum uerbo, tum fa-ctis uera dogmata, & uitę perfectæ normam, tum reposcere ra tionem progressus spiritualis, vigilanter tuba canere, ne rōphea animam alicuius corripiat, alioqui ex manibus nostris repeten-dam, denique incessanter explanare, quæ sit Dei voluntas. &

cum olim ad hoc opus multi missi fuerint; nostrum est timere, ne in labores eorum ingressi, pœnas demus, si minus laboremus: quod utinam ne nobis eueniat, quibus donata sunt, non solum, quæ typis, & symbolis designata sunt, quæque prophetæ atque iusti expetierunt, sed etiā gratiæ dispensatores facti sumus. quare nisi aperto capite munera dei, quæ neque oratione consequi, neque mente comprehendere licet, perpetuo prædicauerimus; quicunque huiusmodi dignitate pastorali præditi sumus, haud dubie in manus dei incidemus, nisi (inquam) prædicauerimus, quemadmodum ex nihilo cuncta Deus effecerit, quam admirabilia existant ex omni parte vniuersitatis rerum in hominem beneficia, quæ nobis promissa, si mandata dei perfecerimus, quæ rursus minæ suppliciorum propositæ, si non perfecerimus. & nisi prædicauerimus, quod qui male uixerunt, irato Deo, ab hac uita recedent, debemus pœnas daturi sempiternas. præterea repetere voces prophetarum, quas illi ad reuocandum a uitijs hominum genus adhibuerunt, item commemorare aduentum Domini, & bona inde profecta, tum mortem probrosam, sepulturam, & reditum ad vitam, ascensum ad cœlos, missionem Spiritus sancti, tributumq; hominibus Spiritum sanctum, Apostolos missos in uniuersum mundum, ut baptizarent, ac docerent, quæcunq; ipse seruare præceperat, quibus se Christus promisit semper adfuturum. Ad hęc, instare diem illius magnæ iræ, & calamitatis propter multitudinem scelerum, quando draco ille ex improuiso ad corrumpendos omnes adierit. Item Eliæ, & Enoch reditum ad incumbendum saluti hominum aduersus diabolum, quem Dominus præsentia aduentus sui destruet. Præterea dicemus de rapiendis obuiam Christo, quando cœli magno impetu transibunt, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurent. quæ quidem cum expectentur, quales quæso, ac quam sanctos nos esse oportet? debemus etiam cōmemorare iudicium extremū, subsellia apposita, præsidentem iudicio antiquū dierum, libros apertos, fluuium ignis. deinde eos, qui ad dexteram erunt, commendatos bonis operibus processuros in resurrectionem uitæ, eos uero, qui ad sinistram, processuros in resurrectionem iudicij. hęc sunt, quæ a nobis sunt semper populis inculcanda, & honestæ uitæ exemplo commendanda, atque consulenda, quæ quidem cum Deo, nos copulant. Hoc est illud euangelii, bonos, fidelesq; dispensatores dare conseruis suis in tempore mensuram

tritici,

tritici, confirmare inquam fratres, ut contemptis bonis terrenis, soli virtuti, & Deo adhæreant. in his vigilare, & hæc meditari debemus fratres, si magno ministerio, cui præsidemus, satisfacere velimus, ac non potius illos imitari proscriptos, profligatosque dispensatores, qui dum, vt illis videtur, moram Dominus facit, edunt, & potant, quos, cum uenerit, idem, ut minatus est, diuidet. quæ omnia non solum nos inclamare debemus, sed etiam fidelibus hominibus commendare, qui possint & alios docere. ita vt nihil sit faciendum, quod a sancta scriptura alienum sit. debemus præterea eos, qui peccauerint, pœnis, & locis ad eas soluendas descriptis secundum canones patrum afficere, distinguentes sanctum a profano. impie enim agunt quidam, qui multos eorum violant; neque meminerunt quod scriptum est, impij transierunt fines, & illud, maledictus, qui terminos a patribus positos transgreditur, & quod est in euangelio, qui soluerit vnum ex mandatis, minimus uocabitur in regno cœlorum, qui autem fecerit, & docuerit, magnus. omni itaque studio laborandum est, ut concupiscentias carnis, quæ militant aduersus animam, superent omnes fideles: admonendique subinde, quemadmodum clamet Paulus uas electionis, neminem eorum, qui peccatis operam dant, possessurum regnũ cœlorum. qui cum nos hortetur, ut eum imitemur, sicuti ipse Christum, beatos pastores, qui eum secuti, imitatique fuerint. tametsi enim non sint imitabiles illius excellentissimę uirtutes, qua sumus ignauia, & inertia, illud inquam, viuere ex manibus, & euangeliũ sine sumptu ponere; nobis tamen satis est, si præbeamus nos operarios cibo dignos; ac non potius bona pauperum hianti ore deuoremus. hortandi præterea, vt arrectis, quod aiunt auribus, & vigilantes clamorem illum mediæ noctis improuisum, & subitum expectent, ne nihil cogitantes, & in scelere occupati, aut uoluptati, uel somno indulgentes, aduentum illum illustrissimum pulcherrimi sponsi non sentiant, ut enim admoneremur, vigilandum esse, horam noctis appellat Dominus illuminatissimum illud tempus: vtinam nunquam nati essent, quibus claudendum est, & frustra standum, atque pulsandum, quibus tolerabilius, leuiusque fuisset, igne consumptos esse, quam audire illud, non noui vos. quamobrem Paulus, ne erretis, inquit, enumerans scilicet, quæ a regno Christi arcent, & excludunt, quę omnia nisi vobis discipulis eius nos commemorauerimus, atque

denunciauerimus, Vę nobis. caueamus ergo, ne debito, quod commune est omnium pastorum, populos fraudemus, debito in quam fungendi pro Christo legatione, Deo per nos hortante, ne quis semel baptizatus committat, ut ad nuptias intrare prohibeatur. eos uero, qui alios decipiunt, tanquam falsos apostolos, & impostores adhibitis sanctis scripturis redarguamus, ac prodamus, commemorato exemplo decem virginum, sagenæ missæ in mare, illius induti sordide, alijsq; huiusmodi, hæc nocte dieq; debent singuli pastores gregibus suis inculcare, quæ tā necessaria sunt, quam est respirare animanti. necessarium inquam, omnia iudicia, & testimonia Dei denunciare, ita vt ab hoc officio neque eos superbia, & elatio retrahat, neque altitudo diei, id est prosperitas, & opulentia. quin potius si tempus postulet pro legibus, & statutis diuinis sanguinem fundere, quoniam non possit aliter pastor Christum amare, qui magistrum finibus charitatis circūscripsit, cum dixit Apostolus, quis nos separabit a charitate Christi? Deinde cauendum nobis est, ne vlli cito manus imponamus, non ante iustam ætatem, non sine titulo, non extra fines diœceseos. testimonium dicant non quiuis, sed graues hoīes, qui educationē eius, & mores norint, an ne sit iracundus, an superbus, an ebrius, an auarus, an pugnax, an dicax, an percussor, an petulans, an illiteratus. post ordinationem uero curandū est, vt sacra reuerenter, ac religiose tractare, & administrare discat, mysteria præsertim eucharistiæ, ac baptismi, ne quæ sanctissima sunt ab aliquo deliro, ideo ore, & temere administrare doceatur. Adhæc, prouidendum, ne cuiuis pateat ascensus in suggestū, neq; docere liceat in ecclesia nisi ei, qui castitate etiam, & temperantia atq; pietate præditus sit. Item ut nihil eorum, quę ad edendum idonea sunt, offerantur in ecclesia præter oleum, ceram, & thus. nemini sine probatione, aut pro munere eucharistia detur, nisi permissu, & concessu patris spiritualis. ne liceat impune non vacare in festo resurrectionis, neque ingredi in fines alterius. in coniugijs caueatur pueritia, propinquitas sanguinis, adoptio, & susceptio in baptismate. videndum est etiam, vt coniugium non solum licitum sit, & concessum, sed decorum quoque, ne inquam puella seni nubat. ne ve ante benedictionem vna cubent. ieiunia quatuor temporum, ne soluantur, neq; ieiunia quartæ, & sextæ feriæ. eleemosyna, temperantia, iustitia, & veritas ab omnibus fidelibus colantur. Soluere ecclesijs decimas, & primitias, celebrare

memorias

memorias sanctorum, meminisse propinquorum in precibus, abstinere a fornicatione, sanguine, & suffocato, a præstigijs, incantationibus, obseruationibus superstitiosis, ab omni specie diuinationum, non comprendere cum hæretico, nisi sit sponsor. qui canones seruare non didicit, cum neque baptizari, neque monachum fieri liceat. Monachum, qui a monasterio aufugerit, qui receperit, aut ordinarit, puniatur. denique repetenda sunt, & commemoranda frequenter a magistris ecclesiæ, quæ fideles facere debent, & quæ tanquam pestes abhominari. commemorandus etiam ignis ille in consumatione seculi expectãdus, Tum execrabilis illa mundi lues, nefarij inquam Antichristi aduentus; ne si ex improuiso nihil præmeditatis adfuerit iniquus ille atque superbus, qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus, multi in errorem inducantur cum eodem in flammam ignis conijciendi. Hoc precor, pastorum opus sit, hęc cura, & studium, vt quę patribus vísa sunt, quæque illi accurate tenuerunt, illa ad temperandos, regendosque fideles adhibeamus, & qui ea non seruarint, quę seruare, non soluere iussi sumus, hos maledictis grauissimis anathematum afficiamus. ante omnia vero baptizatos omnes hortari debemus, vt usque ad sanguinem integerrime seruent, quæcunque Christus præcepit, affirmantes absque operibus mortuam esse fidem, & quod non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. & illud, qui non amat me, sermones meos non seruat. Hæc, & alia huiusmodi ex sanctis scripturis nisi ijs, qui ea ignorant, exposuerimus, quemadmodum erimus fideles dispensatores? ne quęso, oscitanter, atque negligenter, sed cum timore potius, atque tremore, sine ulla cunctatione euangelia sancta edisseramus, docentes cœlum, & terram transitura, uerba autem eius nequaquam. Dicamus frustra fortasse dictum esse in scriptura, nemo erret, nemo inquam, neque eorum, qui antea fuerunt, neque eorum, qui postea erunt. est autem nobis primum, qui pastores sumus, nauandum uirtuti, docendumque omnino, quod est in sanctis scripturis, eos, qui Christum, eiusque sermones reuerenter obseruauerint, eos inquam ab eodem Christo confitendos, declarandos, & coronandos, ac gloria sempiterna esse honorandos, qui eum corpore, & spiritu honorarunt, tunc inquam iam fideles, atque prudentes declaratos, ad nuptias, & immortales illas delitias admittendos, ut cum pulcherrimo illo

sponso

ſponſo eccleſię Domino noſtro Ieſu Chriſto ſemper ſint, cui honor,& imperium in ſæcula Amen.

EIUSDEM ATHANASII CONSTANtinopolitani Patriarchę ad Imperatorē,ut iubeat Epiſcopis ire ad ſuas diœceſes.

SI urbes in oriente uaſtari,& funditus interire ſcis,quod malum Deus auertat,cur non iubes,qui curam omnium a Deo ſuſcepiſti,urbes deſeri,& ad nos uenire,& habitatores earū? imo potius in gratiam epiſcoporum hoc prohibes? Sin autē per gratiam Dei hoc tua prudentia,& iudicio aſſequeris, puniri nos a Deo,non ut pereamus,ſed ut conuertamur, cur non iubes paſtoribus illarum ciuitatum,ut quiſque eorum cum grege ſuo ſit, ut tum precibus Deo adhibendis,tum admonitionibus,& obiurgationibus ſuos a peccatis ſeruent,atque ita Deum placent, ut minas aliquando remittat,an ſi tu oues paſtori committeres,deinde illas quidem derelictas cerneres,illum uero quieti ſuæ, ſuiſq; cupiditatibus indulgere, & ſeruire, dic, obſecro, relinqueres ne paſtorem impunitum? non patimur oues pecudes impune negligi,& patimur paſtores animarum impune ſeipſos paſcere, non oues? quid quæſo apud Deum excuſabimus? utinam ne illud nobis exprobretur,omnes quærunt,quæ ſua ſunt,nō quę Ieſu Chriſti. Quod enim preces,& uigilias præ ignauia non curant, & nos quia his uacamus,rident, plane oſtendit, nihil eos malle, neque aliud eſſe eis propoſitum, quam Patriarchas mouere, & munera accipere in iudicio, & cętera alia committere, quæ ipſe ſtatus temporum docuit. aut igitur iube ſingulis quibuſque ad diœceſes proficiſci ſuas, aut ſinant me ad unum e ſuis gregibus ire, & me iureiurando obſtringam,nunquam ab eo diſceſſurum, ipſi uero urbem Conſtantinopolim ſibi inter ſe diuidant. Quid enim infelicius eſſe poteſt, quam in cæteris ciuitatibus licere cuique paſtori ſuos,quantum poteſt,& ius eſt,regere atque gubernare, in ſola uero hac urbe iudicem eſſe,quicunque uelit? uerum ſi mihi credis religioſiſſime Imperator,fac ut hos potius triſtitia afficias,quam Deum. etenim ſi quando alias, nunc maxime epiſcopos cum gregibus ſuis mori oporteret. quod ſi nolueris propter tuam erga eos reuerentiam,cogere,ut faciant, quod facere debent,ego ſuſcepta cauſa,uelint,nolint,ex urbe pellam. reddamq; audacię huius rationem Deo.

Eiuſdem

EIVSDEM ATHANASII AD
eundem Imperatorem
de eadem re.

SI uerum est, quod dici solet, qui gregem pastore priuat, vtrisque periculum creare, profecto graue suppliciũ manet eum, qui pastorem arcet ab ouili, debetque qui pastor est, usque ad sanguinem pro grege Christi non relinquendo labores perferre, nisi cum opus fuerit in Synodo singulis annis ad agendum de rebus necessarijs paulisper abesse, quibus conclusis celeriter redeundum illi sit, si credit se redditurum rationem summo pastori Christo, & si dignus est nomine pastoris, nisi forte etiam propter necessitatem ad utilitatem animarum pertinentem ab Imperatore, aut a Patriarcha statim rediturus uocetur. quod si aliter Episcopis, aut Imperatori uideatur, siue quid secus fiat, minime ipse sequar, neque assentiar ullo modo, neq; enim rationem habebit Deus causationum nostrarum & cupiditatum, sed rationes reposcet de ueritate, iustitia, diuinisque legibus, & statutis, &c.

EIVSDEM AD EVNDEM
de eadem.

MEMENTO scripturæ, quæ iubet contristare potius homines quam Deum, tibi uero Imperator, cur graue uideatur iustitiam, temperantiam, misericordiam populis tuis sancire? & inde non modo nullum incommodum reportare, sed potius operibus bonis conciliare Dei misericordiam? quid iustius, quam si Episcopus quisque iubeatur, velit, nolit, ad diœcesem suam redire? an non hoc debitum soluere tenentur? idque canone sancitum est? nonne pastorum præsentia potest hoc præsertim tempore populum ad preces excitare? Quæ enim alia spes Christianis relicta est, nisi quę in precibus posita est? quod si cupiunt in hac vrbe habitare, diuidant illam inter se, &c.

FINIS.

AMBROSII CATHARINI CONFIRMATIO DOCTRINAE, DE PERSONALI RESIDENTIA EPISCOPORVM CONTRA QVENDAM NOVITIVM OPPVgnatorem.





MICVS NOSTER quidam, nuper de residentia Episcoporum libellum edidit. Ne quis autem illum argueret, quòd post Tridentinæ Synodi decretum, & quorundam disceptationem, tam serò, & non rogatus sententiam suam fru strà, & impudenter videretur obtrudere, exem plum attulit Eldad, & Modab, quos Moses noluit prohibere, ne prophetarent cum prophetiæ munere essent donati. Quo exemplo (ait ipse) quis prohibeat quicunque sim, & vbicunque agam, ne dicam sententiam præsertim ex literis sanctis per spiritũ prophetię depromptam? Hoc proculdubio promisit, quia hic Romæ ab his qui probandi libros, antequam edantur, curam habẽt, hic eius libellus reiectus fuit, & meritò, meo quidem iudicio, ne ea publicaret quę re uera non prophetię spiritum, sed contradictionis, sed calumnię, sed vanitatis, & inanis gloriolæ studium potius præ se ferre prudenti, ac perito lectori facile videri possent. Neque ego hoc iudicium profero (testis est mihi Deus) vt inimicus illi, aut quia ab eo lacessitus, cum eo libello me, & doctrinam meam (quanquam suppresso nomine) iniuria, & indignis modis laceret, & infamet: sed ut veritatis amicus, quam in rebus magni ponderis defendere ab his molestis propter æmulos, ac detractores, quibus non careo, existimaui operępretium. Nam iam pridem

pridem hic Romæ cœpit hac atque illac hunc spargere rumorem, & suum istum fœtum priuatim pluribus ostentare. Solummodo mihi videre non licuit, cui tamen ipse primum, si ciuilitatem saltem seruare uoluisset, ostendere debuit, præsertim cum huius officij cõmunes amici admonuerint, & ipse suas alias quasdam lucubratiunculas mihi crediderit, rogans meum de illis iudicium atque censuram, cui more gerens vt fidelis amicus, quid ego de illis sentirem liberè atque apertè pronũciaui, quippe cõtineri ibi dogmata periculosa, & inaudita paradoxa, uel illud, quod etiam norunt amici communes, inter Deum, & creaturã dari medium. Non recensebo alia, satis hoc vnum esse puto ut coniectare ualeat prudens lector, qui hoc unum dixerit, potuisse etiam quęlibet facile effutire. Sed ne uidear a suis erroribus uelle tueri quæ ille de scriptis meis reprehendit, nunc iam nostrã aduersus ea quę mouit disputationem aggredior.

POSTQVAM necessitatem illam proferendi sententiam suam de prophetica gratia deprompta prǽfatus est, ad me spectãs, & de me sentiens, continuò hæc adiecit: Eos uerò contra quos fortasse scribere uidebor, ut æquo animo ferant, meminisse velim quod eosdem audio dicere solitos, quum contra aliquem scribunt, non se aduersus auctores scribere, sed aduersus corũ falsas opiniones. Tantò autem æquius ferre debebunt, quantò maior est, & plus nocere potest eorum opinio præiudicata, si eam vsurpare, eademque ad defendendum errorem abuti alijs contigerit, item quantò plura sæpius ijdem rectè aliàs scripserunt. Hæc ille.

Hactenus ne sim ingratus, ago illi gratias, quod fateatur me plura, & sæpius rectè scripsisse. Doleo autem quod uersa uice ego de illo idem confiteri non ualeam. Non eorum quæ legi in eius libello, paucissima sunt quæ erroribus careant, & mendis, quod ut manifestaret, in fronte, & primo congressu hæc subtexuit.

VT enim debemus omnes honestate uitæ aliena uitia tanquã lumine tenebras coarguere ac prodere, sic luce ueritatis errorum tenebras patefacere, ut (sicut scriptum est) ambulemus omnes in omni bonitate, iustitia, & ueritate; neq; ponamus offendiculum fratri uel scandalum, quale est quod quidam dicunt Episcopos non fieri à Deo, sed à Pontifice, & quod ijdem falsa ratione inde concludunt, residentiam Episcoporum non esse iuris diuini. Et paulò post. Recitemus ergo primũ quæ isti ad hæc

duo defendenda tanto alioqui errore,& scandalo plena falso op ponunt pluribus alijs erroribus implicata,ut uelut in tabella pposita sit tota suscepti operis ad redarguendum materia.

Hactenus ergo hic amicus, & reprehensor meus duo proponit tanquàm à me scripta plena offendiculis, & scandalis, & pluribus implicata erroribus. Primùm hoc me scripsisse insimulat Episcopos non à Deo, sed à Pontifice fieri. Hiccine est propheticus spiritus, tam impudenter, & in primo uerbo calumniari? Vbi, obsecro, reperit me hoc unquàm scripsisse? Hoc aũt erat quod ego scripsi, Episcopos, præter vnum primum Christi Vicarium, à Deo quidem fieri. Nam B. Paulus, quem adduxi, à Spiritu sancto esse positos testatur, attamen nõ ab eo immediate, sed summo Pontifice mediante, cuius est cura uniuersalis Ecclesiæ, ac propterea creare Pastores ecclesiarum. Si hoc ipse reprehendit, non me ab errantem à uero, sed seipsum indoctũ ac stultum prodit, ut qui non ad propheticam, sed ad hæreticam sententiam studio contradicendi labatur. Est enim quodam hominum genus, qui satis glorię sibi comparasse existimant, modo aduersus eos qui aliquid esse videntur, congressum habuisse ac decertasse dicantur. Quàm uerò opportunè, quàm cordatè, & iure ne an iniuria, & quam inde adoream relaturi sint apud ęquos, & prudentes atque peritos lectores, minime cogitant. Quid.n. hic poterit respondere? Num hiscere? Num mutire, in calumnia tam perspicua, & ante oculos posita, & quam facit totius suæ disputationis fundamentum, quo corruente etiam cætera super illud fabricata corruere necesse est? Equidem cum ista legerem, & alia pleraque eiusmodi calumniosa, ac sanè perspicerem hunc disceptatorem passim temerè pronunciantem, nec nostra capientem, nec sua intelligentem, & tam multa inculcantẽ frustra, fuit mihi animus nihil homini respondere, cum ipsamet quæ scripsi si rectè considerentur, satis respondeant. Sed postq̃ ipse ita uult, & in eo quiescit ꝙ nobiscum disceptauerit, nolo eum fraudare gloria sua.

Primum autem illi occurram, ꝙ passim de scãdalo vociferatur. Nam cum negari non possit hac nostra infelici tempestate inter innumerabiles abusus qui in Ecclesia vigent, Vnum hunc esse de præcipuis tanquàm causam plurimorum, uidelicet magnam Episcoporum partem in ecclesijs suis non residere, non defuerunt qui mea scripta hanc circa rem existimarunt huic tã pernitioso

acinori blandiri, ac fauere, tanquam ne quis in eam sinistram existimationem ueniret, non diligenter prouiderim. Ego enim in ipso Tractationis initio in hunc modum exorsus sum; Non puto aliquē adeo uel desipere, uel insolescere, ut existimet aut ausit etiam asserere, Episcopum non teneri personaliter residere in loco ecclesiæ sibi commissæ, nisi vel necessitas, quæ legi subiecta non est, impediat; vel maior Ecclesiæ utilitas aliud requirat, cum Canones hoc abhominentur, & puniant. Sed illud vertitur in quæstionem, Vtrum hæc obligatio ad residendum sit iuris diuini, an potius canonici, & ecclesiastici. Et iterum cum taxarer de imprudentia, quòd scripserim personalem, & assiduam residētiam non esse iuris diuini contra Caietani doctrinam: quoniam etsi verum esset, attamen (aiebant) scribi non debuisset hoc præsertim tempore quando Episcoporum absentia a suis sedibus eousque est ecclesiæ perniciosa, respondi his uerbis; Quòd si vobis placebat hanc veritatem a me taceri, debueratis vos primi abstinere a falsitate, ne illam tam constanter, & cum tanto opprobrio, tanquam cōspicuam veritatem, in faciem nobis obijceretis, præsertim cum nemo negaret debitum residentiæ, & tota Synodus nouis pœnis episcopos ad residendum vrgeret. Ego vero non ita fui vnquam sapiens, vt censerem esse prudentius falsa proferre, quod fuit vestrum stante hypothesi tua, q̄ vera defendere: quod fuit meum. Aliud est si datam Hypothesim reposcas, & contendas me falsum defendere: hoc enim opus erat probare. Nec vllum est ex nostro libello periculum, quo episcopi allicientur ad non residendum, quia audiant non esse debitum iuris diuini, hoc est, non esse præceptum illis a Deo immediate; quia satis est ad æternam damnationem, vt sit præceptum ecclesiæ, dicente Domino: Qui vos audit, me audit; quod præsertim in ijs Ecclesiasticis præceptis valet, quæ ipsum diuinum præceptum apertè determinant. Vnde B. Thomas eleganter de coniunctis matrimonio contra Ecclesiasticum præceptum his verbis docet; Sicut Deus non coniungit illos, qui contra diuinum pręceptum coniunguntur, ita nec coniungit illos qui coniunguntur contra preceptum Ecclesiæ, quod habet tantam obligationem, sicut diuinum preceptum; hęc ille. Ecce igitur quàm minime extenuauerim Episcoporum obligationem ponens eam iuris esse Ecclesiastici; imò potius negans eam esse iuris diuini. Prouidebam periculo in quod alia pars inclinare poterat; hoc est, pertur

bati ordinem Dei in ecclesia sua positum Christi verbo in Petro, pro quo verbo, & pugnaui semper, & pugnabo cum Dei gratia. Hoc enim non est fauorem abusibus præbere, sed est illos potius amouere. Hæc ego in Expurgatione mea, vbi satis clare patet, non a me ortam controuersiam hanc, sed me compulsum fuisse in gratiam veritatis ostendere quorundam persuasionem qui uolebant omnino residentiæ modum sub iure diuino concludere, falsam esse, & periculosam. Nam etsi in loco tacere veritatem, prudentię sit; falsitatem tamen ac mendacium dicere (præsertim quod ad religionem attineat) perniciosum est. Quare & illi mendacio assentiri non est Theologi. Ergo si volebant a me veritatē taceri, debebant ipsi prius non obtrudere falsitatem, idq; sub prætextu falsi scandali. An quæso, est scandalum, & incitamentum ad non residendum, protestari manere ęternas flammas eos, qui a non residentia gregem suum neglexerint? Detrudi enim in gehennam ignis, aut quia violasti expressum Dei verbum, aut quia Ecclesiam Dei contempsisti, eius mandato non parens, quid interest ad deterrendum hominem ab inobedientia, cum re uera etiam quando ecclesiæ non obtemperatur, contēnatur Dei preceptum dicentis; Qui vos spernit, me spernit?

Sed occurrit hic reprehensor noster, & ait; Magis metuissent, si putarent residentiam illiusmodi, esse præceptū uerbo Dei expressum. Verum fallitur. Qui enim preceptum ecclesiæ nō curat, nec uerbum Dei expressum curabit. Et qui nō metuit quantulūcunque gehennæ incendium modo sempiternum, nec vllū aliud maius formidabit supplicium. Dominus dixit; Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi. Denique vt maledicorum, ac detractorum linguas compescerem, & omnem maledicti occasionem subtraherem, in Comm. nostris ad B. Pauli epistolam ad Timoth. postquam in Caietanum nonnulla hanc circa rem pro veritate disserui, hæc adieci; Non tamen inficias ire possumus multum, & grauiter hac in re a nobis peccari, qui nulla idonea, & necessaria causa longe absumus a gregibus nostris, contra canonū expressa decreta. Quo fit, ut euenire conspiciamus innumera mala; inde perniciosæ licentiæ, & uigor hęresum pestilens, & cleri relaxatio, & ignorantia Christi vbique in plebibus. Non negamus inquam, residentiæ obligationem, ne quis sinistrè nostra sententia abutatur. Nam sunt aliqua hominum ingenia, ita plerunque callida; vt dum suos errores uolunt, & peccata defendere,

nullum

nullum qui eis fauere videatur respuant scriptorem, quem iustis reprehensoribus possint obijcere. Clara ergo voce testificamur Episcopos ad residentiam teneri, & grauissime peccare qui aliter faciunt. Manus tantum summo Præsuli non ligamus, si quãdo ad maiorem totius ecclesiæ utilitatem aliquibus viris insignibus uti, opportunum iudicaret; qui tamen non sunt leui de cã a suis ouibus euocandi. Nã eos qui vel fauoribus, uel inanibus causis, & leuibus dispensationes quasi extorquent, & moras non residendi nectunt, quis a peccato excusauerit? Nã etsi millies probauerimus de iure diuino immediate non esse, an propterea culpa, qui non resident, vacare defenderemus? Ius ipsum, & obligationis moderationem qui docemus, obligationi vim suam minime tollimus. Hæc a me scripta sunt; vnde igitur scandalum? Quid amplius dici poterat ad hortandum Pastores, ut gregem pascant diligenter ob tam graue animæ periculũ? Quin ob hoc ipsum multo antea in lib. 4. de consideratione instantium temporum ad Pastores gregum, & episcopos ecclesiarum, qui creditam sibi animarum curam negligunt, habens sermonem, duram Domini sententiam, & horrenda in illos supplicia comminatus sum verbis serijs, & grauissimis, quæ & huc quoq; afferrem, nisi longa nimis esset oratio. Sed illud habẽ persuasum amice lector, vt resideant Pastores, & gregem pascant, non satis esse prædicare illis iuris diuini præceptum, Sed hoc multo certius esset remedium, si cũctis qui absque optima, & legitima causa absunt a grege suo præcipiatur seriò, seuerè, ac viua voce à summo Pastore, aut eos renũciare muneri, aut diligenter illud obire. Quòd si non parerent, priuari fructibus, cogi censuris, deniq; dignitate, & cura priuari. Quanquam multo præstantius lõgeq; magis esset presentaneum remedium si crearentur episcopi viri boni, religiosi, ac docti, cõtemptoresq; mundi, & timentes Deum: & ij tandem qui rogati a Christo; Amas me, possent respondere quisque pro seipso; Etiã Domine, tu scis quia amo te; vt & illi securè dici possit; Pasce agnos Christi. Hoc si seruaretur, nihil esset de non residentia periculi. Verum istud nunc inter ea reponitur quæ magis ualeant optari, quàm obtineri. Eam uiam nunc pergit mundus. Redeo igitur ad rem nostram.

Protuleram ego secundo loco vnum tantummodo esse Pastorem primum Christi verbo constitutum, videlicet Petrum, in quo omnes etiam successores intelliguntur, reliquos uero

qui

qui postmodũ in Ecclesia ordinati sunt. non esse Episcopos immediatè à Deo, sed mediante ipso Pontifice primo, sicut multi sanctorum Pontificum & omnes catholici Doctores, & specialiter B. Thomas docuere,& ipsa experientia magis comprobat, contra quam obire insanum est. Et ideo eorum Episcoporum curam dixi immediatè modum accipere ab ipso Pontifice & à pontificio iure, Pontificem autem ipsum teneri sub regula Dei. vt sic omnia ordinatè fiant. Hic autem homo contra disputans contendit his verbis,

Aiunt enim Pontificem immediatè fieri à Deo, scilicet tãquam ab auctore & Domino, Episcopos verò immediatè à Pontifice. In illo quidem nudam esse electionem per homines sine collatione potestatis Papalis, Hos verò, ut eligi ab homine, ita ab eo potestatem ac iurisdictionem accipere. Quæ omnia absurda sunt & secum discrepantia. Quid enim monstri est nuda, illa Pontificis electio per homines sine collatione potestatis Papalis? Etenim si eligitur canonicè, ad aliquam potestatem spiritualem eligatur necesse est, imò ipsa electio quam Pontifex per homines consequitur, quid aliud est nisi gratia, siue charisma summæ potestatis spiritualis?

Hæc ille, uerè monstra & ostenta, quæ mihi longè quidem sunt dificiliora ad intelligendum, quàm ad redarguendum. Illud tamen manifestũ est de superioribus uerbis suis, negare illum summi Pontificis potestatem ac iurisdictionem esse immediatè à Deo, cum ab hominibus eligatur. Et hoc stante, credo ut mihi penitus & in omnibus cõtradiceret, non multò post ait, omnium Episcoporum iurisdictionem immediatè esse à Deo. Et tandem concludit, haud magis immediatè à Deo esse summum Pontificem, quam quemuis episcopum. Si hæc absurda non sunt & peruersa, quæ (rogo) erunt? Vult enim Papæ potestatem non à Deo immediatè, contra quod ego assero, sed per eligentes uenire, quod se putat probare, quia electio ipsa, quam Pontifex per homines consequitur, non est aliud, inquit, nisi gratia & charisma summæ potestatis spiritualis, Vnde non multò post dicit electionem esse actum pontificalem, ita ut non Pontifices qui eligunt, congruè tamen actum pontificalem exerceant. Hic te appello studiose lector, nunquid hæc sunt digna confutatione; quæ per se patent tam inepta tàmq; ridicula? Quis unquam somniauit electionem esse gratiam siue donum summæ potestatis spiritualis.

& esse actum pontificalem? Fuit hæc olim fallacia Lutheri, qui ut probaret Pontificis potestatem non esse immediatè à Deo, sed per Ecclesiam, vt illum Ecclesię subderet, produxit electionem ut per hoc suaderet rudibus & idiotis, tanquam qui eligunt ipsa electione etiam conferant potestatẽ, cui longo sermone respondi. Verùm audiamus hominem de cathedra resonantem, & tenentem uibrantémq; uirgam qua nos pueros cedat. Ait, Quid ergo est quod isti dicunt, applicationem quidem Pontificatus à Deo fieri immediatè, applicationem episcopatus immediatè ab homine? Ferri quidem poterat simplicitas sermonis, & huius uerbi, immediatè, adiaphoria, nisi de dogmate ageretur, Hæc ille. Et non multò post, Docent isti & tanquam dogma tradunt, Episcopos à Pontifice fieri immediatè, à Deo autem mediatè, ac proinde ius totum residendi à Pontifice nasci, quod omnino uolunt concludere. Iccircò non est hic utenda homonymè neq; indifferenter hæc uox, immediate, sed uno modo & propriè. Propriè autem immediatum est quod non habet causam priorem, ut philosophi tradunt, quare hac ratione immediate fiunt à Deo Episcopi. Fiunt quoq; primum à Deo tum hac ratione, quia immediatè fiunt ab eo, sunt autem immediata prima, tum quia cùm primũ multipliciter dicatur, ut idem quoq; philosophi tradunt, primũ secundũ potentiã dicitur quod ualentius est, ut causa qua secundum uoluntatem mouentẽ, alterum mouetur, qua item ratione primum à Deo fiunt Episcopi, Fiunt igitur immediatè & primùm ab eo. Hæc ille.

Quæ, ut explicentur, rogo, quid est tandem quod ipse in me reprehendit? Nunquid sensum meum quem declaraui, an potius locutionem impropriam? Quùm ego dico applicari pontificatum Papæ à Deo immediatè, sensus meus est, Cum omnis potestas sit à Deo & applicetur ab illo, esse tamen aliquas ab illo immediatè, idest, non per alias personas medias, qualis est summi Pontificis potestas, tametsi eligatur ab hominibus, quia electio non cõfert potestatem, sed personam solùm discernit, cui à Deo potestas absq; alio medio confertur, Aliquæ uerò sunt quidem à Deo, sed mediatè, quales sunt potestates alię quæ à summo Põtifice, & per ipsum in alios deriuant; sicut docuit S. Doctor noster Thomas in multis locis, asserens omnem potestatem spiritualem dependere à summo Pontifice, cui & illud suo modo conuenire potest, De cuius plenitudine omnes accipimus. Et propterea omnes qui potestatem

testatem habent, habere eã sub illo & ab illo, nec propterea sequitur eos nõ habere illam à Deo, sicut me falsò iste insimulat, sed oppositum sequitur, quia ẽt Papæ potestas qua potest alios constituere & constituit Episcopos, à Deo est. Si autem hunc meum sensum reprehendit, ut certè facit, volens Põtificatus gratiam & potestatem per electores uenire, eo modo quo potestas episcopalis a Pontifice descendit in singulos, non me reprehendit, sed ipsos summos Pontifices & Ecclesiæ sanctæ Doctores, & hereticis fauet, quamobrem dimittendus tanquam indignus responso. Quòd si reprehendor de uerbo quòd minus propriè uocẽ illam IMMEDIATE acceperim, debuit non adeò durè mecum agere, cum ita diserte ipsum meum sensum explicauerim, ut non esset periculum ullum in dogmate propter uocabulum. Nec tamen ego primus usus sum hoc uerbo in eum sensum, sed quotquot scholasticorum scripserunt, potissimum autem B. Thomas, ut demirer hominis inscitiam & audaciam. Verùm Aristotelem obijcit, qui immediatum uocat quod non habet causam priorem. Et ego illi contrà, B. Thomam obijcio, qui dixit Episcopos habere immediatam potestatem in sua diocesi, quod esset falsum iuxta istius datam uocis significationem, cum causa potestatis Episcoporum immediata & prior sit diuina uirtus, quam Episcopus administrat. Adde quòd si ad eum modum loquendi restringimur, nec ipse summus Pontifex haberet immediatam potestatem in ullum, quoniam prima & immediata causa Deus est. Quamobrem negat Pontificem propriè & immediatè ponere Pastores siue Episcopos in Ecclesia, sed hoc Deum facere. Errauit ergo iterum B. Thomas cum reprehendit eos qui dixerũt Deum operari omnia immediatè. Hæc eius sunt uerba, Est opinio quorundam quòd Deus immediatè operetur omnia, ita quòd nihil aliud est causa alicuius rei à Deo, Sed hæc opinio stulta est, quia ordinem tollit uniuersi, & propriam operationẽ à rebus, & destruit iudicium sensus, hęc D. Thomas. Vnde concludit quòd Deus est solùm causa immediata eorum quæ per generationem non cępe runt esse. Et nihil prohibet respectu diuersorum eadem Deum operari & mediatè, & immediatè. Nam multa mediatè per creaturas facit, si supposita respicimus, sin autem operationis uirtutem, ipse tãquàm intimior causa & principalis attingens omnem effectum, immediatè dicitur operari. Hæc me docuit S. Doctor. Contra illum ergo quem in hoc ego sectatus sum, uit litigare debuit

bult hic noster Censor, non mecum, quanquàm nullus est Scholasticorum, qui illa uoce non sit usus in eam significationem in q̃ ego protuli. Sed ad rem redeundo, Audiamus eum de summo Pontifice loquentem: hæc eius uerba sunt. Ipse enim tanquam caput accepit a Deo secundum gratiam omne ministeriũ ac dispensationem omnis potestatis spiritualis, ita ut quicquid Dominus alijs tribuat, non nisi per Pontificem tanquàm summum ministrum suum tribuat, accipiantque de eius potestate cæteri partem, non quidem ab eo tanquam primo auctore, & datore, sed a Deo per eum, qui quidem (si ita loqui libet) dicatur mediate facere Episcopos, similiter electores faciunt Pontificem, tanquàm ministri (inquã) electionis, & gratiæ põtificalis quæ a Deo immediatè, & primum tribuitur. Hæc ille, ubi uehementer fallitur. Quòd.n. ait à Pontifice dispensari oẽm potestatem spiritualem, & quicquid Dominus alijs tribuit, & Deum dispensare mediate per illum, rectè dictum est, & seruit nobis. Hoc est.n. quod & nos dicebamus, & ille reprehendit. Quod autem addit, ꝙ sicut Pontifex facit Episcopos, similiter electores Pontificem faciunt tanquàm ministri electionis, & gratiæ pontificalis, & quòd pontificalem actum exerceent, omnino falsum, & imperitè dictum est. Quomodo.n. pontificalem possent exercere actũ non põtifices? & quomodo possent ipsi dare potestatem quam non habent? Nunquid Deus calefaciat per aquam, aut frigefaciat per ignem? quia hic homo ait per electores dari curam pontificatus, quam tamen ipsi non habent, sicut per Pontificem datur episcopatus, quam ipse Pontifex habet? Quis nõ uideat falso hæc, & temere iactari, & sola dicentis arrogantia, qui tanquã censor, & magister, imo, & propheta queat silentium cæteris imponere, iuxta illud quod scriptum est, Si alij sedenti fuerit reuelatum, prior taceat. Et tamen hic propheta ignorauit, aliud esse constituere Papã, aliud eligere quenquàm in Papã. Qui constituit, autoritatem ac potestatem impartit: Qui autem eligit, solum ostendit cui sit autoritas ac potestas impartienda. Vnde nec Episcoporum sola electio facit ullos esse Episcopos. Solebant.n. plebes aliquando eligere, sicut septem illi Diaconi electi sunt a multitudine, & ideò non statim acceperunt potestatẽ, quam multitudo dare non poterat, quia non habebat, sed vbi ab ipsis Apostolis electio probata est, & per manus impositionẽ ordinati sunt, tunc acceperunt potestatem.

O Multa

Multa prætereo ab hoc uiro inconsideratissime dicta, quia nimis longus esset sermo, & longæ ambages, tum quia ab ijs quæ iã sunt confutata poterunt multi eius errores agnosci ac emendari. Multum. n. sudat ut probet à Deo fieri Episcopos. Quasi uerò hoc negauerim, cum dixerim fieri a Deo, sed per Pontificem. Sed audi argumentum. Obtento hoc quòd à Deo fiant Episcopi, mediate tamen per Pontificem, iure diuino nihilominus cõstitui eos asserit, cuius rationem his uerbis explicat, Per Petrũ enim dedit quicquid potestatis alijs in Ecclesia non negauit. Ergo cum potestas omnis ecclesiasticæ iurisdictionis spiritualis sit, ea autem a Deo, & legibus diuinis originem habeat, sequitur iurisdictionem huius Episcopi, aut illius, cum spiritualis potestas sit, non ab homine, sed a Deo esse. Hæc ille. quæ non tam cõntra me quàm contra illum pugnant. Primum. n. hoc sumit, Omnem potestatem spiritualem in Ecclesia originem habere a Deo, qui Petro eã dedit. Et fatetur quicquid potestatis alijs in ecclesia non negauit, per Petrum dari, & ab ipso descendere. Et hinc sequi ait, spiritualem huius aut illius Episcopi potestatem non ab homine esse, sed a Deo. Ego uerò contrà, putarem ex præmissis sequi: Ergo potestatem habent ab hoĩe immediate, hoc est, homine mediante, quæ tamen originaliter est a Deo, quia omnis potestas a Deo est. Quandoq; tamen ĩmediate ab eo, quãdoq; uerò mediate ab homine seu per hominem, sicut declarat B. Paulus in principio epistolæ ad Gal. & expositores illius epistolæ. Ipse. n. B. Paulus sciens neminem prædicare posse nisi mittatur, & quidem a Deo: & hoc amplius sciens, multum interesse inter eam missionem, quæ a Deo esset immediate, & illam, quæ mediate ueniret per hominem, licet & hæc legitima sit, & rata; ille ut suam Apostolicam missionem exaltaret, sic intonuit: Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem, &c. Vbi secundum B. Ambrosium, negat se missum ab Apostolis, qui multos mittebant, quoniam non ita honorabilis fuisset illa missio tanquam non immediate, a Deo.

Dicet fortasse aliquis; Quid hæc ad principalem quæstionẽ, ut residentia Episcoporum de qua est quæstio, non sit de iure diuino, propterea quia Episcopi non fit immediate a Deo, sed ab homine ac per hominẽ? Respondeo, Multum hoc facit. Sed ut a principio repetamus, & suo ordine procedamus, ne quis decipiatur, proponenda est primò quæstio super qua disputatio est.

Quæstio

Quæstio igitur à me tractata non est, Vtrum residentia Episcopi sit de iure diuino, sed utrum residentia personalis, & illa quidem assidua, sit iure diuino præcepta, sicut Caietanus asseruit, contra quem scribebam. Ergo a ratione nominis incipiens, quæstionis resolutionem educere, hæc sum præfatus. Igitur pro huius rei intelligentia prius oportet definire quid est quod dicimus esse aliquid iuris diuini. Hinc enim accipiendum est, vt distinguitur ab humano, vel naturali, uel ciuili iure, uel etiam ecclesiastico. Primò igitur & propriæ iuxta doctrinam D. Thomæ & ueritatem, illud esse diuinum ius intelligo quod Deus ore proprio locutus est & expræssit, & consequenter quod ex eo quod est expressum manifesta & necessaria consequentia deducitur, ut non sit opus nouo præcepto, cum satis in eo unde deducitur, contineatur. Et paulò post subieci, Nec decipiatur quisquā existimans hoc pacto quòd quęcunq; præcipit nobis ius canonicum, iuris diuini dici possint, eò, quòd necessitas illas seruandi sit iuris diuini, dicente Domino, Qui uos spernit, me spernit. Vt enim sit aliquid iuris diuini, oportet ut super illud diuinum præceptum cadat, & non super necessitatem obtemperandi. Exempli gratia. Debere sacerdotem continere, dicimus esse Ecclesiastici iuris, non diuini, cum non sit hoc ullà diuina uoce expressum, nec ab expressis necessaria consequentia deducatur. Et nihilominus, hoc quòd huic pręcepto Ecclesiastico debeat obtemperare Sacerdos, iuris est diuini. Quo in loco etiam considerandum est & diligenter animaduertendum, ne erremus, longe aliud esse colligi aliquid de scripturis ut pręceptum, aliud uerò es illis accipi vt pręcipiendum. Celibatus enim sacerdotum, etsi in scripturis non uideatur præceptum, nec uerè sit, attamen ex ipsis scripturis accipimus bonum esse & utilem & conuenientem tanto officio & ordini, ac propterea dignum vt ab Ecclesia præcipiatur sicut & factum est. Nouo enim Ecclesiæ præcepto fuit opus in hac re. Et subinde apposui, His pręmissis, si sic accipitur ius diuinum ut declarauimus, & sicut re uera debet secundum distinctam & propriam significationem uocis, sicut dicitur ius naturale, quia à natura dictatur, & ius humanum quod à ratione seu dictamine humanę ratiōis descendit, Respondentes nunc ad quæstionem primùm dicimus, non illud quæri, Vtrum residentia Episcopi sit iuris diuini, tanquam sit expresso uerbo à Deo pręcepta. Nam si ita esset, nimis turpiter in quęstionem uerteretur. Quis enim, præsertim Catholicus, audeat quic-

quam opponere uerbo Dei? Sed in hoc quæstio est, Vtrum ex aliquo expresso Dei pręcepto ui consequentiæ euidentis hoc deducatur. Sunt enim qui hoc proculdubiò existimant, & his modis argumentantur. Episcopus, idest, ordo ipse & officium sine dubio à Deo est, & iure diuino institutum, & ad hoc institutum ut curentur oues Christi. Vnde B. Paulus episcopatum bonum opus appellat. Cura igitur pastoralis de iure diuino est. Hęc uerò absq; personali & assidua residentia pręstari non potest. Personalis igitur residétia, & illa assidua iuris est diuini. Qui enim certum quid pręcipit, etiam illud præcipere censendus est, sine quo præcepto illud prius præstari non potest. Hec ego ibi ne æquiuocatio inanem disputationem redderet. Et inde cępi pro his texere argumentum qui residentiam & personalem & assiduam exigũt, quod argumentum resolui postea. Et tandem ad quęstionem respondens dixi, Quarta conclusio sit, qua respondetur quæsito, Quòd episcopus non tenetur ad personalé residentiam assiduam in ecclesia sua de iure diuino, ita accipiendo ius diuinum sicut expositum est. Huius autem conclusionis ratio ex supradictis deducitur. Cum enim nulla Dei uox faciat hunc uel illum episcopum ut dicamus immediate datam illi esse curam à Deo, & consequenter pręceptam residentiam sine qua præstari cura nõ potest, sed hoc totum habeat à Petro & ab Ecclesia, profecto ecclesiastici iuris & non diuini, episcopi residentia est. Quamuis ergo episcopatus absolute in se consideratus, & cura illi annexa in genere de iure diuino sit, applicatio tamen ipsius episcopatus & cura illi uel illi, quod istum uel illum habeat gregem sibi commissum, & isto seu alio tempore uel loco, non à Deo immediate est, sed à Petro, cuius cura (vt iam dixi) etiam hec erat, uidelicet dispertiẽdi curam istam, & propterea creandi episcopos. Vnde B. Paulus, ut significaret quomodo episcopi sumus, dixit, In quo uos posuit Spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, intelligens spiritu sancto fieri quod per Prælatos rite disponitur. Itaq; omnis obligatio particularis episcopi circa curam crediti sibi gregis ab eo descendit, à quo & episcopatum accepit. Vnde & normam curandi ab eo debet accipere, quam tamen etsi Petri sit tradere, non aliter tamen debet tradere quam quemadmodum sibi tradita fuit, hoc est, in ædificationem, non in destructionem, idest, ut pascant greges, non semetipsos. Quamobrem, licet Petri sit & episcopos instituere, & similiter destituere ac mutare, & non tamen

men hoc ei licet pro uoluntate, sed ex causa, & ut uiderit expedire ecclesiæ. Quòd si aliter faciat, non dicam non tenere factum (sunt enim pleraq; quæ cō non debeant fieri, facta tamen tenent) sed uere dicam de malefacto redditurum illum rationem in die Domini. At si uere esset hæc de iure diuino (eo modo sicut est declaratum,) nec talia posset facere Pontifex, nec si faceret, facta tenerent. Hoc dixerim ut sane intelligat lector quantum intersit inter ea quæ iuris diuini sunt, quæ scilicet ab ore Dei statuta & immutabilia sunt & inter alia quæ immediate ueniunt ab ecclesia. Nam propter hoc necessaria est speculatio hæc discernendi, utrū hoc sit iuris diuini necne, & quatenus, vt intelligamus quid subdatur Pontificiæ potestati.

Quinta conclusio sit, quòd licet non teneatur episcopus particularis curare gregem immediatè præcepto Dei, ac propterea iure diuino, tenetur tamen vt accepit episcopatum iure diuino parere Petro, qui portionem sui gregis ei dispartiuit in curam, & uocauit eum in partem solicitudinis, quia iuris diuini est illū Petro obtemperare. Sicut enim tenetur homo confiteri & communicare in solemnitate pascali, etiam sub pœna damnationis æternæ, nec tamen dicimus tali tempore, aut tali die hoc fieri debere diuini iuris esse, sed ecclesiastici, simili modo dicimus deberi curā & residentiam ab episcopo, non quia diuini sit iuris in hoc loco, uel tali modo illum curare gregem, sed quia iuris est diuini eum obedire Pontifici, qui satis illud imperat (etiam si nihil aliud expresse diceret) cum eam curam impertit, modus tamen curę & residentiæ determinatur ab ipso Pontifice in canonibus suis, quia quæ huiusmodi sunt, mutabilitati & uariationi subiecta sunt, & ideo ad ius ecclesiasticū spectant, sicut accidit in ijs quæ sunt iuris naturalis, & indeterminata. Determinatio enim eorū, & ipsamet, quatenus determinata sunt, de iure ciuili esse dicūtur. Hæc ego.

Nunc cum pleraq; ibi dixerim & proposuerim, videndū est de quo, quasi nō rectè dicto me aduersarius meus redarguat, & vtrū in acceptione huius vocis IVS DIVINVM mecū conueniat, ne Andabatarū more pugnemus, ut ille facit. Non enim frustrà dixi, Si sic accipiatur ius diuinum &c. cogitans esse plerosq; qui laxius eā vocē acciperēt. Hic enim amicus noster ita circa hoc confusè loquitur, ita rē perturbat, vt nihil videas differentię inter ius diuinum & naturale & ius ecclesiasticum siue canonicum & inter ipsum tandē ciuile ius. Ego tamē sic accepi vocis significationem,

vt ab alij distingueretur iuribus, sicut me docuit B. Thomas, vt recitaui, & cum Soto disputans planissime declaraui.

Nunc audi benigne lector, Quòd talis residentia non sit iuris diuini, hoc est, a iure diuino præcepta, manifestum est, quia quæ sunt a iure diuino præcepta, indispensabilia sunt ab homine, nec sub eius arbitrio côcluduntur. Modo, nemo negare potest quòd multa episcopis imponuntur, quæ personalem illam, & assiduam residentiam prohibent. Quomodo ergo posset mihi dicere Papa: Sta hic, aut veni huc, si deus mihi sua voce dixisset; Vade illuc, aut: Sta ibi? Nititur enim hic homo suadere, quòd quando mihi, & cuilibet episcopo dicitur: Vade, & prædica populo dei, illud nô homo mihi dicat, sed deus, solum hominis organo vtens; & ideo perinde omnino esse ac si deus immediate illud mihi, & non per hominem dixisset; quod est peruertere dei ordinê, & hierarchiã ecclesiasticam. Quare hanc differentiam non cernens, quam di lucide probant scripturæ, multa mea dicta, imò non mea, sed gloriosorum Doctorum, & specialiter B. Thomę, imò ipsius scripturæ sanctę audet nouus propheta reprehendere.

Primum præter ea quæ iã dicta sunt, vult iuris esse diuini quicquid Apostoli, aut verbo pręcipiebant, aut scribebant, & per canones decernebât. Adducit enim hic acer iuris diuini defensor, Canonem quendam Apostolorum inferentem excommunicationis pœnam Pastoribus in suo ouili non permanentibus, ita quod ea pœna sit etiam de iure diuino, quod est ridiculum. Alioquin fateri oporteret hac parte ius diuinum fuisse, id quod hic homo pro iure diuino dimicans, quod solui non potest, non concedet. Nam hic gloriose contra nos exultans, quasi rem abunde probauerit, adiungit; Eant nunc isti, & negent iuris diuini esse residentiam. Quæ enim canonibus Apostolorum sancita sunt, ad ius diuinum, aut scriptum, aut nô scriptum pertinere quis neget, nisi quis ecclesiasticas traditiones, quæ solui non possunt, contênat? Hæc ille, plenus zelo simul & imperitia, de quo possum forsasse dicere, quòd zelum dei habet, sed illud proculdubio possem addere, quòd non secundum scientiam. Dicat ergo nobis, Si Canones Apostolorum sunt iuris diuini, ac per hoc solui non possunt, cur igitur soluti sunt, & nobis perijt tanta pars iuris diuini? Nam qui sint, aut qui fuerint hi Canones, iam non est certo portum ecclesię, quę non nouit apocrypha, & a doctoribus varie de his traditum esse nullus ignorat. Ille autem Canon de pœna resi-

dentiæ prorsus ignotus fuit ecclesię multis seculis. Ad hæc, autoritate D. Epiphanij asserit Canonem Apostolorum de nō tondēda barba, preceptum diuinum esse. Vę igitur tot monachis, qui radunt barbam contra ius, ac preceptum diuinum. Fertur & illud in Apostolorum Canonibus fuisse, vt oraremus ad orientem. Cur igitur non admonet homo iste, vt destruantur omnes ecclesiæ quarum maius altare nō ad orientem, sed ad occidentem, vel ad meridiem, vel ad aquilonem spectat, ne suum diuinum ius pro quo certat soluatur? Preterea, ut videat lector hominem etiā secum pugnantem, quæro ab illo, qui de scripturis depromit sententias, Quando dominus dixit Apostolis, Qui uos audit, me audit; & qui uos spernit, me spernit, nónne intellexit de preceptis quę daturi erant Apostoli siue in scripto, siue sine scripto? Equidem id negare non potest. Si hoc fatetur, iam secum pugnat. Ipse.n. initio sui sermonis confessus est vi veritatis, illa verba: Qui vos spernit, me spernit, pertinere ad eos qui spernant non ius diuinum, sed ecclesiasticum. Videat qui vult locum in eius libello pag. 5. Et tamen furore sui spiritus tactus, conuertens magisterij censureq; sue verba in nos, postquam diutius aerem verberans multa futiliter disseruit, ita scripsit, Quare desinant obsecro, imo obtestor, nouitates uerborum, qui aiunt precepta Pauli non esse precepta Christi, desinant scandalum fratribus, pro quibus Christus mortuus est, creare. Qui enim audit, non esse preceptum dei, quod Petrus, & Paulus pastoribus præceperunt, pascere scilicet, & attendere gregi, facilius ministerij sui opus negliget tametsi cum magno suo, & ouium suarum malo. Quod quidem, ut persuaderent, non esse scilicet hoc dei preceptum, falsa inductione similium vsi sunt, idem in omnibus peccantes, id est, falso ponentes precepta Pauli non esse Christi precepta, verum hoc dicunt ne secum discreparent, aut sui dissimiles essent, qui prius dixerant, legem Moisis non esse proprie legem dei. Hec ergo similiter uolunt non esse dei precepta, mulierem non orare, aut prophetare, nisi velato capite, episcopum esse vnius vxoris virū, & deo militantem non implicare se negotijs secularibus, & alia (inquiunt) non pauca, que apud solum Paulum leguntur, qualia fortasse dicerent, episcopum nō neophytum, nemini cito manus imposueris, fidelem coniugem ab infideli non discedere, si consentiat habitare cum eo. Item mulierem non docere in ecclesia, in que quidē competat illud, dico ego, non dominus. que tamen

qui

qui dicit præcepta dei non esse, fratribus ponit offendiculum.
Sunt enim pręcepta dei, non minus quàm ea, quæ legũtur in euãgeliis, hoc interest, quod illa prius præcepta sunt a domino, quãdo scilicet dominus docebat, & euangelizabat, hęc vero ab eodẽ domino per apostolum spiritum dei habentem. Hęc ille.

Vult ergo hic Magister non minus dici precepta Christi quę voce sua non præcepit ipse Christus, sed per Paulum, aut alium Apostolum, quàm que ipsemet dominus uerbo suo expressit.

Quod si verum est, cur ego B. Paulus dicebat, Non ego, sed dominus? & rursum; Ego, non dominus. Poterat enim dicere, dominus dicit (sicut solebant dicere Prophetæ) si nihil interrat. Scio quòd quæ dicebat B. Paulus, ex Spiritu dei ueniebant, cum ipse dixerit; Puto quòd & ego spiritum dei habeam. Sed nõ sunt eiusdẽ gradus in robore, ac firmitate quæ dominus per Paulum, aut Apostolos disponebat, ac illa quę per seipsum. Nec merentur ista nomẽ iuris diuini, cum super his quæ sancit per ęcclesiam, in qua est spiritus Dei, possint ipsimet ecclesiæ pastores, ac principes dispensare. Audiat ergo patienter reprehensor meus B. Thomam, de cuius doctrina locutus sum, vt me desinat reprehendere, & cum illo (quod ipsi erit gloriosius) congredi, atq; decertare. Ipse enim in quodlibet. 4. quęstionem proponens; An Pontifex possit dispensatione bigamos promouere, primo pro parte falsa de more arguens sic scribit.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Papa non possit dispensare in bigamiæ irregularitate. Non enim potest ab homine dispensari in his quæ sunt diuinitus instituta, ut Bernardus dicit in lib. de dispens. & precept. Sed doctrina Apostoli in qua continetur quòd bigamus non promoueatur, ut patet 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. est diuinitus promulgata, secundum illud apostoli 2. ad Cor. vlt. An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? Ergo papa non potest cum bigamis dispensare; Hæc ille. Et postquam fusiore doctrina statuit veritatem, ad argumentum his uerbis respondit; Ad primum ergo dicendum, quòd Apostolus dupliciter in doctrina sua aliquid proposuit. Quædam quidem sicut promulgans ius diuinum, sicut illud quod habetur ad Gal. 5. Si circuncidimini, Christus nihil uobis proderit; Et multa alia huiusmodi; & in hos Papa non potest dispensare. Quædam uero sicut propria autoritate aliqua statuẽs. Nam ipse dicit 1. ad Cor. 11. Cætera cum uenero disponam. Et infra.

infra 16. mandauit vt collectæ, quę fiunt in sanctos, per unam sabbati fiant: quod non pertinet ad ius diuinum. Et similiter etiam quod dicitur de bigamo non promouendo, non est iuris diuini, sed institutio autoritatis humanæ diuinitus homini concessæ; hæc ille pro nobis, & contra hunc reprehensorem nostrũ quam manifestissimè. Nec aliud ueteres Patres, quos iste producit, senserunt. Nihil. n. aliud dicunt nisi ꝙ quæ præcipiebat B. Paulus, ipse Christus, cuius spiritu loquebatur, præcipiebat, sed per eum, & quia per eum, non autem per se ipsum, iccirco non erat ius diuinum, sed canonicum siue ecclesiasticum, & propterea dispensabile. Nec iccirco contemnendum, quia Dominus dixit: Qui uos spernit, me spernit.

VENIO nunc ad aliud dictum nostrum, cuius gratia hic miserandus homo se cruciari, rumpi, nec posse pati, quasi zelo tactus, toto illo libro ostentat, quia dixi: Non proprie Dei dicitur lex illa Moseos, eò quòd non immediate uenit a Deo, sed per Mosen. Decalogum autem proprie dici legem Dei, quia a uo ce Dei uenit, et (ut ait Scriptura) Deum audierunt loquentem. Hic igitur homo carpens quæ non apprehendit, illis uerbis, quæ non citat perfecte, putauit me dicere quòd non sit propria loquutio hæc, Lex Moseos fuit lex Dei. Ego autem ad ipsum esse respiciens, non ad DICI, dixi de illa quòd non erat proprie lex Dei. Et declaraui dictum, quòd illud proprie Dei esse dicitur, qđ ab ipso immediate, & non per alium, emanat, sicut res propria dicitur in qua alius non cõmunicat. Illa autem lex per Mosen data est; sicut testatus est B. Ioannes Baptista, & ideò dicitur esse lex Moseos, & non proprie Dei. Sicut Baptismus Ioannis, tãetsi esset a Deo & consequenter a Christo, non proprie diceretur baptismus Dei, & Christi, unde semper dictus est baptismus Ioannis, non autem Dei, aut Christi, ut a baptismo Christi distingueretur. Neque parum interest hæc intellectu sapienter diuidere, cum non modica sit in re differentia secundũ Scripturas, ut iam probaui ex uerbis B. Pauli excellẽtiam sui apostolatus designantis in hoc quòd non ab homine neque per hominem. Et pari ratione præ lege Moseos etiam ministrata per Angelos, & præ eloquijs prophetarũ legẽ euangelicam extulit his uerbis: Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem cõstituit heredem uniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cũ sit splẽ

P dor

dor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui.n.dixit aliquãdo Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ponens differentiam claram inter transgressiones, ꝙ criminosius est transgredi legem Christi euangelicam quàm illam Moseos legem, sequenti capite dixit, Propterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne forte per effluamus. Si.n.qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutẽ? Hæc Apostolus. Quæ uerba exponentes omnes sancti Doctores (etsi per se sint clarissima) in hoc conueniunt, ut rectè colligit Caietanus his uerbis, Declarata excellentia Christi supra Angelos, ex illa deducit debitum nostrum ad seruandũ doctrinam euangelicam longe maius quàm seruandi doctrinam ueritatis testamenti, quia euangelica doctrina ab ipso Domino, illa autem per Angelos data est, hæc ille. Et loquitur B. Paulus de lege Moseos, quod patet in pœnis præuaricationum, quas generaliter commemorat dicens, Et omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedem. Certum est quòd de temporalibus pœnis sensit.

Hanc verò differentiam magnam, quam noster reprehensor nõ animaduertit, sensit populus Dei in Horeb cum audisset Dei uoces, & metueret, Deo ipso Decalogum pronunciante in horribilibus prodigijs, & signis. Vnde scriptum est; Cunctus populus uidebat uoces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti ac pauore concussi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur; hæc ibi. Et ut inter uerba Decalogi, quæ accipiuntur tanquàm ĩmediatè dicta à Deo, & legem cæremoniarũ, eam quam indicaui differentiam agnosceremus, loquitur per Ieremiam Dominus; Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocaustomatum, & uictimarum. Si Deus quę ꝑ Mosen loquebatur, ipse immediatè locutus diceretur, falsum esset quod ait: Non sum locutus, &c. Quod uidens Origenes, nobis eleganter attestatur: quod & noster reprehensor fatetur. Qua in re, audi quæso prudens lector admirandum censorem.

Post

Post q uędam satis inepte, atq; indocte ab eo effutita, sic loquit.
. Non itaque ponenda est in sanctis scripturis connexio ex praeceptis dei, & ex praeceptis hominum separatim, vt faciebat Ptolemaeus haereticus, sed omnia praecepta scripturae sunt, & dici debent dei pręcepta. scio aliquem ex ueteribus idem sensisse, quod modo isti, Origenem dico. & alios eum secutos, quos, ne sim longior, non commemoro, sed quae male veteres docuerunt, aut corrigenda sunt, aut certe non imitanda in ijs pręsertim, quorũ opera cum auctoribus damnata sunt. haec itaque sunt Origenis, ex Homilia Num. 16. & per Moisem quidem multa locutus est deus, aliqua tamen, & Moises propria auctoritate mãdauit, quod dominus in euangelio euidentissima ratione secernit, cum dicit de repudio mulieris interrogatus, quia ad duritiam cordis uestri scripsit uobis haec Moises, ab initio autem non fuit sic. & paulo post, uides ergo, & hic deum quidem non praecepisse, neque uoluisse fieri diuortium, Moisem vero propter duritiam cordis Iudeorum scripsisse, dandum esse repudium. ostendit haec & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam, dominus dicit, non ego, & de alijs, haec autem ego dico, non dominus, & iterum in alijs. praeceptum domini non habeo, consilium autem do. & iterum, quae loquor, non loquor secundum deum, vnde similiter ẽt in caeteris prophetis aliqua quidem dominus locutus est, & non prophetae, alia uero prophetae, & non dominus. haec Origenes. Equidem ut hic in Origine Ptolemaeum agnosco, sic in istis, qui sic sentiunt, origenem. Haec ille.

Fatetur ergo hanc differentiam non esse meam, sed Origenis, & aliorum quorundam Patrum, quorum non citat nomina, nec ab re. Grauabatur enim autoritate Catholicorum. Origenẽ tantum nominauit, quoniam eius opera cum autore damnata sunt ab ecclesia, ut ait, nec meminit etiam recitari cõtinue in ecclesia plusculas eius homilias, nec animaduertit, quòd singuli errores Origenis notati sunt a B. Hieronymo & alijs, inter quos hic non legitur. Solus homo iste propria autoritate damnat, quod & alij catholici docuerunt, quia sibi aduersantur. Vult ergo mandatum repudij uenisse a Deo, eo modo quo Decalogus, ut sic Deus ipse suam legem coniugij quàm ipsemet per os Adae protulerat, destruxerit. Et non attendit euangelij uerba. Primum quod Dominus testatur, eum qui fecit masculum, & foeminam dixisse; Propter hoc dimittet homo &c. De libello autem repudij nõ

ait dixisse Dominum, sed illis interrogantibus, & dicentibus, Quid ergo Moses mandauit dare libellum repudij? respondit; Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras;ab initio autem non fuit sic.

Respondebit opinor hic homo; & dicet; Quod Moses fecit, nónne Deo volente,atque inspirante? Non nego;& tamen nō vt propheta,sed ex potestate,ut legislator locutus est Moses mādans libellum repudij. Adam autē non fuit legislator,sed vt propheta legem Domini Dei protulit,sicut B. Augustinus super Ge. ad literam egregie declarat.

Sed vt obstruatur contumeliosum, & vanū huius hominis os, qui in nobis spiritum hæreticum intuitus est,audiat B. Hieronymum ea verba Domini expo̅nētem his uerbis; Quod dicit istiusmodi est. Nunquid potest Deus sibi esse contrarius,vt aliud ante iusserit,& sententiam suam nouo frangat imperio? Non ita sentiendum est. Sed Moses cum videret propter desiderium secundarum coniugum primas vxores interfici, aut malam vitam ducere,maluit indulgere discordiam,quàm odia & homicidia perseuerare. Simulq; considera, quòd non dicit propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus,sed Moses, vt iuxta Apostolū, consilium sit hominis,non imperium Dei;hæc ille è diametro destruens huius uiri sententiam. Heus igitur bone vir, & pugnator egregie, Nunquid in B. Hieronymo agnoscis spiritum Origenis, aut Theodori hæreticorum? Miseratur tui Deus,& disce saltem tuo nunc periculo non tam facilem esse ad reprehēdendum,quę res cum odiosa sit, etiam si forte iure reprehendas, quanto magis detestanda cum tam præcipitanter,ac contumeliose quasi hæretica taxantur quæ a viris doctis,& sanctis, nemine contradicēte, scripta sunt? B. Thomas quoque hanc differentiam agnoscens, dico differentiam legis, vt erat lex Moseos etiam dictata per Angelos, a lege Christi, in hunc modum scripsit; Specialis ratio est quare legem veterem per Angelos dari oportuit. Dictum est enim quòd lex vetus imperfecta erat,sed disponebat ad salutem perfectam generis humani,quæ futura erat per Christū. Sic autem videtur in omnibus potestatibus, & artibus ordinatis, quòd ille qui est superior principalem, & perfectum actum operatur per seipsum;ea verò quæ disponunt ad perfectionē vltimam,operatur per suos ministros; sicut nauifactor compaginat nauē per seipsum, sed præparat materiam per artifices subministrantes.

ſtrantes. Et ideo conueniens fuit, vt lex perfecta noui teſtamenti daretur immediate per ipſum Deum hominem factū. Lex autem vetus per miniſtros Dei, ſcilicet per Angelos dareť hominibus. Et per hunc modum Apoſtolus ad Hebr. probat eminentiā nouę legis ad veterem; quia in nouo teſtamento locutus eſt nobis in Filio; in veteri autem teſtamento eſt ſermo factus per Angelos, hæc D. Thomas, quæ ſi uera eſſe reprehenſor noſter fatetur, profecto iam redarguitur; ſin autem negat, opprimitur tanti Doctoris autoritate, ego autem releuor.

Audet etiam non contra me, ſed contra omnes Doctores, & eccleſiæ ſenſum, ac definitionem aſſerere, cœlibatum ſiue continentiam miniſtrorum. Eccleſiæ catholicæ eſſe præceptum de iure diuino ſcripto ſancitum; quod latius tractauit alio ſuo libro de ſexta, & ſeptima, & octaua ſynodo, vbi cōfidētiſſime cōcludit.

Eſt itaq; ſacrorum miniſtrorum eccleſiæ catholicæ continentia præcepto, atq; iure diuino ſcripto ſancita. tenentur, inquam, epiſcopi, presbyteri, diaconi, hypodiaconi cōtinere ſe perpetuo à ſuis uxoribus quas ante habuerint, idque pręcepto Chriſti per Chriſtum, & apoſtolos prædicato, & ab ipſis ſcripto; hęc ille. Errauit igitur uniuerſus Scholaſticorum cœtus, & B. Thomas, qui docuit, ex ſtatuto tantum eccleſię eſſe debitum continentię in ſuſcipientibus ſacros ordines, ac propterea poſſe in his per eccleſiam diſpenſari vbi magna cauſa depoſceret. Verum non ſolus s. Doctor, ſed pontificij Canones idem aſſerūt, ut patet in ſexto libro Decretalium ſub titulo de uoto, & uoti redempt. vbi legiť, ex ſola eccleſię conſtitutione inuentum eſſe, non a iure diuino emanare inſolubile debitum continentiæ in ijs qui ſacros ordines ſuſcipiunt. Sed nimis laboro in nimis notis.

PROFERT & mea uerba quibus argumenta cōtradicentium reſoluebam, ac ſimul rationem reddebam, quare modus, & obligatio reſidendi perſonaliter in eccleſia non ſit iuris diuini, ſed eccleſiaſtici. Verum quia non omnia recitat, & tamen ad rem omnino faciunt, quia ipſe fere omnia reprehendit, ego commode hic ea ſubijciam.

Reſtat ergo nunc, vt argumenta ex iam ſoppoſitis diluantur, quod facilè erit. Fatemur enim primū, epatū eſſe (ſicut diximus) de iure diuino, & curam gregis annexam habere de iure diuino; applicationem tamen mei epiſcopatus mihi cum omni ſua obligatione non eſſe immediatè a Deo, ſed ab homine; vnde a

quo

quo mihi episcopatus traditur,ab eo & præceptum curæ & obligatio illius curæ descendit,& ideo ex sui natura subditur ea cura & eius obligatio dispositioni & dispensationi summi Pontificis,à quo accipitur. Et hic est locus vbi decipiuntur aduersarij. Putāt enim ex hoc quòd episcopatus est de iure diuino,continuò sequi de singulis Epis qui illi vel illi loco applicantur,quòd sint & ipsi à iure diuino,hoc est,à Deo immediatè, ita vt non subiaceat episcopatus & cura illa particularis residētiæ, potestati & arbitrio Papæ,sicut uerè non subiaceret si iure diuino,hoc est,à Deo esset commendata immediatè. At non ita est.Sicut ex hoc quòd ieiunium est de iure diuino,non sequitur quòd ieiunium quadragesimæ sit de iure diuino, & consequenter immutabile. Et similiter ex hoc quòd esse respublicas & magistratus in eis sit de iure naturali,nō sequitur,Ergo esse hunc & illū magistratū signatū,est de iure naturali.Similis est deceptio in hoc ꝓcessu,Homo est dignissima creaturarū,Ergo hic homo uel ille ē dignissima creaturarū, Manifestè peccat argumentum. Ita ergo est in proposito. Etsi episcopatus & esse episcopos in Ecclesia sit de iure diuino, non tamen me esse Episcopum est de iure diuino,cum mihi talis episcopatus applicetur medio Petro,id est,episcopo Romano. Solus episcopatus Romanus immediatè à Deo applicatur personæ. Quamobrem non nisi soli Petro dictum legimus à Domino IESV Christo, Ego dabo tibi claues regni cœlorum. Reliqui enim à Petro ipso accipiunt,aut saltem sub Petro.Hoc autem dico propter Apostolos,qui immediatè acceperunt à Christo,qui tanquam verè summus Pontifex in hoc facto Petrum præuenit. Cæteri verò omnes Episcopi qui post Apostolos fuere, sicut potestatem & curam à Petro acceperunt, ita consequentissimè ipsam curandi obligationem, Hæc ego. Et præter hæc adieci.

Ea uerò quæ afferuntur, quòd non potest præstari pastoralis cura sine personali & assidua residentia, non habet euidentiam. Non .n. euidens est quòd munera episcopalia Episcopus non posset exercere per alium,cum nullum suapte natura sit indelegabile,vt patet,imò sunt casus pleriq; in quibus non solū licet episcopo abesse,verum etiam necesse est,si propterea magis consulatur Ecclesiæ suæ aut Ecclesiæ Catholicæ. Sunt & historiæ de uiris probis & sanctis qui nonnunquam & per magna temporum interualla,ex magnis causis abfuerunt ab suo episcopatu.Beatus Timotheus Apostoli discipulus, etsi esset Ephesinus Episcopus,

tamen ad iussum Pauli alijs Ecclesijs inseruiuit, unde iussus est ire Romam ab Epheso & Corintho, idq; non semel, & è Roma Ierusalem, vt nonnullam interea pedinem, imò & frequenter, pateretur cura episcopatus sui, quod de multis alijs per historias patere potest. Sunt & casus in quibus licet dubitare An teneantur, & quatenus, & ideò huiusmodi quæ uariationem & dubitationem ex emergentibus casibus accipiunt. determinatio est sapientum, vnde non possunt constanter dici esse iuris diuini. Nam quæ propriè iuris diuini sunt, certa sunt & immutabilia. Sed illud est (vt dixi) quod deceptionem facit, quia credimus quòd quia aliquid in genere cōsideratum, est iuris diuini. Verbi gratia, curare oues, similiter etiam sit iuris diuini si consideretur in particulari signatò secundum certos modos & conditiones, quod est falsum manifestè, vt multis locis declarat B. Thomas. Exempla sunt innumera, & iam dedimus, & addere etiam plura possemus. Verbi gratia, præceptum obseruantiæ Sabbati de iure naturali est & diuino, quatenus de indeterminata die intelligitur & de indeterminato modo obseruantiæ. Quatenus uerò determinatio facta est ad certum diem, v. g. quòd septima die, vt obseruatio est Iudæorum, aut octaua die, sicut obseruamus nos, non est ex lege naturæ, quamquam ab initio fuerit ex lege Dei, qui diem septimum sanctificauit propter beneficium creationis in ea die perfectum, hæc nostra sunt.

Nunc uideamus quæ reprehendit hic amicus noster. Ait primùm generaliter, Si hæc ita sunt, ergo neq; vota, neq; iuramenta iure diuino iam sancita erunt, quoniam in ea cadat uarietas ætatis, personæ, materiæ, & aliarum qualitatum. Hactenus etiam atq; etiam prodit imperitiam suam, in eundem incidēs lapidem, non capiens quòd quando dispensat Pontifex circa uotum aut iuramentum, non dispensat circa ius diuinum, cum uotum & iuramentum in genere sint iuris diuini, non in particulari. Neq; enim Papa facit canonem ne uota fiant aut iuramēta (quod esset contra ius diuinum) sed dispensat particulariter super illo aut illo voto ac iuramento, cuius materia non est iure diuino præcepta. Non enim est de iure diuino quòd ille illud uoueat aut iuret, nisi & illa quæ uouet aut iurat pertineant ad ius diuinum, vt est votum Baptismi quo obligamur Christo, quod non recipit dispensationem, quia nec uarietatem. Cætera uerò particularia uota aut iuramenta ita non sunt de iure diuino ut sunt sæpenumerò &

contra ius diuinum, vt si cadat super indebita materia. Tunc enim potius de iure diuino est vt non seruentur, similiter si inutilia ac frustratoria sint. Quòd si aliquod maius bonum impediat, aut non conueniant personæ uouenti, Prælati est inspicere & in omni dubio dispensare. Intelligat ergo si uult aliquando, multo aliud esse dicere uotum & iusiurandum sic generaliter acceptum, esse de iure diuino, quod significat generaliter Deum probare vota & iuramenta, uellèque ea seruari quantum fas fuerit, Aliud verò dicere hoc uel illud siue uotum siue iuramentum esse de iure diuino, ita vt ad cuiusq; uoti uel iuramenti obseruantiam immutabiliter quisq; teneatur de iure diuino. Hæc enim particularia sunt, quę cum uarietatem recipiant, subduntur hominum iudicijs & censuræ & potestati, vnde & in his determinationes ac dispensationes Pontificum recipiuntur, sicut rectè docent tractatores.

Dici quoq; Dominici obseruantiam asserit esse de iure diuino, quia in Canonibus Apostolorum habebatur, ac proinde lege diuina sancitam. At contrà docuit me B. Thomas, qui ait, à constitutione solum Ecclesiæ & consuetudine populi christiani loco Sabbati successisse, & ideò nō esse ita arctam eius obseruantiam. Non est autem hæc unius B. Thomæ doctrina, sed communis omnium.

De ieiunio Quadragesimæ & quatuor temporum similiter horum institutionem putat esse diuini iuris etiam contra B. Thomam, qui uniuersaliter dicit, ex statuto Ecclesiæ factam esse ieiunij determinationem de modo & de tempore, hęc sunt uerba eius. Idem quoque B. Augustinus agens cum quodam phanatici spiritus homine, qui de iure diuino uolebat esse ieiunium Sabbati, concludit his uerbis. Ego in euangelijs & apostolicis literis totoq; instrumēto, quod appellatur testamentum nouum animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini uel Apostolorum non inuenio definitum, hęc ille, cui in hoc contradicere non est nedum prophetici, sed nec quieti nec sani spiritus. Quòd uerò quidam sancti Patres, ut Ambrosius, dicant Quadragesimæ ieiunium uenisse à Christo (quanquam B. Hieronymus & sanctus Leo dicant ab Apostolis) non negamus, cum dicamus a Christo venisse, sed per Apostolos, ut etiam quodammodo dicatur diuinum pręceptum, nec

pro-

propterea constituere diuinum ius propriè loquendo, hoc est, secundum illam significationem arctiorem qua ius diuinum diuiditur à iure naturali, & ecclesiastico. Quapropter B. Ignatius ad Philippenses, non dixit Quadragesimam à Christo uenisse, sed conuersationis eius imitationem continere; unde admonet non esse pro nihilo habendam, nec audet quasi diuinum pręceptum obijcere, sed quasi ecclesiasticum.

Dicuntur etiam Apostoli suis canonibus statuisse die Mercurij, & die Veneris ieiunium: quod statutum quis nunc seruat? Quale ergo esset istud ius diuinum quod ita euacuaretur, & disperiret? Et hic est honor quem defensor iste diuini iuris tribuit iuri diuino censor, & explosor nouitatum uerborum, qui ita laxè accipit ius diuinum ut sub eo etiam suam istam sentētiam cōcludat, ut quisque eam recipere teneatur tanquam ius diuinum. Quid ni? cum ausus sit dicere a Spiritu prophetiæ depromptā?

Audiamus, obsecro, modo uirum istum quæstionem cum autoritate determinantem: uerba eius hæc sunt.

Valeat ergo, cum cęteris, hæc quoque uerborum nouitas, quę non parum scandali, & contemptus affert, non esse de iure diuino ieiunium quadragesimæ, & obseruationem diei dominici aliaque huiusmodi, & si.n.notanda sunt, & distinguenda, quæ sunt à Christo, & quæ ab apostolis tradita, quæ scripto, & quæ sine scripto, tamen non sunt ex his dicenda alia iuris diuini alia non iuris diuini, idem enim Deus est, qui utraque sanxit, & docuit, siue scripto, siue sine scripto, siue per se, siue per apostolos, neque refert ad uim obligandi quomodo sanxerit, aut docuerit, an per se primum, an per apostolos suos, neutra.n.solui possunt, cum autem solui uidentur, dispēsatio potius est, & æconomia, quam solutio: hæc ille.

Contremuissem certè ad uerba tanti censoris ac tantæ seueritatis si me solum uerberarent, & has uerborum nouitates adeò scandalosas ego primus inuenissem. Verum cum nullus scriptorum sit qui has differentias non obseruet inter diuinum, & ecclesiasticum ius, & præceptum, quam doctrinam latissimè patere existimo, quiescam animo, præsertim quòd qui rationem eius ponderauerit, facilè agnoscet hominis ingenium habens (ut plerunq; contingit) inscitiam cum arrogantia & præsumptione cōiunctam. Audacter loquor, quia de re euidenti, & quia non

me defendo, sed uniuersorum Doctorum cætum. Et obsecro pie, & acute lector, considera eius rationem. Quia idem est Deus qui utraque sanxit, & docuit siue scripto, siue sine scripto, siue per se siue per Apostolos, non uult pati hanc differentiam notari per ius diuinum, & ecclesiasticum. Transibit ergo ius diuinum ad omne ius ciuile, quia & hoc idem Deus sanxit, licet per homines, sicut scriptum est: Per me reges regnant, & conditores legum loquuntur iustitiam. Et tamen pagina xviiij. ipse idē ait, potestatem spiritualem a Deo legibus diuinis constitui, secularem uerò legibus humanis, cum Deus, & potestatum, & legū humanarum sit autor. Vult etiam pari modo non solui ecclesiasticum ius, quod per Apostolos sancitum fuit, quemadmodum ius diuinum quod ore Dei habetur expressum non soluitur. Hāc uerò doctrinam quàm sit catholica, docti iudicent. Ego uerò miror, quicunque permiserunt edi in publicum tam crassos errores, præsertim si sciebant hoc illi Romæ non licuisse, sed tulisse repulsam, cum tamen id maxima ambitione, & modis omnibus requireret.

SVPEREST igitur ut missis quæ passim, aut falsò, aut inaniter differit, & effutit, cum iam illius fundamenta destruxerim rem omnem paucis perstringens concludam. Primùm, si volumus propriè intelligere ius diuinum vt a naturali, & ab ecclesiastico differt, sicut accipit Beatus Thomas, & sicut accipi debet propter eius excellentiam, & notabiles ab alijs iuribus differentias, ita ut dicamus illud solummodo esse ius diuinum, quod uerbo Domini expresso prolatum est, aut inde clara, & prompta sequela deducitur, perspicuum reddi, modum residentiæ Episcoporum non esse de iure diuino; quia circa hoc nihil habetur expressè determinatum à diuino iure, nisi de cura gregis. De residentia uerò, An per seipsum, & quanto tempore, quia hæc magnam recipiunt variationem, relictum est determinandum Ecclesiæ, & circunspectioni summorum Pontificum. Manifestum est enim, quòd personalem, & assiduam residentiam simpliciter nunquàm, nec ipsi Canones exegerunt, & deridendum est illud quod iste inculcat de præcepto Salomonis: Agnosce vultum pecoris tui, ut probet assiduam, & personalem Episcopi residentiam. Impediunt.n.illam sæpè generalia Concilia,

quæ interdum integros & multos annos abſorbent, quod & nūc videmus. Impediebant & Concilia prouincialia, quæ erant olim frequentia, & aliquando bis in anno ex lege congregabantur. Impediunt legationes à ſummis Pontificibus, quas ſæpè obeunt & multo tēporis epiſcopi propter maiorem Eccleſiæ utilitatem. Impedire etiam poſſent tyrannides & odia aliquorū principum in certos paſtores, & pericula vitæ. Quis ergo tunc requirat perſonalem reſidentiam, cum ęquè aut etiam melius poſſit per Vicarios curari grex? Et utinam non eſſet mihi promptum nunc exempla circa hoc proferre. De his ergo certum ac palam eſt, nihil eſſe expreſſo Dei uerbo ſancitum. Poſſent etiam accidere caſus, de quibus dubitari poſſet etiam inter ſapientes, Vtrum perſonalem reſidentiam epiſcopi excuſent, cum ſint hinc inde rationes. Has ergo determinationes Dominus reliquit Eccleſię & Paſtori uniuerſali, quod quidem munus, vt patet in Canonibus & plerisq; Concilijs, exequuti ſunt, & nouiſſimè in Tridentino.

Nunc audi bone lector ut rideas. Cum non poſſet hic reprehenſor noſter aliter reſpondere & tueri propheticam ſuam ſententiam, videlicet, perſonalem & aſſiduam epiſcoporum reſidentiam de iure diuino requiri, propter inſtantias datas, & omninò uolebat eas perimere, hac noua ſtropha uſus eſt. Eſſe prǽſentem Epiſcopum (inquit) duplici modo poteſt intelligi. Vno modo corporaliter, alio modo ſpiritualiter, iuxta doctrinam B. Pauli, qui dixit: Abſens quidem corpore, prǽſens autem ſpiritu, ita tandem vt ſufficiat perſonalis reſidentia ſecundum ſpiritum ut ſaluum ſit ius diuinum, quod exigit perſonalem & aſſiduam reſidentiam. Argutum profecto tametſi nouum commentum, & à nemine anteà excogitatum, nec ullum magis efficax contra perſonalem Epiſcoporum reſidentiam. Qui enim reſidere perſonaliter, & corpore præſentes eſſe minus curabunt, facile huius tanti doctoris ex prophetico ſpiritu prænunciantis autoritate freti, illud Apoſtoli dictum ſibi uſurpabunt, & dicent, Abſentes quidem corpore, præſentes autem ſpiritu &c. & illudetur tandem reſidentiæ obligatio, adeò hic homo pro reſidentia laborauit.

SED iam feſſus ſum redarguendo, nec tamen deerat adhuc multa materia, ſed ne lectorem tædio afficerem, hic finem facere decreui, orans atq; obſecrans, non mei, quidem, ſed publicæ vtilitatis gratia, per nomen & viſcera IESV Chriſti Domini noſtri,

ſtri, eos qui probandi libros curam habet, permittendiq; publicationem, ut non tam citò tàmq; facile, præſertim in hoc ſcribendi genere, id permittant, vnde contentiones & conuicia & turbæ in eccleſia Dei abſq; ullo fructu emergunt magno cum gaudio Satanæ & Angelorum eius & cunctorum hominum qui ex eius ſemine compacti ſunt. Quòd ſi quid à me paulò ſtomachoſius effuſum pius lector & manſuetudinis amator cernat, per ipſius pietatem & manſuetudinem rogo, vt uelit uehementer conſiderare primùm ipſius rei indignitatem, deinde me cõfitente & atteſtante perſuaſum habere, hac mea defenſione me non tam uoluiſſe rectè á me ſcripta defendere, quę ſatis per ſe veritas perſpicua ac manifeſta defendebat, quam huius hominis inſcitiam atq; impotentiam retundere ad illius reſipiſcentiam & aliorum exemplum. Nam huiuſcemodi homines eius ingenij ſunt, ut niſi eorum os ictu grauiore percuſſeris, vix cohibeas à latratu. Quamobrem ſi fortè nihil ueritus hanc primam noſtram retunſionem, ſed potius irritatus (quod non eſt charitatis) ſilere non poterit, & permittatur etiam denuò reſarcire arma & in harenam deſcendere, proteſtor pie lector & mãſuetudinis amator, cedam furori. Hoc tantum dicam, quod & nunc dico, ſatis reſpondi, ſatis oſtendi, ſapientes iudicent.

FINIS.

FRANCISCI TORRENSIS,

ANTAPOLOGETICVS PRO LIBRO SVO

DE RESIDENTIA

PASTORVM IVRE DIVINO SCRIPTO SANCITA,

AD REVERENDISSIMVM D. IOANNEM, SALVIATVM, *Episcopum Cardinalem.*





IBRVM de Residentia pastorum iure Diuino scripto sancita, pridem in publicum emisi, quem tibi SALVIATE, vt meministi, dicaui, in quo & sententiam meam perscripseram, & cuiusdam senioris, ac docti uiri, qui ante me scripserat, tum de eadem re sententiam, tum multa alia vno eius libello comprehensa, reprehenderam, & confutaram, tam honesta tamen oratione, vt nullum graue uerbum in eo legeretur, quod non contradicentium honesta, & familiaris consuetudo ferre posset, & ratio, atque vtilitas legentium postulare uideretur, vt Falsa est hæc sententia, ac scandali plena. Errat. Profana nouitas uerborum est hęc. Et ad hæresem Ptolemæi hoc pertinet. Imo laudabam eum, quòd multa alia docte scripsisset, vt sic ad sententiam istam suam damnandam fortasse laudatiunculæ huius dulcedine facilius eum adducerem, proposito etiam sanctissimo retractationum patris Augustini exemplo, tum Leonis magni de suis cuique damnandis erroribus commemorata sententia, dein de precibus, & obtestatione adhibitis. Ille uero non contentus, & sua defendere, & mea improbare, quod satis esse debebat, bre-

nibus

tibus spatijs, veluti respiratione sumpta, in me omnibus conuitijs,& contumelijs armatus,tametsi non nominatim,irruit,sui,& propositæ rei oblitus, ac illius Apostolici præcepti immemor. Omnis,inquit,sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si qs bonus ad ædificationem fidei. Ego vero,si quidem dominus permiserit,refrænabo linguam meam,ne iuxta Iacobi fratris domini sententiam,si non refrænauero,religio mea uana sit. Ac quia, vt in Prouerbijs scriptum est,in manibus linguæ est vita,& mors, dicám cum Dauid,quod est sicut scripturá testatur,in vetere prouerbio, Manus meá non sit super eum. Imo addam cum eodem Dauid,Sinite maledicat, si forte respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Hęc est enim gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias,patiens iniuste. Quæ est enim gratia,si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Similiter dici possit,si bene,ac pro veritate scribentes, probra, & conuitia, ac maledicta sustineamus non reddentes malum pro malo, sed benedicentes, maledicentibus nobis, hęc est gratia apud Christum Dominũ, qui passus est pro nobis,nobis relinquẽs exemplum,vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit,neque inuentus est dolus in ore eius, qui cũ malediceretur,non maledicebat,cum pateretur, non comminabatur. Dimittat ergo mihi Pater noster, qui in cœlis est, debita mea,sicut ego dimitto illi meo debitori,qui tantopere laborasse videtur,vt me omni honore,& existimatione, si quæ erat, spoliaret,& rursus omni dedecore,inuidia,& odio inuolueret,qui consitetur os meum ictu grauiore percussisse, vt me a latratu, vt ipse ait,cohiberet. Equidem neque latrabo,neque mordebo,nõ quia os fregerit,sed quia metuebam, Sicut ex Paulo didici,ne si inuicem morderem, & comederem, ab inuicem consumeremur, id est,non solum vterque nostrum maledicendo,& conuitiando periret,sed esset causa,vt alter periret prouocatus, atque ita quod est in Apocalypse beati Ioannis obscurius scriptum, in nobis declararemus,Commanducauerunt,inquit,linguas suas,& blasphemauerunt, philosophiam Christianam vertentes in profanam satyram,& amara,ac iocularia fecennina. Quare omnibus maledictis, ac probris remotis, ita veritatis patrocinium iterum suscipiam,vt,si perficere potero,intelligant ij præsertim, ad quos huius causę iudicium pertinet me,nisi fallor,bene fuisse locutum,&

illum fortasse male, ex quo rursus intelligant, nullam extitisse cau sam, cur me cederet. Neque vero quod dico fortassis, etsi perfice re potero, diffidentiæ, & dubitationis verba sunt, sed modestiæ, vt hoc quoque obiter caueam. Quia vero sæpe mihi utēdum erit his, verbis, ait, inquit, propositum vero est nō illum suo nomine appellare, etsi de nominis mei vituperatione Vituperatorem, siue Conuitiatorem meum appellare poteram, quia tamē glorior, si hoc patitur, de probris, quæ pro ædificatione fratrum, & Eccle siasticorum dogmatum defensione, licet neget, ab eo tuli, non Conuitiatorem, aut Vituperatorem meum, sed Laudatorem vo cabo, vtinam Correctorem etiam meum, vocare possem, profe- cto gratias egissem, sicuti in extrema parte libri mei, cum ad re- tractationem, eum hortaus, perorarem, his uerbis promiseram, quæ iterum repetam, idem iterum promittens, scilicet, Si quid hic, aut vbicunque alias, & a quocunque errasse admonebor, ha- biturū me illi maximas gratias. Quod vero me Laudator meus reprehensorem suum appellat, cū honestius appellat, verius pro- fecto obsecratorem suum appellasset. quia enim ab Apostolo di diceram, Seniorem cum omni reuerentia tanquam patrem obse cra, ego illum his verbis in eadem peroratione obsecraram. Eos vero, qui hęc aliquando tradiderunt, ac docuerunt, obsecremus cum omni reuerentia, & obtestemur, vt meminerint, quod supra dixi scriptum a Leone magno, tunc optime veritatem defendi, cum opinio falsa a suis auctoribus damnaretur, Respondebo ita que ordine ad omnia libelli eius, præterquam ad conuitia, & pro bra, de quibus hoc tantum dicam, mirari me, si librum suum ab honestis viris legi volebat, cur non honestarum aurium rationē habuerit, quæ quidem cum orchestræ, & Thymelæ assuetæ non sint, neque in scena ueteris comœdiæ exercitatæ, ferre non pos- sunt tot scommata, & conuitia, imo uix lecto principio, librum proijciunt, ut iam fecisse quosdam audio. Appellet me ergo noui tium, imperitum, indoctum, miserandum hominem, stultum, arro gantem, furiosum, & quicquid aliud ei libeat, sit ipse senex, erudi- tus, homo beatus, sapiens, modestus, cordatus, & si ita uult, scri- pserit multa præclare, dicam quod Apostolus Corinthijs, Iam sa turatus est? iam diues factus est? non hæc dico, quo illum con- fundam, sed vt tanquam patrem obsecrem, & tanquam præce- ptorem admoneam, ne nouitiem meā, ut ita dicam, neue hanc stultitiam, ac imperitiam contemnat. neq; deinceps iniuriam pu

tet,

tet, si quis contradicat. Semper enim in Ecclesia licuit, & licebit, eos, qui sanę doctrinæ contradicere putantur, redarguere, & eis in faciem resistere, idest publice, imo dicere anathema, si uel Paulus aliquid, aut Angelus de cœlo, præterquam quod euangelizatum est, tradiderit, & qui hoc non uult, aut non patitur, tyrannus esse, & fidei dominari uult. Vnusquisque autem uideat quomodo, & quid redarguat, & quid anathematizandum putet. Scriptũ est, prophetæ duo, aut tres dicant. cæteri dijudicent, & nos iam duo, aut tres de Residentia pastorum scripsimus, superest, ut cæteri dijudicent, & ij in primis, qui huic iudicio præsunt, qui iudiciũ Dei, idest, in ueritate iudicabunt, personam hominis non accipiẽtes. Quos obtestor per iudicium illud extremum, quando iuxta Apocalypsem beati Ioannis, apertis libris, mortui iudicabuntur ex ijs, quæ erunt scripta in libris, secundum opera eorum, ut quæ in nostris de Residentia Episcoporum libris scripta sunt, iudicentur, ut quæ a sanis Domini nostri Iesu Christi sermonibus, & ab ea, quæ secundum pietatem est, doctrina, & fideli illo secundum doctrinam sermone aliena esse uidebuntur, ea damnent, & eijciant, ne modico fermento tota massa corrumpatur. Quorum sancto, & incorrupto iudicio, qui non acquieuerit, superbus erit, nihil, sicut scriptum est, sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas uerborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui ueritate priuati sunt. Vt autem inde incipiam, unde ille amarum illum suum Apologeticum incipiendũ, & perorandum esse putauit, Quod librum meum ait, ab ijs qui probandi libros curam habent, reiectum fuisse, & rursus in extremo libri sui, Mirari eos quicunque permiserunt, ædi in publicum tam crassos errores, prętertim, inquit, si sciebant, hoc illi Romæ non licuisse, sed tulisse repulsam, Sæpe cogitaram, nihil ad hoc respondere, quod tum ille, tum tabernæ ipsæ librarię satis refellerent. Etenim si liber meus pp errores crassos, ut ait, reiectus fuit, cur nõ de ijs querebatur, qui eos errores uendere, & mercari Romæ permitterent, quos in publicũ emittere nõ pmisissent? Deinde quis crederet, licere uenale esse Romæ, qđ Romæ publicare nõ licuisset? aut si mei de Residentia pastorũ libri & emptio, & lectio, & laudatio, quod sciũt omnes, libera est, quid refert Romæ, an Florentiæ publicasse? Magister uero sacri Palatij, qui iudicio librorum publicandorum præest, quantis laudibus librum
meum

meum extulerit, ſcit ipſe, & audierunt plures. Nihil præterea nobis, quod ad dogma ullum pertineret, controuerſum fuiſſe, aut dubitatum, diſceptatumue, teſtis eſt Ioannes Petrus, Ferettus, Epiſcopus Lauellinus, uir ſingulari religione, ac doctrina. Et Alfonſus, Decius, Placentinus, ſancti Petri Pœnitentiarius, grauis, & eruditus uir, teſtes etiam meæ ad illum literæ, quas huic meo Antapologetico adiungam. Imo cum idem ex me Venetias proficiſcente de mei libri, Florentiæ publicatione in uia Bononienſi ad Vicum Loiani audiret, familiari amplexu, & oſculo ſancto mihi gratulatus eſt. Iam quanto ſtudio, negotio, & importunitate Romæ, qui libros meos ſumptu ſuo vellet imprimere, quæſitus tunc fuerit, teſtis eſt Guilelmus Sirletus, uir integerrimus, & cum in omni literarum genere, tum in ſtudio ſanctę ſcripturæ eruditus, & mirabiliter diligens. Sequitur, ut reſpondeam ad illud, quod proxime quæritur, me eum, eiuſque doctrinam iniuria, & indignis modis laceraſſe, & infamaſſe. Si lacerare eſt, & infamare, contradicere, & refellere, fateor laceraſſe, & infamaſſe, utar verbis eius, iniuria uero, & indignis modis quemadmodum lacerarim, non intelligo, niſi iniuriam putat, contradicere, & indignos modos appellat, quibus aliquando neceſſe eſt uti contradicentem, ut Errant, qui hoc, aut illud dicunt, Non recte intelligūt, qui ſic, aut ſecus interpretantur, Fallaciter hoc concludunt, Profana uerborum nouitas eſt hęc, Error eſt iſte ad Ptolemęum hęreticum pertinens. Hæc ſunt libri mei conuitia, hæ iniuriæ, hi indigni modi. Cum de eius perſona aliquid mihi dicendum fuit, laudaui eum, & dixi, multa alia ſæpe, & recte ſcripſiſſe. Cum uero de doctrina eius ageretur, ſi ille contendebat ſanam eſſe, & Eccleſiaſticam, ego uero contradicebam, non mihi liceret, talem eſſe dicere, qualem eſſe demonſtrabam? Hanc ergo rationem ſermonis communis, & conſuetudinis loquendi neceſſitatem ſecutus, de eo, quod erat, rem appellaui. Fateor Magiſtrum ſacri Palatij noluiſſe unquam mihi concedere, ut profanam nouitatem uerborum appellarem, non quia non eſſet, quia graue uerbum uideretur, quodque abſque dolore fortaſſe Laudator meus auditurus non eſſet. Ego uero & tunc illi reſpondi, & reſpondebo modo, ſic appellaſſe, ut cum Laudator meus, tum alij magis cauerent, neq; leue eē putarent, cum audirent ad eas pertinere, de quibus Apoſtolus dixiſſet, Profanas verbū nouitates deuita.

Itaque cum dico errorem illius ad hæresem Ptolemæi pertinere iniuria, & conuitium sit, & indignus modus, ut loquitur, si non pertinet iure,& merito queratur, sin uero pertinet, idque docui, & suo loco docebo amplius, quid queritur? recte inquiet, siquidem pertineret, Aio ego, Tu negas, deligamus iudices, nō enim ego iudex sum, etsi me sæpe censorem appellat, sed accusator, defendat ipse doctrinam suam; & uindicet illam, si potest absque conuitijs, & maledictis a falsitate, & nouitate profana, atque hæresi. An hic est indignus modus? An hæc iniuria? Queritur deinde, quòd librum meum cum eo non communicarim, antequam ederem, ut quidem alia scripta mea cōmunicassem, & ut me amici communes monuissent. O iustam querelam, testis est mihi Deus, si sperassem deducere eum a sententia, & ut retractationem scriberet, persuadere ac non potius tum per me, tū per alios cognouissem, pergere illum totis uiribus defendere, quod semel scripsisset, libentissime cōicassem. idq; Gulelmo Sirleto, amico meo summo cum me de hoc officio admoneret, respondi, facturum me facile fuisse, si alterum exēplum mihi relinqueretur, pr terea nihil me ex ea cōicatione præter odium, & contentionem sperare. Tunc Gulelmus, recte, inquit, cogitas. Imo ea fuit causa, cur postquam libri mei publicū acceperunt, cum ad multos mitterem, illum tamen præterirem. Vrbanius ille, & liberalius, ut sibi fortasse videbitur, qui vix libellum suū publicarat, cum conuitia sua, idest, laudes meas ad me dedit pferendas. Memini ēt, cum ego, qui audirem, iam illi de meo libro scripto quidem, sed nondum publicato, nunciatum esse, cuperemque, occasione nata, scire, quid sentiret, & in quam partē acciperet, adij eum, ut soleo aliquando, cum Romę sum. Et cum inter nos colloquentes, in Residentiam Episcoporum forte incidissemus, dixi ego, uideri mihi, eius de Residentia librū nō mediocre scandalum esse iis, qui satis suo uitio negligētes essent nisi nunc iure etiam, & auctoritate vitium suum tueri posse viderentur, dum se totos ex Pontificis nutu pendere dicerent. Ad hæc ille satis tunc quidem, ut mihi videbatur, modeste. ego, inquit, non vt scandalum esset, scripsi, sed quia ita sensi, & sentio, neque aliud in Scripturis doceri posse. quare, qui uolet, inquit, sentias aliter, si uideatur, licere.n.cuiq; ueritatē dicere. De meo libro nihil ille. Narraui hæc tunc amicis nōnullis. Profecto si librū meum ante publicationē cōicari secum voluisset, nō prætermisisset

set hanc occasionem. nunc queritur, postquam cum omnibus communicatus est. Fateor alia mea nonnulla scripta cum eo cō municasse, de quibus, si antequam illa communicassem, tam certus fuissem, quid ille sentiret, quàm eram certus, quid de Residentia, vellet, quorsum cum eo communicassem? Ego vero ideo alia mea scripta cum eo communicabam, vt aliquando amicis meis dicere solebam, quia tum doctus, tum facilis ad reprehendendum mihi videretur. Est autem reprehensio ad limandū pernecessaria. quantum enim negligentiæ creat promptus laudator, tantum diligentiæ, & limę addere solet etiam importunus corrector. Iam quòd Laudator meus ait, in reliquis scriptis meis, quæ cum eo communicassem, contineri dogmata periculosa, & inaudita paradoxa, quemadmodum ad rem, de qua agebatur, pertinere putarit, non intelligo. Sed bene habet, quòd illa non meminit, ne longiore oratione esset mihi modo respondendum. Credo inaudita sunt, & paradoxa Laudatori meo, qui etsi multa legerit, non omnia tamen legit. Periculosa vero dogmata per Dei gratiam fortasse nulla teneo, neque facile tenere possum, quandiu sanctas scripturas, traditiones sanctas, sancta concilia, & sanctorum Patrum consensum, quanto potero studio, sobrietate, & religione sequar, ut sequi a principio institui, dans operam, vt non plus sapiam, quam oportet sapere, sed, sicut ait scriptura, Sapiam ad sobrietatem. Verum, ut intelligant omnes, quam recte Laudator meus cętera mea dogmata, quę silentio prætermisit, (credo vt mihi parceret) intellexisse credendus sit, Videamus nunc quale sit, quod exempli grátia notauit. Vt illud, inquit, Inter Deum & creaturam dari medium, quod norunt amici communes. Si dixisset, quod illud medium, tametsi nunquam ego, id mediū posuissem, differre poteram hunc locum in tempus commodius, sperans interim fore aliquos, qui hoc fortasse melius quàm ille, intelligerent, quia tamen nihil amplius explicauit, cęteris, quod mihi tribuit, uarie diuinandum relinquens, præterquam amicis illis cō munibus, explicabo ego. Scio quos dicat amicos communes, duos sane doctos, & religiosos viros, quos ego in Christo amo, & colo. Fuit mihi cum eis aliquando disputatio de lumine glorię, in monte Thabor Discipulis ostenso, illi creatum contendebant, ego contra increatum, & ęternum, vt me sancti Patres docuerant, Dionysius Areop. Eusthatius Antiochenus, Gregorius

Nazianzenus, Athanasius, magnus Basil. Ephrem Syrus, Basilius Seleuciæ, Chrysostomus, Euaristus Pontifex, Hieronymus, Cyrillus, Anastasius Antiochen', Damascenus, sanctus Cosmas Hierosolymitanus, deinde Synodus Constanti. Ioanne Palæologo, & Ioanne Cantacuzeno Imperatoribus, aduersus Barlaã, & Acidinum Calabros, pertinaces illius increati luminis negatores habita, postremo catholici auctores, qui postea separatim libros eruditissimos de eadem re conscripserunt, vt idem Ioãnes Cantacuzenus, Christodulus, Philotheus Constantin. & Niceta Coniates cæteras etiam hæreses. 26. libris complexus, & alij, quos prætereo. Ne autem nunc omnia Patrum testimonia recitem, quod longum quidem esset, quodque proprio loco reseruamus, satis interim fuerit, si in ore duorum uel trium stet omne verbum, Ergo Chrysostomus in Homilia de Transfiguratione, interpretabor Latine totidem uerbis. Ostendit, inquit, Discipulis suis Diuini sui Regni gloriam, At dicent cõtinuo, qui linguas ferunt ad uenandum promptas, si est inaspectabilis diuina Verbi Dei gloria, eaque videri non potest, quemadmodum ostendit eam Apostolis? etenim si sub aspectum cadit, non est inaspectabilis, si autem inaspectabilis est, sub aspectum non cadit. quo circa audi, & aduerte animum. Dominus Christus Discipulis suis gloriam Regni sui inaspectabilis ostendit, & non ostendit, ostendit quidem, quo certiores eos de Diuinitate sua faceret; nõ autem ostendit, quo parceret eorum infirmitati. ostendit, inquam, illis inaspectabilis Regni Diuinam gloriam, non quidem totam, sed quantum vis, & acies oculorum corporis ferre poterat. vt enim infirmitatis eorum rationem haberet, nõ quia inuideret, non totam gloriam Diuini, & inuisibilis regni ostendit, ne scilicet vna cum aspectu uitam quoque amitterent. Hactenus Crysostomus. Lumen ergo illud Thaborium pater Chrysostomus Euangelium secutus, Diuinam gloriam siue claritatem Verbi Dei fuisse ait, quam scilicet, antequam mundus fieret, habuit, & qua se clarificari a Patre petijt, cum in montem ascendit ad orandum, ut Sanctus Ephrem Syrus in Homilia de Transfiguratione interpretatus est. Quam orationem a beato Luca prętermissam, beatus Ioannes Euangelista non tam historiæ, quam doctrinę ordine seruato, suppleuit. Idcirco princeps Apostolorum Petrus de hoc glorioso lumine loquens, Accipiens, inquit, a Deo patre honorem,

rem, & gloriam, voce delapsa ad eum a magnifica gloria, & quæ sequuntur. Scilicet accepit a patre, quod petierat, inquiens, Glorifica, siue Clarifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria, siue claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. In hac maiestate, & gloria, ut Patres, & sancti Euangelij interpretes tradunt, ueniet Filius Hominis ad iudicandum in consummatione seculi. Appellauit etiam pater Chrysost. lumen hoc, Diuini Regni gloriam, Euangelium quoque secutus, in quo Regnum Dei appellatur, sicut scriptum est, Sunt quidam de hic astantibus, qui non uidebunt mortem, donec uideant Filium Hominis uenientem in Regno suo. Regnum vero Dei non est temporale, neque factum, id est, non huius creationis, sed sempiternum, & increatum. Neque enim, quia illa Verbi Dei gloria, atque Diuinitatis splendor tunc primum, Deo ita dispensante, in corpus eius redundauit, cœpitque esse, ubi non fuerat ante, idest, in humanitate, idcirco dicatur factus esse tunc, non magis, quam Regnum Dei tunc esse incipiat, cum in eius possessionem beati mittuntur. neque enim ait, Fiat Regnum tuum, sed adueniat. Aliud est, incipere esse secundum se, ac simpliciter, aliud, incipere esse hic, aut illic. Neque rursus, quia Discipuli huiusmodi gloriam increatam, & diuinam viderunt, idcirco aut Deus corporeus, & visibilis concludatur, aut lumen illud, quia creatura non sit, continuo absque distinctione ulla creator erit, aut inter Deum, & creaturam aliquid interiectum ponetur. aut diuinum lumen, inaccessibile, & spirituale desierit esse. Duo illa prima, illorum sunt, qui non distingunt naturam, & naturale, sustantiam, & energiam eius, Deum, & quod dei proprium est. Tertium vero eorum, qui hæc ita distingunt, vt energias proprias, & naturales in deo non ratione tantum, sed re, a natura dei, cuius sunt, separent. Quartum denique eorum est, qui non semper naturam solam, a natura cum gratia discernunt. Ergo lumen illud dei proprium, & naturale, ratione tantum ab eo separabile tanquam ex quo, ut Patres loquuntur, etsi naturæ sensus humani inaspectabile, & inaccessibile, utpote naturam superans, uiderunt tamen in monte sancti Discipuli oculis corporeis, factis per potentem spiritus Dei gratiam spiritualibus, & puris, atque ita non quidem naturaliter, sed ὑπερφυῶς luminis illius Diuini tantum uiderunt, quantum scilicet cum Dei gratia mortales, ac non-

dum

dum beati ferre potuerunt. Denique sic lumen illud & claritatem viderunt, sicut beatus Gregorius Nyssenus de sancto Stephano protomartyre in Homilia de laudibus eius scribit. Vertam latine, Egressus, inquit, naturā, priusquam ex corpore exiret, cernit oculis puris cœlestes ianuas patentes, & quod intra adyta sibi apparuit, ipsamque Diuinam gloriam, & gloriæ splendorem, non quidem characterem Paternæ gloriæ, qui nullus describi potest, (ideſt non ſubſtantiam, siue naturā Diuini Verbi vidit) sed splendorem eius in ea forma, quæ hominibus apparuit, ideſt, in humanitate vidit. idque quantum natura humana (scilicet, Dei gratia adiuuante) capere poterat. Recitemus deinceps Ioannis Damasceni testimonium clarissimum ex Homilia eius de Transfiguratione Domini in monte. Vertam latine ad uerbum. O inquit, rem miram, non accessit extrinsecus gloria ad corpus, sed exintima Diuinitate verbi Dei, quæ Diuinitas in explicabili ratione, & modo cum corpore secundum hypostasem vnita est. Et paulo post, Transfiguratur, inquit, non quidem assumens, quod non erat, neque se mutans in id, quod non erat, sed quod erat, Discipulis suis ostendens. Hactenus Damascenus. Quod erat, inquit, nempe ex æternitate, vt pote Diuinæ naturæ, naturalis proprietas, quam sancti Patres de lumine hoc loquentes, ἰδίωμα φυσικὸν appellant. Non potest autem proprietas naturalis creata esse, si natura, cuius est proprietas, æterna, & increata sit. Etenim si potest, fuerit aliquando necesse est, natura illa imperfecta, & frustra, ut naturali sua proprietate, & energia carēs, aut non semper fuerit. in hoc enim ἀδύνατον compellitur Proclus Platonicus, cū Theoremate. 52. Vanæ suæ Theologiæ tradit, aeternū esse aut secūdū substātiā, aut secūdū energiā. quasi unius æternitas sine alterius posset esse. Accedat iā tertius testis, sanctissimus Pōtifex Euaristus, in cuius, uel solius ore hoc uerbū quod defendimus, stare potest. Is .n. in epistola ad omnes episcopos Africanos prima, disputās aduersus eos, qui solum Patrem absque Filio lucem inaccessibilem, & æternam habitare cōtendebant postquam demonstrauit eandem illam lucem habitare Filium, subiungit. In huius igitur luminis inacces sibilis scilicet, & æterni claritate Filius seipsum tribus Discipulis in monte præostendit. Hæc mihi necesse fuit aliquanto altius quā breuissime potui, repetere, vt intelligi posset, quod mihi Laudator meus falso tribuit, quasi medium aliquid re separatum inter Deum, & Creaturam ponerem, quod nunquam, te-

ſtis eſt mihi Deus, ſomniaui. Vnde vero profectum fuerit, vt mihi illud falſo tribuerit, iam expoſui, & quemadmodũ ille, & quanto cũ periculo in hoc Diuino lumine erret, qui .n. hoc Diuinum lumen tollunt, indigni ſunt, ut magnus Baſilius in examero ſuo ait, qui ſortem ſanctorum in lumine, ſicut Apoſtolus ait, participent, quo Dominus illuminabit eos, ſicut eſt in Apocalypſe beati Ioannis. non.n. erunt in obſcuro, neque egebunt lumine lucernæ, aut ſolis, qui tunc & Dei claritatem, & Deum, ſicuti eſt, beati uidebunt. Rurſus qui lumen illud Diuinum in monte oſtenſum, creatum ponunt, Hæreſem iamdiu damnatam renouant, Euangelio, ſynodo, Patribus, Eccleſiæ denique contradicentes, tum Græcæ, quę in feſto Transfigurationis, ἄκτιστον εἶδον & ἀπερινόητον Canit hoc lumen, vt eſt in Hymnis Damaſceni, & Coſmæ Hieroſolymitani, tum Latinæ, quæ item in eodem feſto canit Increatum lumen. vt Diuinum numen cernentes Increato lumine, neque.n. diſtincte legendum eſt, ſed iuncte. Etenim ſi Diuinum numen cernebant in creatura luminis, perinde profecto fuiſſet, atque cernerent Deum in creatura columbæ de cœlo lapſæ, aut in creatura Solis, quod nemo ſane concedat, præſertim qui ſecum reputauerit, quàm magnifice Scriptura ſancta loquatur de illius Diuinæ maieſtatis, ac magnificæ gloriæ viſione, quam Dominus præcepit Apoſtolis, ne ulli dicerẽt, quia ſcilicet, radios Diuinitatis ſuæ tunc illis oſtendiſſet. Fuiſſe ergo claritatem illam, cuius Apoſtoli facti ſunt in monte ſpectatores, propriã Dei claritatem, æternam, & increatam, ſimplici fide, vt videmus, credendum eſt. Cætera vero, quæ in hac luce noſtra, atque huius lucis vſura, & in aliarum naturarum proprietatibus cernuntur, ac cõſiderantur, non ſunt curioſe, & ſubtiliter ad illud Diuinum lumen, & Diuinam illam uirtutem ac, proprietatem transferenda, ne quod eſt impiæ intemperantiæ, fidem intelligentia noſtra metiri, ac terminare uelle, videamur. Vt.n. magnus Baſilius ad Gregorium fratrem ſcribens, ait, Vt in ijs, quæ ſub ſenſum oculorum cadunt, experientia rationi præſtat, ſic in excellentibus fidei noſtræ dogmatibus præſtantior eſt fides, quàm ex ratiõe comprehenſio. Atque hactenus reſponſum ſit ad proœmium Apologetici Laudatoris mei. Ex quo intelligi poteſt, qualia ſint cætera, quæ periculoſa dogmata, & inaudita paradoxa in ſcriptis meis legiſſe ait. Nunc ad ea, quę ſequuntur, tum quæ in libro meo reprehendit, tum quæ in ſuo defendit, pergam. Recitauit ille ex libri mei proœmio hæc. Vt

enim debemus omnes honestate vitæ aliena vitia, tanquam lumine tenebras coarguere, ac prodere, sic luce veritatis errorum tenebras patefacere, vt sicut scriptum est, Ambulemus omnes in omni bonitate, iustitia, & veritate, neq: ponamus offendiculum fratri, uel scandalum, quale est, quod quidam dicunt, Episcopos non fieri a Deo, sed a Pontifice, & quod ijdem falsa ratione inde concludunt, Residentiam episcopornm non esse iuris Diuini. Et paulopost. Recitemus ergo primum, quæ isti ad hæc duo defendenda, tanto alioqui errore, & scandalo plena, falso opponunt, pluribus alijs erroribus implicata, vt velut in tabella proposita sit tota suscepti operis ad redarguendum materia. Hæc ille ex libro meo recitauit. Qui si duos uersus cum dimidio amplius recitasset, fortasse locum non attigisset, aut conuitijs, & maledictis totum non impleuisset. Itaque inuehitur in me, quàm modeste, ipse viderit, & calumniæ condemnat, quòd nusquam in libro suo scriptum reperiatur, quod statim in principio ei tribuerim, episcopos fieri non a Deo, sed a Pontifice. Equidē in libro eius non sic scriptum esse, fateor, & id me non ignorasse, neque oblitum esse, imo libenter confiteri, intelligere potuit, si, ut dixi, duos uersus cum dimidio amplius ex libro meo recitasset, aut meminisset. Sic enim subiunxi, recitans, quæ illius erant. Quemadmodum, inquiūt, episcopus iure Diuino residere teneatur, cum nullus a Deo immediate fiat episcopus, sed a Pontifice? Cum hęc ego ex libro eius recitarem, notarem autem in principio mei libri eos, qui dicerent episcopos non a Deo, sed a Pontifice fieri, scilicet in Laudatorem meum intuens, debebat profecto ille, si me nō ita contemnendum putabat, attente relegere, & considerare hoc, quod in principio ei tribuissem in eius alioqui libro non scriptum verbis, vtrum ex ipsis tamen scripris verbis concludendum esse demonstrarem. Id si fecisset, obseruasset profecto, & reperisset in libri mei pagina.15. postquam vim, & proprietatem verbi huius immediate notassem, subiunxisse, Quare qui aiunt, Papam immediate fieri a Deo, vel necesse est tollant ministerium medium, quod intercedit, quodque nudam electionem appellant, si ita, vt volunt, verbum immediate accipiant, Vel si sic, idest, proprie, & vt debent, accipiant immediate fieri a Deo, scilicet, tanquam ab auctore, & domino, ita ut inter Deum, & eum, qui fit Pontifex nemo alius intercedat potestatis Pontificalis auctor, & dator. profecto cum addunt uelut comparantes,

Epi-

Episcopos vero non fieri immediate a Deo, sed a Pontifice, eúq; esse collatorem potestatis Episcopalis, nō iam ministrum faciūt Pontificem, sed proprie datorem Episcopatus, id est, huius gubernationis spiritualis, quæ charisma est, & quam Deus posuit in Ecclesia. Hæc libri mei. Concluseram autem supra, sicut magnus Athanasius in Baptismo concludebat. Quod si Pontifex Dei minister ponit potestate sua immediata, & prima pastores in Ecclesia, ergo non ponit Spiritus sanctus, frustra.n.ponat Dominus, quod iam ministro iusserit ponere. Rex.n.vt aiebat magnus Athanasius, imperans aliquid ministro, scilicet, ualenti, nō iam ipse illud facit, sed ministro cui iussit, relinquit faciendum. Ita fit, ut qui Episcopos immediate fieri a Pōtifice dicit, ut Laudator meus dicit, idem Episcopos non a Deo, sed a Pontifice fieri dicat, necesse sit. Et nisi hoc ita esse satis in libro meo demonstraui, calumnia sit, quod eam dicere statim in procemio affirmaui, & nunc iterum affirmo. In procemio aūt cum non possit neque debeat omnis ἀκρίβεια & perfecta doctrinæ, ac sentētiæ ratio constitui, debebat Laudator meus alioqui sapiens, & acutus consequentia uidere. Et utrum non uerba quidem eius scripta numerassem, sed sententiam scriptoris, ut boni interpretes faciunt, ponderassem. Et utrum lector tantum grāmaticus, an simul & lector logicus fuissem, neque cōmittere, quod Eusebius Cæsariensis de Marcello Ancyrano quæritur, interpretabor latine. Totum, inquit, corpus sententiæ uerborum præcidens, & totā consequentiam celans, uoculas uero quasdam ad carpendum aucupans. Vide, quid faciat contemptus. Quia. n. me sic esse putabat, ut appellat passim stultum, & indoctum, nihil curasse uidetur, quæ scripsi, utrum considerate scripsissem, sed in suam tantum opinationem defixus, solum quærere, si quomodo queat elabi, & pertinaci studio, ac contentione, quod semel scripsit, defendere. Nihil respondebo ad conuitia, quæ in hunc locum tam multa contulit, indigna illo quidem ad dicendum, quā uis essent me digna ad audiendum. Sequitur ordine alius locus in quo Laudator meus, quod sæpe in libro meo hanc eius de Residentia Episcoporum sententiā scandali plenam esse, affirmo, & ut ipsius verbo vtar, uociferor, his uerbis ex Apologetico suo repetitis, ne omnia recitem, refellit. Neque vllum est, inquit, ex nostro libello periculum, quo Episcopi alliciantur ad non residendum, quia audiant non esse præceptum illis a Deo imme-

S diate,

diate, quia satis sit ad æternam damnationem, ut sit præceptũ Ecclesię, dicente Domino, quis uos audit, me audit, quod præsertim in iis Ecclesiasticis præceptis ualet, quæ ipsum Diuinum præceptum aperte determinant. quo in loco, ut hoc obiter obseruem, uidetur mihi plane significare, præceptum residendi Diuinum esse, quod quidem præcepto Ecclesiastico Pontificis determinetur, aut non intelligo, quorsum addiderit, quod præsertim in iis Ecclesiasticis pręceptis valet, quæ ipsum Diuinum pręceptum aperte determinant, nisi tale putabat præceptum de Residẽtia, quod Ecclesiastico præcepto determinaretur, in quo præsertim valeret illud, qui uos audit, me audit. Sed hoc illi secum considerandum relinquo. Quod si fortasse, quod credo, præceptum residendi Diuinum ponit in communi, non autem in particulari, ut idem de uotis, & iuramentis tradit, loco suo, uel ipso iudice, refellemus hoc. Redeo ad scandalum, quod nullũ esse affirmat in eo, quod tradit, Residentiam Episcoporum nõ Diuini, sed Ecclesiastici iuris esse. Videtur mihi toto illo loco, quod bona eius pace dixerim, non intelligere, quid intersit, ali quid a Deo, an ab Ecclesia præcipi, si qui utriuis eorum, siue Diuino, siue Ecclesiastico iuri non est obediens, æque sit ad æternas pœnas damnandus, sicut scriptum est, qui uos audit, me audit, & rursus, qui uos spernit, me spernit. Hac.n.ratione putat Laudator meus hanc suam de Residentia Ecclesiastico iure sancita sententiam omni scandalo liberare, cum tamen minime liberet. Interest ergo hoc. Quòd si Deus integrum Pontifici reliquisset, mandare alicui Residentiam, aut mandato illum soluere, ut illi videretur, satis esset mihi, si pastor essem, non petere iniuste a Pontifice, ut me solueret lege residendi, siue semper, siue ad tempus. Verum si solueret ultro Põtifex, siue suis rationibus, & libidini seruiens, siue Ecclesiasticæ necessitati, & utilitati nihil ad me pertinere putarem, inquirere cur solueret, neq; detractare, aut recusare impetratam absentiam propter conscientiam, sed potius si diceret, Vade, uaderem, si rursus, Veni alio, uenirem, ut miles illius Centurionis Euangelici, nihil cunctatus, ne ab exemplo hoc recedam, quo etiam Laudator meus vsus esse videtur, cum ait, quomodo ergo posset mihi dicere Papa, sta hic, aut ueni huc? Ergo ut miles, inquam, iuste militat, Veniens huc, aut vadens illuc ad nutum eius ptãtis, sub qua est, si tamen, ut est in Euangelio, cõtentus suis stipendijs, neminẽ concutiat,

cutiat,neq; calumniam faciat,causas vero, & rationes militandi hic,aut illic, aduersus hos, aut illos, non debet is dijudicare, nisi plane sint iniquæ,& sceleratæ, & arx, aut castrum, quod miles custodiebat,si absentia militis amissum fuerit,quia scilicet abesse illum princeps uoluerit, non fuerit fraudi militi, sed principi, sic Laudator meus cogitare videtur in ijs,qui ecclesijs regendis præpositi sunt,qui quidem deo militant, & tanquā milites excubant in præsidio animarum, quasi accersiti a duce suo, abesse possint semper, si semper eos abesse uelit, de hoc enim reddet dux rationem. Credo hanc rationem,& doctrinam secuti non pauci,facile ab ecclesijs suis absentes erunt, quia abesse iubeantur, nihil inquirentes,neque curantes,quid necessitatis Ecclesiasticæ, aut cōmunis utilitatis eorum habeat absentia,& utrum breuis sit absentia, an diuturna, & idcirco perniciosa. An non est scandalum? Certe est,& quidem ingens. Scandalum enim est, quicquid est infirmis,& ignorantibus occasio pereundi,vt est tradere,Neque Christo, neque ab Apostolis immediate sancitum esse residendi ius, sed tantum a Pontifice. Quod qui credit, & defendit, similiter credat, & defendat, si Pontifex sua solum voluntate ductus, a Residentia aliquem reuocet, aut prohibeat, ne unquam ad Residendum ire liceat, parendum esse illi, neque reddendam esse rationem de ijs, qui propter absentiam pastoris perierint. Atque ita fiet, vt nunquam resistat, neque aduersetur Pontifici accersenti, & apud se diu detinenti. Quod quidem hoc tempore non paucos facere videmus. Quo quid esse potest scandalosius, & damnatione dignius? Miror equidem Laudatorem meum, tam alioqui acutum, non intellexisse, in quo esset hic sita scandali ratio. Solum enim aspexit in pœnas æternas, quas quia videbat ex æquo propositas esse tam præcepti diuini,quam humani contemptori, nihil, quantum ad scandalum pertineret, referre putauit, Diuini, an humani iuris dicere Residentiam, Detrudi enim inquit, in gehennam ignis, aut quia violasti expressum dei uerbum, aut quia Ecclesiam dei contempsisti, eius mandato non parens, quid interest ad deterrendum hominem ab inobedientia? Hoc itaque, dicam iterum, Laudator iste meus uoluisse uidetur, dū Residentiam uult iure Ecclesiastico sancitam esse,scilicet vt si Pontifex pastorem aliquem apud se semper,aut diu habere uelit,vt eius opera vtatur,honestissima causa absentiæ diuturnæ,aut ēt perpetuæ habeat.Ita ut eiusmodi

iustissimam absentiæ diuturnæ, aut etiam perpetuæ causam, si qua esse potest, si inquam hoc præcipiat, perpetuo, aut diu abesse possit, satisque illi sit, si non vocem eius audiant oues, sed ipse pastoris sui vocem audiat, non oues proprias emittat, sed ipse tanquam ouis solum emittatur, non ante oues vadat, sed ipse post pastorem suum, idest pontificem sequatur, neque illum oues propriæ sequantur, sed ipse, vt dixi, pontificem. Verum illud est admiratione dignum, quod cum parabolam illam boni pastoris non ad Christum solum, vt Laudator meus volebat, sed ad cæteros omnes pastores, Petri, & Pauli tanquam Diuinorum interpretum locis cum scriptura Euangelij comparatis, tum patrum auctoritatibus pertinere probassem, neque in ea admonitionem nostrorum pastorum, vt idem volebat, sed præceptum contineri, Laudator meus nihil prorsus ad hunc locum respondit, qui tamen iugulum, vt dicitur, petebat. quare tacite confessus est, licet inuitus, esse hoc de numero eorum paucissimorum, quæ in meo libro erroribus, & mendis carere dicit. quamobrem dicamus, quod sapiens ille in conuiuio Darij, Benedictus Deus ueritatis, magna est ueritas, & præualet, veritas manet, & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in secula seculorum. Repetit deinde, ideo negasse Residentiam iuris diuini esse, ne (inquit) perturbaretur ordo dei in ecclesia positus Christi uerbo in petro, pro quo, inquit, verbo pugnaui semper, & pugnabo cum dei gratia. iterum credo, affirmat, paratum se esse defendere, illud Christi uerbum, pasce oues meas, soli petro dictum esse a Christo, ac non etiam cæteris pastoribus spiritualibus in petro. ita vt non solum uniuersalis potestas primi pastoris, sed sigillatim cuiuscunque pastoris potestas a lege illa diuina originem ducat, & illis Christi verbis sancita sit. quod ego cum copiose in libro meo docuerim, & testimonijs patrum Basilij, Leonis magni, Ambrosij, Augustini, & Ecclesiæ Catholicæ traditione confirmarim, nihilque ad hunc locum Laudator meus responderit, profecto confessus quoque tacite est, hoc etiam esse de numero eorum paucissimorum, quæ in meo libro erroribus, & mendis carere non negat. Sed rursus miror, si refellere non potuit, neque refellendum esse putauit hoc, quod sancti patres magno consensu tradunt, non solum petrum, Ecclesiæ Catholicæ pastorem primum constitutum esse, sed cæteros quoque pastores spirituales, illis

ipsis

ipsis uerbis Petro specialiter dictis, Pasce oues meas, atque a Christo suę quemque Ecclesię pastorem constitui, quemadmodū non intellexerit, suum istum ordinem Ecclesiæ iam sustineri non posse, in quo ait Pontificem immediate fieri a Christo, episcopos, vero immediate fieri à Pontifice. Aut si illud refellere potuit, quod illi necesse erat refellere, cur neglexit? Sed fortasse non meminit. Sequitur paulopost, Sed occurrit hic reprehensor noster, & ait magis metuissent, si putarent Residentiam illius modi esse præceptum verbo Dei expressum. verum fallitur, qui .n. præceptum Ecclesiæ non curat, neque uerbum Dei expressum curabit. Dominus dixit, Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi. Hoc loco scripta Moysis cum scriptis ecclesiæ humanis æquat, de quo errorę copiose postea. Rursus affirmat & quidem vere Pastorem Primum Christi verbo constitutum esse, Petrum scilicet, in quo omnes, inquit, successores intelliguntur, reliquos vero, qui postmodum in ecclesia ordinati sunt, non esse episcopos immediate a Deo, sed mediante ipso Pontifice Primo, sicut multi sanctorum Pontificum, & omnes Catholici doctores, & specialiter beatus Thomas docuere, & ipsa experientia magis comprobat. Docui copiose in meo libro episcopos, & pastores omnes spirituales immediate fieri a Deo, idque testimonijs Scripturę sanctæ, & sanctorum Patrum auctoritatibus satis probaui, meus uero Laudator, quia alium non reperit, qui diceret, quod ipse tradit, tacet qui Põtifices, & qui illi catholici doctores docuerint, episcopos non fieri a Deo immediate, qui iam diu tamen didicerat, immediatum esse, ante quod non est primum. quod quidem quia veteres Patres etiam didicerunt, nullus eorum vnquam dixit, quod hic tradit, episcopos non fieri immediate a Deo. quòd si beatus Thomas, ut ipse ait, specialiter docet, mediante Pontifice primo episcopos fieri, nunquam tamen idem docuerit, non fieri illos a Deo immediate, sed de hoc plura adhuc postea. pergamus nunc ordine respondere. Improbans ergo, quod Laudator meus tradebat, esse in Pontifice nudam electionem per homines sine collatione potestatis papalis, scripseram illa, quæ Laudator meus in Apologetico suo recitauit, quid enim monstri est, nuda illa Pontificis electio sine collatione potestatis Papalis? Etenim si eligitur Canonice, ad aliquam potestatem spiritualem eligatur, necesse est, imo ipsa est electio, quam Pontifex per homines est sequitur, quid aliud est nisi gratia, siue charisma summæ potestatis spiritualis?

ritualis? Postquam hæc mea recitauit, subiunxit de me. Hæc ille uere monstra & ostenta, quæ longe quidem sunt mihi difficiliora ad intelligendum quàm ad redarguendum. Bene habet, quòd ipse confitetur facile esse sibi redarguere, & reprehendere, quod non intelligat, quod ego ei si dixissem, magni me id conuitij loco dicere putauissem, quis.n. unquam sapiens, quod difficile intelligit, facile redarguat? Fortasse, sic dicere uoluit, quę mihi quidem longe fuerant difficiliora ad intelligendum, quam postquam intellexi, ad redarguendum. Neque.n. puto ullum esse tam tardum, qui non facile intelligat, qua ratione refellerim nudam illam electionem Pōtificis sine collatione potestatis Papalis. Sed miror, si rationes illas meas, quibus nudam illā suam electionem refellebam, facilius erat redarguere, quam intelligere, cur non ratione aliqua redarguerit. fortasse ne quod se non satis intelligere ingenue cōfitebatur, redarguere temere uideretur. Deinde subiunxit. Illud tamē manifestum est de superioribus uerbis suis, negare illum (me autem dicebat) summi Pontificis potestatem, ac iurisdictionem esse immediate a Deo, cum ab hominibus eligatur &c. Docui in meo libro, quemadmodum quòd eligatur Pontifex ab hominibus, siue per homines, tanquam ministros Dei, non tollit quin idem immediate potestatem, ac iurisdictionem a Deo accipiat, tanquam ab auctore primo & Domino. quod cū dicat me negare, plane probat, quod mea ut paulo ante dixit, difficiliora esse sibi ad intelligendum, quàm ad reprehēdendum, neque meminisse, quod sanctus Thomas, quem ille tanto studio sequi laborat, docet, eundem effectum immediate a Deo per agens infimum produci, vt paulopost indicabo. Addit paulo post, de me, Et tandem concludit haud magis immediate a Deo esse summum Pontificem, quam quemuis Episcopum. Sed videamus quàm facile hæc, quæ recitauit, sine ratione ulla redarguat, Si hęc, inquit, absurda non sunt, & peruersa, quę rogo erunt? vult enim Papæ potestatem non a Deo immediate, contra quod assero, sed per eligentes uenire, quod se putat probare, quia electio ipsa, quam Pontifex per homines consequitur, non est aliud, inquit, nisi gratia, & charisma summæ potestatis spiritualis. Adhunc modum redarguit mea, recitans, quod non scripsi, & quod scripsi, neq; intelligens, vt ipse fatetur, neque refellens. Ego .n. in meo libro copiose me puto demonstrasse, episcopos immediate fieri a Deo, tametsi per ministerium Pont. sicuti Pōtifices summos im-

immediate quoque a Deo fieri, licet per ministerium hominum eligentium. Vnde pag. 14 scripsi, Recte ergo qui dixerunt, Papam immediate fieri a Deo, cum fiat per ministerium eligentiũ, quod ipsi eligentes rursus a Deo acceperunt per ministerium Pont. qui eos ad hoc elegit. Minister vero, ut dixi, non est aliud, quam minister ex virtute, quam Deus dat, ministrans, Dominus uero dator charismatis, & effector muneris. Et pagina. 15. postquam vim, & proprietatem huius uerbi immediate notaui, esse. n. immediatum, quod primum, vt Aristoteles in priore libro Posteriorum Analyticorum traderet. Item Primum esse quod ualentius est, vt causa, qua secundum uoluntatem mouente, alterum moueretur, & qua rursus non mouente, nõ moueretur, vt idem Philosophus in quinto τῶν μετὰ τὰ φυσικά doceret, qua utraque ratione episcopos fieri a Deo immediate, & primum, hæc inquam postquam dixi, subiunxi de Pontifice, ipse enim tãquam caput accepit a Deo secundum gratiam omne ministerium, ac dispensationem omnis potestatis spiritualis, ita vt quicquid Dominus aliis tribuat, non nisi per Pontificem, tanquam summum ministrum suum tribuat, accipiantq; de eius potestate cæteri partem, non quidem ab eo, tanquam primo auctore, & datore, sed a Deo per eum. Qui quidem (si ita loqui libet) dicatur mediate facere episcopos, idest, tanquam minister. Ac sic quidem vt Pontifex facit episcopos, similiter eligentes faciunt Pontificem, tanquam ministri, inquam, electionis, & gratię Pontificalis, quæ a deo quidem immediate, & primum tribuitur. Hoc vero interest, quòd Pontifex, qui Episcopos facit, episcopus est ipse, & quidem superior, imo summus, eligentes vero Pontificem, & si Pontificali actu utantur, tamen nõ sic sunt Pontifices, ne dum superiores pontifice. Verum hoc non tollit, quin omnes ministri sint, Deus autem auctor, & dator episcopalis, & pontificalis potestatis &c. Hæc mea. Verum Laudator meus cum nondum queat intelligere, quemadmodum possit pontifex immediate fieri a deo, & per eligentes, tanquam ministros, malitque potius a philosophis & ueteribus Theologis recedere, quàm patiatur abduci a consuetudine Scholastica, quam excusat verbi huius immediate, post longam meam; & satis, vt opinor, dilucidam explanationem, tanquam sentẽtiam meam recitaret, Vult, inquit, papæ potestatem non a deo immediate, Contra quod ego assero, sed per eligentes uenire. Et quę sequuntur. Deinde, quia scripsi, electionem ipsam, quam põtifex per homines

mines consequitur, non esse aliud, quam gratiam, & Charisma summæ potestatis spiritualis, & alio loco electionē dixi esse actū pontificalem, hoc loco Laudator meus, non dicam, ut me ille dicere solet, neque mea capientem, neque sua intelligentem, non hoc dicam, absit, quia conuitium fortasse putabitur, sed illud sine conuitio dicam, quia mea fortassis non attente legit, ut quidem debebat, attentissime ad refellendum relegere, si non ita me contemnendum putasset, existimauit me mecum tanquā stultum, & furiosum, ut appellare solet, dissidere, & se ad conuitia conuertens, hic te, inquit, appello studiose lector, nunquid hæc sunt digna confutatione, quæ per se patēt tam inepta, tanquam ridicula? quis unquam somniauit, electionē esse gratiam, siue donum summæ potestatis spiritualis, & esse actū Pontificalem? Hæc ille. Ego electionem, quam Pontifex per homines consequitur, gratiam esse, & charisma potestatis Pontificalis, quæ spiritualis est; eademq; summa, & dixi, & satis me probasse puto, pagina. 7. & 8. Quod quidē ille si refellere potuisset, scio non pepercisset, præsertim cum locum non dissimulasset. Atque hic quidem nemo non videt sermonem fuisse de electione Pontificis, ut ita dicam, passiua, idest, qua eligitur ab eligentibus. Pagina uero 13. cum electionem dixi esse actum Pontificalem, sermo mihi erat de electione Pontificis actiua, ut ita dicam, idest, qua eum eligunt ipsi eligentes, Sic. n. scripsi, Electores vero, qui Pontificem eligunt, etsi Pontificali actu utantur, tamen non sunt sic Pontifices nedum superiores Pontifice. Appellaui autem huiusmodi electionem actiuam, actum pontificalem, quia per pontificem manarit ad eligentes. Sic enim pagina 14. de eligentibus pontificem; Habere eos gratiam eligendi, & applicandi ministerio suo, quod a Deo similiter per pontificem acceperint, ministerium inquam applicandi ad eam potestatem, & gubernationem, qua ipsi carent. Verum hęc Laudator meus paulo post non tam rationibus, quàm conuitijs, ut solet in hunc modum refellit, ait enim de me. Quod autem addit, quòd sicut pontifex facit episcopos, similiter electores pontificem faciunt, tanquam ministri electionis, & gratiæ pōtificalis, & quòd pontificalem actum exercent, omnino falsum, & imperitè dictum est, quo. n. pontificalem possent exercere actū non pontifices? & quomodo possent ipsi dare potestatem, quā non habēt? nūquid Deus calefaciat per aquā, aut frigefaciat p ignē?

quia hic homo ait, per electionem dari curam Pontificatus, quã tamen ipsi non habent, sicut per Pontificem datur cura Episcopatus, quam ipse Pontifex habet, quis non uideat falso hæc, & temere iactari? & sola dicentis arrogantia? Ad hunc modum redarguit, quòd se confitetur non intelligere, quomodo, inquit, eligentes Pontificem, Pontificalem possent exercere actum non Pontifices? Equidem satis aperte in libro meo exposui, cur actũ Pontificalem, appellarem electionem illam, qua electores Pontificem eligerent, quia scilicet eligendi potestatem, & auctoritatem per Pontificem acceperunt, ad Pontificem.n.tanquam ad summum Pastorem pertinet, non solum Episcopos eligere, & constituere, sed etiam Episcopum Eporum, sicuti B. Petrus Clementem sibi successorem elegit. ergo vt si Rex, ad quem pertineat eligere magistratum aliquem; potestatem, & auctoritatem magistratum illum eligendi alteri tribuat, dicatur is quidem actum regalem exercere, cum eiusmodi magistratum eligit, similiter hic dicatur. Deinde subiungit, & quomodo possent ipsi dare potestatem, quam non habẽt? nunquid Deus calefaciat per aquam? aut frigefaciat per ignem? Docui copiose, & satis, ut opinor distinctè in libro meo, neminem præter Deum dare Spiritum sanctum, eiusq; charismata, tanquam Dominum, hominẽ enim solum esse ministrum ex virtute, sicut B. Petrus ait, quam Deus dat, ministrantem, neq; referre, utrum minister habeat, quod ministrat, an non habeat, sicuti qui ministrat gratiam alienus ipse a gratia, neq; plus agere, cũ habet, quod ministrat, quã cum non habet. Deum.n.esse datorẽ, & Dominum gratiarũ, quas diuidit, itaque Episcopis, presbyteris, & reliquis potestatibus spiritualibus dare Deum de Spiritu, siue charismate Pontificis, sicuti dixit Moysi de 70. quos illi iussit eligere, & auferam, inquit, de spiritu tuo, & tradam eis, ut sustentent onus tecum, &c. Cum uero fieret Pontifex, dixi non sic auferre Dominum de spiritu eligentium, idest de charismate eorum, siquidem charisma, siue potestatem summi Pontificatus minime habeant illi, sed tãtum gratiam eligendi, & applicandi ministerio suo. Cætera quæ adhunc locum pertinent libro meo petantur, ne omnia hic repetam. Hęc si Laudator meus attente legisset, aut meminisset, nunquam profecto aduersus me dubitans, dixisset, & quo modo possent ipsi dare potestatem, quam non habent? Vt enim sæpe dixi, dare potestatem spiritualem, Dei quidem est, homi-

uum uero dispensare, & ministrare, nihil autem prohibet ministros esse, atque dispensatores eius, quod non habeant, diuidit enim Dominus per ministros, neque vnum, neque vno modo, sed multa, & varie. Sed nunquid, ait, calfaciat deus per aquam, aut refrigeret per ignem? Tale esse putauit Laudator meus, idest, impossibile, quòd deum dicimus facere pontificem per electores, qui non sint pontifices. Facile itaque, vt video, Laudator meus fieri posse neget, quod quemadmodum fiat, non possit a nobis intelligentia comprehendi. Et quàm multa sunt, quæso, quæ, deo operante, fiunt, quæ quomodo fiant, non intelligimus? imo neque inquirere debemus, pia simplicitate credentes, non esse impossibile apud deum omne Verbum. Audi quid beatus Magnetes ante tempora Constantini magni ad Theosthenem, aduersus quendam noui testamenti reprehensorem libro quarto scripserit in hanc sententiam, interpretabor latine. Nihil esse, quod non posset efficere diuina natura. vt idem esse solem, & nubem, item quę preterierint, non esse præterita, & facta infecta. quomodo autem, & quando, neque explicari, neque comprehendi posse. Cum itaque, inquit, omnia possit deus efficere, non tamen efficit, quatenus potest, sed quatenus vult. vult autem, quę conueniunt, conueniunt, quæ decent, decent uero, ἁρμόζοντα, id est, quę apta sunt, & cohęrentia. Hactenus ille. Similiter ergo dicere liceat, quòd tametsi nolit deus per ignem refrigerare, tamen si velit, potest, & fortasse voluit in fornace illa Babylonia, tametsi neque explicari possit, quomodo, neque intelligi. Atque ita sicut per ignem expertem frigoris frigus fieri tunc potuit, sic nunc fieri potest pontifex, vt quidem fit per eos, qui pontifices non sunt, deo hoc operante, & uolente. Hęc uero eatenus intelligantur, quatenus natura rerum, tam dissimilium conuenientiam similitudinis ferre potest. Aut quod magis mihi probatur, dicamus de igne illo Babyloniæ fornacis, quod sanctus Theodotus, ait in altera Homilia de Natali Christi earum, quæ in Concilio Ephesino recitatæ sunt aduersus eos, qui aiebant, cum Verbum caro factum est, mutasse naturam suam. Vertam latine. Flamma (inquit) Babylonia ros facta est tribus pueris, & ignis mansit, ut testantur, qui ea vsti fuerunt. Vt seruentur pueri, operatur deus hoc miraculum, & ut saluus fiat mundus, dubitas, quòd manens Deus factus sit homo? non opus fuit, natu-

ram flammæ mutare, ut fieret ros, & ipse Deo naturam suam mutare, cum vellet Deus propter salutem mundi fieri homo? Idem Theodotus paulo ante. Neque tu (inquit) dicere potes, quemadmodum Nilus sanguis factus est, non mutatā natura aquæ, tanquam aqua enim Hebræi utebantur, Aegyptijs vero factus est Nilus sanguis. Item lumen in Aegypto factum est tenebræ, non extinctum, sed manens, quod erat, dies enim erat Israelitis, Aegyptijs vero tenebræ, & vnum existens, lumen erat, & tenebræ, non ab hoc mutatum, & illud factum. neque enim mutata est natura aquæ, quod declararunt Hebræi, qui eam bibebant, sed mansit natura aquæ ἐν ἰδίοις ὅροις, id est, intra terminos naturæ suæ; & facta est sanguis, qui non erat, Deo miraculum operante. Similiter cogitare poterat Laudator meus in pontificis electione, atque in Nili aqua, & lumine, & fornacis igne, non enim desinunt esse, qui erant eligentes, id est, homines non pontifices, & tamen energiam aliquam, & naturam quandam pontificalem accipiūt, tanquam ministri, qua, Deo hoc operante, pontificem eligunt. Satis quidem fuerat simpliciter respondisse, quod supra respondi, eligentes pontificem, ministros tantum esse, neque referre, vtrum minister habeat in se quod ministrat, an non habeat, sicut qui ministrat, & dispensat gratiam, alienus ipse a gratia, tamen propter exempla, quæ Laudator meus attulit, hæc volui dicere, fortasse neque inutilia, neque ingrata, neque aliena, licet ille neget, & me ita contemnat, ut omnia illi mea inepta, & ridicula esse videantur præ suis. Redeo ad locum proxime necessitate quadam prætermissum. Postquam quid verbum illud, immediate, significaret, & quemadmodum accipiendum esse, a Philosophis traderetur, & quid interesset in dogmate tradendo proprie, & non homonyme, atque ἀκριβῶς ipso uti, satis ostenderam, respondens Laudator meus ad eum locum, postquam mea in libello suo recitauit, quæ ego non repeto, ne sim longior, hęc subiunxit. Quæ vt explicentur, rogo, quid est tandē, quod ipse in me reprehendit? nunquid sensum meū, quem declaraui? an potius locutionē impropriam? Cū ego dico applicari pontificatū papæ a Deo immediate, sensus meus est, cū oīs ptās sit a deo, & applicet ab illo, esse tamē aliquas ab illo immediate, i. non per alias personas medias, qualis est summi pontificis ptās, tametsi eligatur ab hominibus, quia electio nō confert ptātē, sed personā solū discernit, cui a deo potestas absq; alio medio cōfer-

tur.

tur, aliqua uero sunt quidem a Deo, sed mediate, quales sunt potestates illæ, quæ a summo Pontifice, & per ipsum in alios deriuãt sicut docuit sanctus doctor noster Thomas asserens omnem potestatem dependere a summo Pontifice. Et paulo post, Si autem hunc meum sensum reprehendit, ut certe facit, uolens Pontificatus gratiam, & potestatem per electores uenire eo modo, quo potestas episcopalis a Pontifice descendit in singulos, non me reprehendit, sed ipsos summos Pontifices, & ecclesiæ sanctæ doctores, & hæreticis fauet, quamobrem dimittendus, tanquam indignus responso. Adhunc modum me Laudator meus refellit non rationibus, ut sæpe dixi, sed conuitiis, quamobrem dimittendus, inquit, tanquam indignus responso; perinde atque diceret, quod scripsi, scripsi. Ego uero nudam illam suam Pontificis electionem per homines sine collatione potestatis refellens, sic scripseram pagina. 7. quid enim monstri est, nuda illa Pontificis electio per homines sine collatione potestatis Papalis? etenim si eligitur Canonice, ad aliquam potestatem eligatur, necesse est, immo ipsa electio, quam Pontifex per homines consequitur, quid aliud est, quam gratia, siue charisma summæ potestatis spiritualis? Deinde cum per Moysem applicati sunt Aaron, & filij eius, vt, sicut scriptum est, sacerdotio fungerentur Domino, an non per eundem potestatem sacerdotalem acceperunt a Domino? Præterea electio siue in Pontifice, siue in cæteris episcopis, quid est, nisi separatio quædam, & applicatio ad gubertionem spiritualem? huiusmodi uero applicatio quid, nisi gratia, quam solus Dominus diuidit? homo autem gratiæ diuidendæ minister est tantum, & dispensator? & quæ sequuntur, ne omnia repetam. Adhæc ille ne uerbum quidem respondere dignatus est. An dicemus iudicasse indigna responsione? an potius non habuisse, quid ad rationes illas meas responderet? certe non habuisse, nisi forte illud iam in huiusmodi defensores propositi tritum, quod scripsi, scripsi. qui enim posuerat nudam illam Pontificis electionem per homines sine collatione potestatis Papalis, idipsum iterum nunc asseuerans clarius, etsi Pontifex (inquit) eligatur ab hominibus, tamen electione illa non dari potestatem, sed personam tantum discerni, ut uerbo eius utar, idest statui, siue designari, ac denotari ad Pontificatus potestatem, quæ a Deo, inquit, confertur absq; alio medio. Sed quæro ego ab eo rursus, fortassis. n. iam dignabitur responsiõe, si eligẽtes Pontificẽ, potestatẽ, nõ tribuunt,

buunt,tanquam ministri,Deo illam primum, & immediate tribuente,quid isti plus agunt,quàm plebs in episcopis,cum iuxta Leonis magni decretum plebs expetit,& clerus eligit.plebs.n. similiter discernit personam.quòd si non agunt plus, quàm plebs, cum expetit,quis Pontificem eligit? nisi idem putat esse expetere,& eligere,sed de hoc paulopost copiosius, & distinctius. Aut quid agunt plus,quàm egerunt Apostoli? cum,sicut scriptum est, statuerunt duos,Ioseph cognomēto Iustum,& Matthiam, Deus autem Matthiam elegit, & eam electionem sorte declarauit. At hic præter numerum eligentium,nulla præterea alia a Deo fit declaratio certi Pontificis electi. Aut si effectum spectemus, quid isti eligentes,minus agunt,quàm clerus in episcopis,approbante Pontifice? Vt.n. statim vt ad cleri electionem approbatio viuentis Pontificis accedit, electus ipse potestatem electo conuenientem a deo tanquam a Domino per ministerium electionis illius approbatæ habet,sic statim vt est Pōtifex canonice electus,idest iuxta approbationem Pontificū superiorum, habet potestatem primi episcopi.quod si ita est,& nos talem fidem, & consuetudinem habemus,& ecclesia dei,dicat Laudator meus, quo Spiritu reuelante,aut quam Scripturam secutus,aut quos Patres didicit sic distinguere nudam electionem a collatione potestatis papalis? quæ quidem videri potest profana verborum nouitas, sanæ doctrinæ repugnans,& ab ecclesiastica regula aliena,ac schismatis seminarium, Etenim si qui pontificem eligunt,ministerio electionis potestatem non conferunt pontifici, sed tantum decernunt,ac designant personam, quæro, quando, & quomodo fiat certum de electi potestate? Credo,respondebit, statim ut maior pars eligentium,si ita ponamus,designauerit, siue decreuerit personam,potestatem accipere.Sed cum in cæteris aliud sit tempus designationis,siue discretionis,& aliud renuntiationis,siue declarationis,quæro rursus a Laudatore meo,vnde didicit, vtrumque esse hic unum tempus?præterea,cum Apostoli duos illos statuerunt,& orantes Deum,petierunt, vt ostenderet, quem elegisset, & ostendit sorte, profecto si vnum statuissent, nunquam hoc a Deo petissent, vt ostenderet,quem elegisset,quin potius statuere vnum,hoc fuisset eligere,& quem ipsi, tanquam ministri elegissent, Deus primum, tanquam Dominus elegisset, at Apostoli neutrum eligunt,sed discernunt duos,vt hic noster loquitur, siue statuunt duos,& de electo nō prius facti sunt certi,quam Dominus

nus fortitò declarasset. quod ergo illic in duobus factum est, Laudator meus in unius persona, quam homines statuerint, siue decreuerint, fieri uult, & quidem cum magno scandalo, vt mihi videtur, periculum.n. est, ne hoc quoque similiter quis dicat, cum sacerdos peccator absoluit pœnitentem, nihil aliud facere, quàm discernere personam, cui Deus gratiam remissionis conferat. Atque ita simili errore nuda quædam excogitabitur absolutio, præsertim cum Sacerdos peccator non uideatur posse dare ministerio suo id, quod non habeat, idest gratiam dei, qua ipse careat, hoc.n. uulgi prouerbium semper uidetur in ore habere Laudator meus, nemo dat, quod non habet. quod quidem distinguere debebat uir alioqui sapiens, & acutus, scilicet nemo dat de suo, quod non habeat, nemo item dat, tanquam Dominus, de alieno uero, & quatenus minister, quid prohibet, quominus ministerio suo alijs tribuat, quod quidem minister nō habeat nisi ad dispensandum? Ergo postquam ille sententiam suam de nuda illa electione Pontificis per homines, Deo immediate potestatem illi conferente, & de episcopis immediate non a Deo, sed a Pontifice factis iterum repetiuit, hęc subiunxit, quæ iterum recitabo. Si autem hunc meum sensum reprehendit, ut certe facit, volens Pontificatus gratiam, & potestatem per electores uenire, eo modo quo potestas episcopalis a Pontifice descendit in singulos, non me reprendit, sed ipsos summos Pontifices, & Ecclesiæ doctores, & hæreticis fauet. Iterū tacet, quos Pontifices reprehēdam, quos ueneror omnes, & quos doctores Ecclesię, quos quidem quanto possum studio & pietate sequor. Imo ipse, vt puto, contra illos docet, & contra sanctam Dei ecclesiam, cum docet conferri a Deo Pontifici primum, & immediate Pontificatum non ministerio proprie, & canonice eligentium, sed discernentiū personam, Item episcopos non fieri a Deo immediate, & primum ministerio Pontificis eligentis, aut electionem approbantis, quibus uero hæreticis hic fauere illi viderer. supra significaret, cum de me dixit. Fuit hæc olim fallacia Luteri, qui vt probaret, Pontificis potestatē nō esse immediate a Deo, sed per ecclesiam, vt illam ecclesiæ subderet, produxit electionem, ut per hoc suaderet rudibus, & idiotis, tanquam qui eligunt, ipsa electione etiam conferant potestatem. Hæc ille. Quemadmodum faueo Lutero, qui tot rationibus probo Pontificis, & episcoporum potestatem immediate esse a Deo? Quod uero uelim Pontificem ecclesiæ subdere, iam

nemo

nemo hoc suspicabitur, qui libros tres meos mediocri diligentia compositos de summa Pontificis supra concilia auctoritate leget. Laudator vero meus cum fortasse nesciret aliter Lutero respondere, in hoc dogma nouum, vt mihi videtur, incidit, & incidisse quidem mirum non esset, sed nolle contra dicentem audire, & cum iracundia refelli, hoc mirum est. Sed videamus iam, quid responderit ad locum illum de verbo, immediate, quod si reprehendor, inquit, de verbo, quod minus proprie vocem illam, immediate, acceperim, debuit non adeo dure mecum agere, cum ita diserte ipsum meum sensum explicauerim, vt non esset periculũ ullum in dogmate propter vocabulum. Neque tamen ego primus vsus sum hoc uerbo in eum sensum, sed quotquot scholasticorũ scripserunt, potissimum autem beatus Thomas, vt demirer hominis inscitiam, & audaciam. Hic iam fortasse, quia existimauit quæstionem esse mihi de verbo, humane, ac modeste se reprehendi patitur, modo non dure secum agatur. Verum mihi non est quæstio de uerbo, sed de re, & dogmate, in quo tradendo non est homonyme, & ἀδιαφόρως vtendum verbum, sed proprie. At excusat scholasticorum consuetudinem, & in primis diui Thomæ, quam se ait secutum, & idcirco inscitiam meam, & audaciam mirari, uerum de Thoma, usum esse hoc verbo, ut à philosophis didicerat, & ut ego utendum esse affirmo, paulo post indicabo, Deinde subiungit, Quod si obiicit mihi Aristotelem, qui immediatum uocat, quod non habet causam priorem, ego rursus obiicio illi Thomam, sed uideamus quomodo obiicit, quia, inquit, Thomas dixit, habere episcopos immediatam potestatem in sua diœcese, quod esset falsum iuxta istius datam uocis significationem, cum causa potestatis episcoporum immediata, & prior sit Diuina uirtus, quam episcopus administrat. Hæc ille. Concedit uerbi immediate proprietatem ex philosophis sumptam, & statim uelut immemor, contra hanc proprietatem obijcit Thomæ vsum, & consuetudinem, debebat potius iudicio meo, considerare acrius quemadmodum sumpto uerbo proprie, uerum esset, quod Thomas diceret, & quatenus non uerum esset, nisi existimat, quicquid Thomas dicat, quocũque modo id dicat, uerum esse. Ergo quod ait Thomas, vt uerum existat, sic est accipiendum, habere episcopum in sua diœcese potestatem immediatam, scilicet post Pontificẽ Põtifex enim habet immediatam potestatem in diœcese episcopi, id est, post Deum, ita ut simpliciter immediata, & prima

potestas ibi sit Dei, infra Deum immediate, & prima potesta s Pontificis, tanquam ministri, infra Pontificem immediata potestas Episcopi. Rursus obijcit mihi Thomam adhunc modũ, quã obrem, inquit, negat Pontificem immediate ponere pasto res, siue Episcopos in Ecclesia, sed hoc Deũ facere, errauit ergo iterum beatus Thomas; cum reprehendit eos, qui dixerunt, Deum operari omnia immediate, &c. Imo bona eius pace dicam, erra uit ipse, ut existimo, qui putauit, diffidere mecũ hoc loco Thomam, sed videamus quemadmodum illos, quos dixit, reprehendit Thomas. Hæc, inquit, eius uerba sunt, Est opinio quorundã ꝙ Deus omnia immediate operetur, ita quod nihil aliud est causa alicuius rei a Deo, sed hæc opinio stulta est, quia ordinem tollit vniuersi, & propriam operationem a rebus, & destruit iudicium sensus. Hęc sanctus Thomas. Merito quidem reprehendebat Thomas eos, qui ponerent operari Deum omnia immediate, ita ut nihil aliud esset causa alicuius rei præter Deum, sic enim in eo loco verbum immediate accipere voluit, at nos ne sic quidem dicimus Pontificem, & Episcopos immediate fieri a Deo, nedum cætera omnia, ita vt præter Deum nulla alia sit causa põtificis creandi, & Episcoporum, immo est præter Deum, eorum alia causa, non quidem princeps, & domina, sed ministra. Dein de subiungit, Vnde concludit Thomas, quod Deus est, solum cã immediata eorum, quæ per generationem non cœperunt esse. Hoc sanctus Thomas, nunquam conclusit, sed ut demus cõclusisse, respondebo, sic, eo loco Thomam uerbum, immediate, accipere voluisse, id est, minus proprie, ut alio in loco de se & sancto Thoma Laudator meus confessus est. At in dogmate tradendo proprie potius accipiendum est, ne propter homonymam, & adiaphoriam uocis de Ecclesiastico dogmate quæstio, & sententia non Ecclesiastica aliquando oriatur, ut nunc orta est. Sed quæram a Laudatore meo, utrum charisma Episcopatus incipiat esse per generationem, non credo dicet spiritualia generari, fuerit ergo hac ratione Deus causa immediata charismatis Episcopatus, quia scilicet sit immediata eorũ causa, quæ per generationem non incipiunt esse, ut a Thoma concluditur; Deinde sequitur, & nihil prohibet respectu diuersorum eadem Deum operari, & mediate, & immediate. Nescio quorsum hoc meminerit, nisi forte mihi iam concedens, similiter Episcopos immediate, & mediate fieri a Deo. Paterer, modo

V diceret,

diceret, aut saltem dicendum esse putaret, fieri quidem Episcopos a Deo proprie immediate, id est primum, non proprie uero, mediate, quia scilicet per ministerium hominis, proprie.n. mediatum est non primum, sicut proprie immediatum primum. Deinde explanans, quod dixerat, nihil prohibere, operari Deũ mediate, & immediate respectu diuersorum. Nã multa, inquit, mediate per creaturas facit, si supposita respiciamus, sin autem operationis virtutem, ipse tanquam intimior causa, & principalis attingens omnem effectum, immediate dicitur operari. Et subiungit, Hęc me docuit sanctus doctor. Me uero hęc docuit idem sanctus doctor lib. iij. summæ contra gentiles c. 70. quæ ad uerbum recitabo, ne quę ille prætermisit, & mirifice mecum faciunt, dissimulentur. Sicut agens, inquit, infimum inuenitur immediatum actiuum, ita virtus primi agentis inuenitur immediata ad producendum effectum. Nam uirtus infimi agentis non habet, quod producat hunc effectum ex se, sed ex uirtute superioris proximi, & virtus illius ex uirtute superioris, & sic uirtus supremi agentis inuenitur ex se productiua effectus, quasi causa immediata, sicut patet in principiis demonstrationum, quorũ primum est immediatum. Sicut ergo non est inconueniens, qđ una actio producatur ex aliquo agente, & eius uirtute, ita non est inconueniens, quod producatur idem effectus ab inferiore agente, & a Deo, ab vtroque immediate, licet alio, & alio modo. Hæc Thomas. Nusquam hic sanctus Thomas sic locutus est, Deum operari mediate per creaturas, quod Laudator meus ex Thoma se ait didicisse. Tametsi.n. falsum sit, omnia Deum operari immediate, ita ut nulla alia sit vllius rei præter Deũ causa, quod satis idem Thomas proximo superiore capite, id est, 69. refellerat, tamen non continuo sequitur, ut Laudator meus fortasse sequi suspicatus est, si sint aliæ præter Deum causæ, ut quidem sunt, & in natura rerum cernuntur, ergo Deum operari mediate, quod quidem uel ex hoc capite 70. clarissime potuit intelligere. Immo tradit, eundem effectum immediate produci a Deo, ut primo effectore, est. n. immediatum primum, ut idem quoq; Thomas hoc loco ait, quod quidem ex Aristotele didicerat; & immediate ab infimo agente, non tamen proprie immediate, sic.n. intelligendum est, quia scilicet infimum agens extremum est, & extremum mediatum, sicut immediatum primũ. Ex iis ergo, quæ sanctus doctor tradit, docet hic, potius cõclu-

ditur,operari deum immediate per creaturas,tanquam primum effectorem, quam quod laudator meus concludi suspicatus est, deum operari mediate per creaturas. Hoc illum credo fefellit, quod obscurius diceret Thomas,ut agens infimum inueniri immediatum actiuum, ita uirtutem primi agentis inueniri immediatam ad producendum effectum. Quod Laudator meus fortasse interpretans, Multa,inquit, mediate facit deus, si supposita respiciamus. Non enim videtur intelligere potuisse,quemadmodum infimum agens immediatum actiuum esset,si Deus agēs per illud immediatum actiuum, esset quoque effector immediatus, non,inquam,intelligebat,posse esse duo immediata respectu eiusdem effectus,vt quidem possunt,tametsi non eodem ordine. Tradit itaque Thomas eundem effectum ab agente infimo, & a deo immediate produci. ergo ponit in uno effecto duos efficientes immediatos,uerbi gratia,in calore ignem, & deum. Deus enim est immediatus,quia primus,ī quo uiuimus,mouemur, & sumus, & ex quo omnia,& per quem omnia,& in quo omnia, agens autem infimum,& vltimum in ordine illo,& illa ratione,ac respectu dei non est immediatum,quia neque primum,imo(ut ita dicam) mediatissimum, quia extremum, tametsi in ordine creaturarum propius attingentium effectum primus ignis ille sit, & ideo immediatus dicatur. Hæc sunt, quæ sanctus doctor hoc loco docet,non illa Laudatoris mei,quæ omnia Thomistis relinquo acutius,& subtilius limanda,& corrigenda. Idem quoque tradit idē sanctus doctor in quæstionibus latius disputatis, Quęst.iii.artic. vij. si enim, inquit, consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum, si autem consideremus virtutem, qua fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui,quam uirtus inferioris. Et in Resp. ad 3.ipsa, inquit, naturæ operatio est ēt operō virtutis diuinæ, sicut operatio instri est per virtutē agētis principalis. Et in Resp.ad 4. Tam deus,inquit,quam natura immediate operantur, licet ordinentur secundum prius,& posterius, (quia scilicet prima, & immediatior causa est deus) Quis hæc,quęso, secutus, & imitatus, Episcopos a deo quidem mediate, a Pontifice uero immediate fieri dicat, ut Laudator meus dicit? & solum Episcopatum Romanum immediate a Deo applicari personę, quasi reliquus Episcopatus mediate applicetur a deo, immediate autem a Pontifice? Etenim sit ut Thomas quoque ait, deus est causa actionis

cuiuslibet rei naturalis mouens, & applicans uirtutem ad agendum, ut quidem necesse esse, in eadem Disputatione Quæstionis iij. demonstrat, quanto magis fuerit causa actionis rei supra naturam, vt in Charismate episcopatus, mouens scilicet & applicans virtutem, siue potestatem Pontificis creandis episcopis? Quod si applicat Deus uirtutem Pontificis, idque immediate, ad creandum episcopum, applicat ergo similiter episcopatum immediate. Quæ ergo uerborum nouitas est, solum episcopatum Romanum immediate a Deo applicari personæ? Sequitur alius locus, in quo Laudator meus existimauit me mecum discrepantem, concederetandem, quod ille defenderet. Scripseram ego pagina.15. quicquid dominus alijs potestatibus ecclesiasticis, & spiritualibus tribuit, non nisi per Pontificem tribuisse, accepisseque de eius potestate cęteros partem, non quidem ab eo, scilicet Pontifice, tanquam primo auctore, & datore, sed a Deo per eum, scilicet Pontificem, qui quidem, si ita loqui libet, dicatur mediate facere episcopos tanquam minister. Hanc ille simplicem, & rectam compositionem uerborum peruertens, qui, retulit non ad proximum, id est, ad Pontificem, sed ad Deum, & illud tanquam minister, quod omnem ambiguitatem tollere poterat, omisit, subiungens, postquam mea licet non ita integre, eodem tamen quo erant ordine collocata, recitauit, Quod enim ait a Pontifice dispensari omnem potestatem spiritualem, & quicquid Dominus alijs tribuit, & Deum dispensare mediate per illum, recte dictum est, & seruit nobis, hoc enim est quod & nos dicebamus, & ille reprehendit. Nunquam illum mirari desino, sic mea neglgenter legisse, ut hæc scriberet. Affirmaui semper, & affirmo, Deum immediate, & primum facere episcopos, mediate uero facere, vt dicam, tanquam profanam nouitatem uerborum cauebo semper, Pontificem uero, dixi sic, si liberet uti hoc uerbo mediate, facere Episcopos tanquam ministrum mediate, quia non primum, sunt enim proprie immediata, quæ prima, mediata uero, non prima, sed secũda, tertia, & deinceps usq; ad extrema, sed de hoc satis supra. Quærebam paulo supra a Laudatore meo, quando cum illo nudæ electionis monstro confligebam, si eligentes Pontificem, ut ille aiebat, tantum personam discernerent, cui potestas absque ullo alio medio tribueretur, quid plus agerent, quàm plebs in episcopis, cum, ut aiebam, iuxta Leonis

magni decretum, plebs petit, & clerus eligit, similiter enim plebem eligere, idest, solum discernere personam. Et quia fortasse nihil plus agere, facile concessurus videretur, idemque esse petere, & eligere, promisi me tunc copiosius adhuc, & distinctius paulopost de hoc loco suo dicturum, qui nunc sequitur. Ait enim Laudator meus. Et tamen hic propheta ignorauit, aliud esse constituere Papam, & aliud eligere quemquam in Papam, qui constituit, auctoritatem, & potestatem impartit, qui autem eligit, solum ostendit, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, unde neque Episcoporum sola electio facit ullos esse Episcopos. Solebant enim plebes aliquando eligere, sicut .vij. illi Diaconi electi sunt a multitudine, & ideo non statim acceperunt potestatem, quam multitudo dare non poterat, quia non habebat, sed ubi ab ipsis Apostolis electio probata est, & per manus impositionem ordinati sunt, tunc acceperunt potestatem. Hactenus ille. Hic iam non solum Laudator meus nudam illam suam electionem Pontificis sine collatione potestatis Papalis rursus ponit; sed nudam quoque electionem Episcoporum, sine collatione potestatis Episcopalis, cuiuis legenti fortasse ponere uideatur. Ait enim, qui autem eligit nempe Pontificem, de hoc.n. loquebatur, & hoc defendebat, solum ostendit, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, quę est nuda electio Pontificis, vt in priore libro appellauit, deinde subiungit, Vnde neque Episcoporum, sola electio facit vllos esse Episcopos, cōcludens, & ponens item in Episcopis similem electionem solam, siue nudam sine collatione potestatis Episcopalis, idest, quæ similiter atque in Pontifice fit sola ostensio personæ, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, sine qua non existit Episcopus. Deinde subiungit, solebāt enim plebes aliquando eligere, vbi iam in Episcopis eligendis neque electionē cleri a petitione, siue electione plebis distinguit. Sed age, si qui Pontificem eligunt, nihil prætérea faciunt, quàm ostēdere, cui sit auctoritas, & potestas tribuēda, sequitur, vt plebs petens, siue statuens eundem eligendum, similiter eligat, atq; ita nihil plus eligentes Pontificem, facere uideantur, quàm petere eum, quem Pontificem uellent, vt nos, quod si solum petunt, qui sunt, qui eligunt? Cùm.n. populus petit, alius est petens, alius eligens. Vel ergo non eligitur Pontifex, uel petere est eligere. ergo & nos, qui in cōclaue (quod uocāt) non ingredimur, Pontificem quoque eligimus, quia petentes discernimus personam, cui sit

auctoritas, & potestas impartienda. Item si solum eligere episcopum, est ostendere, cui sit auctoritas, & potestas episcopalis tribuenda, ut Laudator meus, licet neget, uoluisse videtur, cum plebs petens, siue præsentans ostendat, cui sit auctoritas, & potestas tribuenda, ut cum eodem tempore clerus eligit, item ostendit, rursus sequitur, ut petere sit eligere, quod non credo Laudator meus concedet, ne alioqui iuris prudentissimus tam multa summorum Pontificum de postulatione, & electione capita in vnum confundere uideatur. Necesse ergo est, eos, qui eligunt, aliud aliquid agere, cum eligunt, quàm cum laici, aut alij petunt, siue præsentant, id est, aliud, cum illi decernunt personam eligendo, quàm cum hi decernunt petendo. Nempe qui eligunt canonice, potestatem tanquam ministri Christi, & Pontificis summi comministri tribuunt, ministrantes, sicut ait Scriptura, ex uirtute, quam Deus dat, qui uero item canonice postularunt, ac populariter elegerunt, desideria, & uota sua, ac testimonia solum ostenderunt. Profana itaque verborum nouitas, schismatis præterea, & Hierarchici contemptus seminarium est, quod dicitur eligere, solum esse ostendere, cui sit auctoritas, & potestas tribuenda, quasi electio Ecclesiastica non sit ministeriũ potestatis Ecclesiasticæ tribuendę, neque electio cleri a postulatione populi seiungatur, subiungit enim. Vnde neque episcoporum sola electio facit ullos esse episcopos, solebant enim plebes aliquando eligere. At ecclesia dei sancta, columna, & firmamentum ueritatis talem sententiam, & consuetudinem non hẽt, quæ non nouit aliam electionem solam, siue nudam in episcopo vllo, nisi eam, quę sine consecratione est, quæ petitionem ab electione discernit, & non episcopos petitos, sed episcopos canonice electos habet, & honorat, quos sola sine consecratione electio canonica a Pontifice, aut nomine pontificis confirmata facit, & cum electione consecratio in omne opus ministerij episcopalis ad consummationem sanctorum episcopos perficit. Plebs uero in ecclesia dei nunquam sic canonice elegit, immo neque eligere potest, sed tantum considerare uiros boni testimonij, & eos statuere, siue ut nunc loquimur, nominare, præsentare, aut postulare, ut scilicet, qui eligendi sunt, bonum ab ea in primis testimonium habeant, deinde etiam ab iis, qui foris sunt, ut sic uel testimonio canonice postulantium, uel suffragiis canonice eligentium probentur primum, & sic pontifice confirmante,

mante, ac constituente, ministrent. dicere autem plebem aliquando elegisse Episcopos, aut posse modo, ad hæresem de inuestitura ecclesiastica a laicis accepta pertinere potest, quā Romana synodus Clemente. 7. Pontifice damnauit, & hoc nomine affecit, ut etiam Goffridus Vindocinensis Abbas vetus auctor, & valde in Scripturis sanctis eruditus in libro de Ordinatione Episcoporum, & inuestitura laicorum ad Petrum cognomento Leonem Ecclesiæ Romanæ Cardinalem scripsit, & in epistola. 17. ad Pascalem Pontificem de pacto inito cum Rege Teutonico. Auctoritas.n. potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem eligendi, ac consecrationem faciendi non a lege sæculari, sed a lege illa Euangelica de pascendis ouibus ortum ducit, quæ lex ad laicos, siue sæculares non pertinet, & qui pertinere dicat pertinaciter, utrūq; statum Ecclesiasticum, & sæcularem miscet, & perturbat hæretice. Plebes itaque, aut principes sæculares, qui in locum plebis successisse videntur, Episcopos, neque eligunt, neque eligere proprie dicuntur, sed petere, aut nominare, aut præsentare, siue statuere. petere autem, inquit Goffridus, non est eligere. Fortasse.n. erant suo sæculo, qui etiam ipsi electionem cleri a plebis postulatione, non distinguerent, & qui hoc dicerent, quod nunc audimus, petere, siue præsentare, idest ostendere, cui sit auctoritas, & potestas impartienda; hoc solum esse eligere. Vnde fortasse nata est, uel certe nasci potuit illorum pestifera sententia, & sermo schismaticus, de quibus Celestinus III. qui correctionem, inquit, Ecclesiasticam per contemptum eludunt, dicentes electo, quod potestatem non habeas corrigendi, scilicet ministerio electionis collatam; nisi tibi, inquiunt, specialiter Apostolica sedes indulserit. Quare teneamus, eos, qui Episcopos eligunt canonice, auctoritatem, ac potestatem Episcopo electo conuenientem, tanquam ministros Christi, vnà cum Pontifice eorum electionem confirmāte tribuere, id est, Pontificem cum eligentibus canonice, Episcopos constituere, sicuti cum electio ad pontificem, ut nunc loquuntur, deuoluta est, per se quidem illum Episcopos constituere, non autem cum postulantibus, siue nominantibus, idest, ostendentibus solum cui sit potestas tribuenda, at eos, qui pontificem eligunt canonice, eosdem etiam per se pontificem canonice super Ecclesiam catholicam constituere. Licebit.n. hic dicere, quod Alexander III. de electione pontificis, ait in

Romana

nem potius; & œconomiam esse, quàm solutionem, de quorũ numero fortasse fuerint hęc duo, precari ad orientem, & precari stantes Dominicis diebus, quorum alterũ resurrectionis symbolum solum erat, alterum uero aduentus, & ortus solis iustitiæ Christi Dei nostri, quæ duo cum sint satis iam per se infixa animis, & memoriis Christianorum, quid mirum, si hęc symbola iam non ita necessaria esse uideantur? Non. n. omnium eadem ratio est. Velle uero quæcunque a principio diuinitus instituta, & præcepta sunt, immota, & fixa permanere semper, est nõ uelle distinguere ortus, progressus, & statum summum Euangelicæ prędicationis, ac religionis. Tametsi precationis ad oriẽtem uestigium adhuc in ecclesia relictum esse uideatur, cũ sacerdos solenni ritu ad cornu dextrum altaris publicas preces clare recitet, aut Canat. Adde quòd in Oriente, in Gallia, Heluetia, ac in multis Hispaniæ, & Italiæ regionibus hoc etiam usq; in hodiernum diem religiose seruari audio, in aris ad orientem ponendis. Reprehendit me deinceps Laudator meus quasi mecum dissentientem, Quia cum negare, inquit, non possim, quin illud, quod Dominus dixit Apostolis, qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit, ad eos pertineat, qui ius Diuinum, aut audirent, aut spernęrent, tamen confessus fuerim pertinere illud ad eos, qui spernant non ius Diuinum, sed Ecclesiasticum, uideat (inquit) qui uolet locum in eius libello pagina 5. & ego eũ ipsum locum, quem obseruator meus notauit, uideri postulo, ut conuincatur, aut fortasse non intellexisse, aut certe non relegisse, neque meminisse, cum scripsit. Sic. n. ego pagina. 5. scripseram. Quis pastor animarum, cum audierit, iniqua pastoris absentia non statim legem Dei uiolari, sed hominis, non iam facilius negliget adesse? citius. n. in mentem ueniet, si peccauerit uir in uirum, placari ei potest Dominus, si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? quàm illud, qui vos spernit, me spernit, quanto citius, & libentius, quod laxare videtur, quàm quod astringit, arripimus, & tenemus. quid clarius dici potuit? illud. n. si peccauerit vir in virum ad eos clare retuli, qui ius hominum, quod laxare uidetur, uiolent, illud uero, qui uos spernit, me spernit, ad eos plane qui ius Apostolicum, idemq; Diuinum, quod magis astringit, spernant. Quemadmodum ergo ait, dixisse me, ad eos pertinere, qui non ius Diuinũ, sed Ecclesiasticũ spernant? Vide quid faciat contẽptus, malo. n. contẽptũ interpreta-

ri, quam calumniam, aut maliciam. Accedit deinde Laudator meus ad locum mei libri in eos, qui præcepta Pauli tradunt non esse Christi præcepta, recitatisque multis ex meo libro, quæ non Pauli tantum, ut ille vult, sed Christi præcepta esse docui, subiūxit de me: Vult ergo hic magister, nō minus dici præcepta Christi, quæ uoce sua non præcepit ipse Christus, sed per Paulum, aut alium Apostolum, quàm quæ ipsemet Dominus verbo suo expressit, quod si uerum est, cur ergo beatus Paulus dicebat, non ego, sed dominus? & rursus, ego, non Dominus? hec ille. Respondi ego in libello meo, quid sibi vellet Paulus, cum diceret, non ego, sed Dominus, & rursus, ego, nō Dominus, veteres, eosdemque graues auctores, & Scripturæ sanctæ interpretes secutus. Quod quidem si Laudatori meo non probabatur, ratione debuit refellere, non rursus quærere, quid sibi vellet, quod Paulus diceret, non ego, sed Dominus, & ego, non Dominus, quasi non prius ego respondissem, quam quæreret, & prius explicassem, quam dubitaret. Sciebam.n. vt dixi in libro meo, hoc eos fortasse fefellisse, qui falso putabant, non esse illa, de quibus loquebar, Dei precepta, quia, ut opinor, non intelligebant, quid sibi vellet, neque quorsum illud dico ego, non Dominus, & illud, præcipio non ego, sed Dominus. Ergo post illa, quæ Laudator meus ex libello meo recitauit, cum vellem exemplo docere, esse quædam, quæ prius præcepta fuissent a Domino, quando scilicet docebat, & Euangelizabat, alia uero a Domino per Apostolum Spiritum Dei habentem, statim subiunxi, quod ex ipso Paulo intelligi potest, quia.n. in Euangelio erat lex de matrimonio nō dirimēdo, repetens Apl's, magisq; explicans legem illam, iis, inquit, qui matrimonio sunt iuncti, præcipio nō ego, sed Dominus perinde atq; diceret, non ego primus, sed Dominus ante me in Euangelio suo, quod prædicauit, quia vero de coniugio duorū, quorum alter esset infidelis, nihil erat in euangelio, ipse de eo sanciens, nam cæteris, inquit, ego dicó, non Dominus, non inq̄ Dominus per se, sed per me hoc docuit. Sic.n. Chrysosto. in libro de Virginitate capite 13. interpretatus est, perinde atque diceret Paulus, ut Theodoretus etiam Chrysostomum secutus in cōmentarijs epistolarum Pauli ait, non inuenio hanc legē in Euangelio Christi, sed eam nunc statuo, neque me hoc docuit Dominus ἐγγράφως, sed ἀγράφως, id est, non didici hoc ex Scriptura, aut prædicatione Domini, sed sine scripto, & uoce, Spiritu docente.

te. Quòd verò leges Pauli, leges Christi sint, Norunt, inquit idem Theodoretus, qui in literis sanctis eruditi sunt. ipsius enim est illud, an experimentum quæritis eius, qui in me loquit Christus? & illud, dico ego per gratiā Dei, quæ data est mihi, & alias, siquis Propheta est, & spiritualis, cognoscat, quæ scribo, quoniam Domini mandata sunt, item illud, existimo, quòd & ego spiritum Dei habeam. Hactenus ex libello meo. Hæc, inquam, Laudatori meo si non probabantur, ratione, & auctoritate refellere debebat, & non quærere, cur Paulus dixisset non ego, sed Dominus. Deinde subiungit, scio, quòd quæ dicebat beatus Paulus, ex spiritu Dei ueniebant, cum ipse dixerit, puto, quòd & ego spiritum Dei habeam, sed non sunt eiusdem gradus in robore, ac firmitate, quæ Dominus per Paulum, & Apostolos disponebat, ac illa, quæ per seipsum. Neque merentur ista nomē iuris diuini, cum super his, quæ sancit per ecclesiam, in qua est spiritus Dei, possint ipsi Ecclesię pastores, ac principes dispensare, Hæc ille. Quæ quia non potuit, ideo nulla ratione probauit, imo victum se prope confessus, tanquam iam pugnam sustinere non posset, alterum substituit, cum quo certarem, ad auctoritatem, inquam, beati Thomæ confugit, subiungens, audiat ergo patienter reprehensor meus beatum Thomam, de cuius doctrina locutus sum, vt me desinat reprehendere, & cum illo, quod ipsi erit gloriosius congredi, atque decertare &c. Ego sanctissimum doctorem Thomam, clarissimum Ecclesiæ catholicæ lumen non reprehendo, imo colo, veneror, & sequor, sed ille reprehendendus est, quicunque aliquid fortasse nō probabile ab eo, aut alio quopiam magno auctore sumpserit. Debemus enim qui ex bonorū auctorum libris discimus, optima eorum discere diligenti studio, & acri iudicio, Diuinis, & Ecclesiasticis legibus, ac regulis ad examen adhibitis, ne quid a ueritate discrepet. quòd si quid non probabile inde duxerimus, non quidem is auctor, qui docuit, sed nos, qui didicimus, reprehendendi sumus. Satis ad laudem, & admirationem præclari alicuius auctoris, ut Ambrosij, Hieronymi, & similium fuerit, si recte, & sancte fere omnia scripserit, mihi uero non licet non esse ceteris, iisdemque optimis contemptum, quin unum illud, aut alterum non bene, una etiam cum illis bonis famam. Recitat ergo ex quotlibeto 4. S. Thomæ de dispensatione bigamiæ sententiam his uerbis, ne omnia repetā. Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus

 dupliciter

dupliciter in doctrina sua aliquid proposuit, quędam quidem, sicut promulgans ius Diuinum, sicut illud, quod habetur ad Gal. 5. Si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit, & multa alia huiusmodi, & in his non potest dispensari, quędā vero sicut propria auctoritate statuens, nam ipse dicit. 1. Cor. 11. Cætera cum venero disponam, & infra. 16. mandauit, vt collectæ, quæ fiunt in sanctos, per vnam sabbati fiant, quod non pertinet ad ius diuinum. Similiter etiam quod dicitur de bigamo promouendo, nō est iuris diuini, sed institutio auctoritatis humanæ diuinitus homini concessæ, Hæc ille pro nobis, & contra hunc reprehensorem nostrum quam manifestissime. Hactenus ex libello Laudatoris mei. De bigamo, id est, de non unius uxoris uiro, quid existimarem sentiendum esse, dixi in libro meo, nempe præceptum Dei esse spirituale, ac proinde spiritualiter dijudicandum ex causa præcepti, propter præiudicium enim futuræ incontinentię sacerdotio, & Episcopatu prohibetur, qui non est vnius uxoris uir, ut ex Innocen. 1. epistola. 2. intelligi potest. Is enim sanciens, ne clericus viduam ducat, Ne, inquit, hoc præiudicio impeditus nō possit ad sacerdotium peruenire. Idem rursus in eadem epistola, Vnius, inquit, vxoris virum dixit, non permanentem in concupiscentia generandi, sed propter futuram continentiam. Quare in his, cum causa præcepti non inest, neq; vis præcepti remanet, ut etiam sanctus Ambrosius de sua, cum neophytus esset, contra præceptum Apostoli, ac Dei, vt uidebatur, ordinatione, neophytus, inquit, prohibetur ordinari, ne superbia extollatur, sed si nō deest humilitas sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur. Hæc ratio dispensationis in neophytia Episcopi, siue sacerdotis, & in bigamia, non autem institutio humanæ auctoritatis, ut beatus Thomas uoluisse uidetur, de cuius doctrina locutū se Laudator meus dicit. Hæc autem fuerat locutus. Non sunt eiusdem gradus in robore, & firmitate, quę dominus per Paulum, aut Apostolos dispensabat, ac illa quæ per seipsum. neq; merentur ista nomen iuris diuini, cum super his quæ sancit per Ecclesiam, in qua est Spiritus Dei, possint ipsimet Ecclesiæ pastores, ac Principes dispensare: hæc ille. Non putat differre præcepta Pauli a præceptis Pontificis, aut alterius pastoris spiritualis, & Ecclesiastici, utraque enim a Christo per alium præcipi, atque idcirco ad ius Ecclesiasticum pertinere. Ita fit, ut tres iuris partes Diuini, Apostolici, & Pontificij, siue Ecclesiastici,

sublato

sublato Apostolico, eodemque diuino, ad duas tantum diuini solum, & humani referatq́, quæ in Scripturas sanctas, & canonicas blasphema esse arbitror. Denique connexionem ponit ex Diuinis,& humanis in nouo testamento,quod est dogma a sana, & catholica Scripturæ sanctæ doctrina alienum. Cui simile est dogma Ptolemæi cōnexionem item ponentis in vetere testamento,quod hic etiam auctor, quamuis fortasse nolens, defendere videtur,vt paulo post uidebimus. Ergo uideamus nunc primum quale sit,quod ait,nō esse eiusdem gradus in robore, & firmitate,quæ dominus per Paulum,aut Apostolos disponebat, ac illa quæ per seipsum.Confitetur hic auctor,& recte, ꝙ quæ præcipiebat Paulus,ipse Christus, cuius spiritu loquebat, præcipiebat per eum,non intelligens,se suo gladio confodere, & vt est in uetere Prouerbio,suo indicio periit sorex. Etenim si idem Christus est,vt quidem est,qui per se præcipiebat,& qui per Paulum verbi sui ministrum, cùm minister nihil sit, præterquam minister ex virtute,quam Deus administrat,sicut ait scriptura,ministrās,quemadmodum fieri,aut etiam intelligi potest, ut non unum,idemq́; robur sit, eademq́; firmitas præcepti Christi siue per se præcipiētis,siue per ministrum uerbi Apostolorum? Neque.n.dixit dominus, qui uos audit,i.me per uos, minus aliquid audit, sed me audit,neq; qui uos spernit,i.me in uobis spernit, minus spernit,sed me spernit, ut iam nihil interesse existimemus Christi per se, an Christi per Apostolos præcepta contemnere, quasi hæc nō eiusdem gradus in robore,& firmitate sint. Præterea si secūdum sibi datam sapiētiam, ut beatus Petrus scribit, Paulus frater scripsit, unā est aut sapientia patris Christus Dei filius,in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ dei, quemadmodum non fuerit in eodem gradu roboris, & firmitatis, quod ipsa sapientia dei patris per Paulum,& quod per se præcepit,ac prædicauit? Ad hæc, quod Paulus ait,non Dominum, sed se præcipere, utrum in nomine suo præcepit,an in nomine Christi? non credo, audebit respondere hic auctor, in nomine suo, ne ex ministro, & Apostolo Dominum faciat, in nomine ergo Christi præcepit, quòd si in nomine Christi, ergo in uirtute, robore, & firmitate Christi, sicuti qui baptizat, aut mysterium aliud in nomine Christi perficit, eodem gradu roboris, & firmitatis, eademque uirtute sanctitatis mysterium perficit. Quòd si mysterium Eucharistiæ, quod per seipsum Christus perfecit, non magis sanctum, aut ratum

tum fuit, quàm quod quotidie per ministros suos sacerdotes per ficit, cur uerbum, quod per se sanxit, magis firmum, ratumq; fuerit, quàm quod, non dico per Pontifices, sed per Paulum, aut alios Apostolos sanxit? Non.n. cum Pontifices aliquid sanciunt, aut præcipiunt noui, quod neq: Christus, neque Apostoli eius prius sanxerint, aut præceperint, id Christus per eos similiter sancire di catur, sicut per Apostolos. illis enim idest, Pontificibus potesta tem sanciēdi, & præcipiendi dedit, his vero potestatem, & sapien tiam. Vnde pontifex, cum aliquid pręcipit, quod neque Christus, neque Apostoli, denique quod neque Scriptura sancta præceperit, non tanquam minister uerbi alieni, sed magis tanquam sui præcepti auctor, & Dominus est, neque.n. quod Diuinum est, pręcipit, sed quod suum, idest humanum, esto sanctissimum sit, & iustissimum, neque tam Christus in eo, quám ipse loqui dicendus est, quia scilicet non id præcipiat, & loquatur secundum datam si bi sapientiam, ut quidem data est Apostolis, & Prophetis, qui tan quam ministri uerbi Scripturas canonicas secundum Ecclesiæ Catholicæ traditionem nobis reliquerunt. in quas quidem blasphemus est, quisquis in eis Diuinæ, & humanæ sapientiæ Epiplocem idest connexionem ponit. Deinde si quod per se Christus in terpretari uoluit in Euangelio, non magis certum firmumq, est, quàm quod per Paulum, cur magis ratum, firmumq; fuerit, quod per se præcepit, quàm quod per Paulum? non.n. magis certum est illud quod Dominus per se interpretatus est, ex ore infantiū, & lactantium perfecisti laudem de pueris clamātibus in templo, & dicētibus Osanna Filio Dauid, quàm illud, quod per ministrum uerbi Matthæum, dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum subiugalis, de ingressu Christi in Hierusalem super asinam. Neque magis certum est, & stabilde, ac fixum fuisse Ionam in uentre ceti, typum sepulturæ, ac resur rectionis Christi, quod Dominus per seipsum exposuit, quam quod per Paulum Agar, & Saram duo testamenta fuisse &c. præterea Dominus in Euangelio, nonne scriptum est, inquit, in lege uestra, quia ego dixi Dii estis? si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, non dixit, nō pot est solui hæc scriptura, neque dixit infinite [illegible] sed cum articulo, vt omnium Scripturam Diuinitus in spiratam, vt Paulus dixit, intelligeremus, quæ cum æque omnis solui non possit, necesse est [illegible] eiusdem

eiusdẽ gradus sit in robore,& firmitate. Quod si Scriptura, quam Christus per Paulum inspirauit,& tradidit, solui posset, idest, authoritate hominis fieri, ne illa seruetur, hoc est enim solui Scripturam, non seruari, sicut Dominus ait, si circuncisionem accipit homo in Sabbato, ne soluatur lex Moysis, ergo aut solui potest Scriptura, aut hæc non est Scriptura Diuinitus inspirata, & Canonica. Cum huius falsi dogmatis ortum considero, videtur mihi locus ille Pauli, dico ego, nõ Dominus ex eorum numero esse, de quibus beatus Petrus de epistolis Pauli loquens, In quibus (inquit) sunt quædam difficilia, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem, imo non indocti solum, sed docti, & in scripturis sanctis ualde eruditi. Videat ergo, qui tradit, quod Christus per Paulum præcepit, non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate, atq; illa quæ per se præcepit, ne diuidat eum Deus, qui Christum diuidit, totum robur & firmitatem autoritatis eius in ijs ponens, quæ per se Euangelizauit, in ijs uero quæ per Paulum Apostolum, non totum illud robur, sed partem. Caueat, qui robur, & firmitatem Scripturæ sanctæ Diuinitus inspiratæ minuit, ne apponat illi Deus plagas in Apocalypse beati Ioannis scriptas, sicut scriptum est, Contestor omni homini audienti uerba Prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si diminuerit de uerbis libri prophetię huius, auferet Deus partem eius de libro uitæ, & de ciuitate sancta, & de ijs, quæ scripta sunt in libro isto, quę quidem non propter Apocalypsem tantum scripta sunt, sed propter cæteras quoque Scripturas sanctas, quarum est una omnium sanctitas, pondus, robur, & firmitas, siue per Christum, siue per Apostolos Euangelizatum sit, quod in eis continetur. Verum quo magis hic error intelligatur, uideamus ex quibusdam Christi per Paulum præceptis, quid de cęteris eiusmodi iudicandum sit. Nam cæteris, inquit, ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimmittat illam, & si qua mulier habet uirum infidelem &c. Hoc Christi per Paulum præceptum tradit hic autor, non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate, atque illud, quod per se Christus præcepit, at uideat, rogo quid de præcepti huius vi, & robore pater Chrysostomus scripserit in libro de Virginitate, in quo totum illud caput. 7. prioris Epistolæ ad Cor. eruditissime interpretatur. Quanta (inquit) sit

ταύτης ἐντολῆς ἰσχὺς, idest huius præcepti robur, & firmitas, demonstrat cuncta Ecclesia uniuersalis, quæ hoc μετὰ πάσης ἀκριβείας seruat, & seruauit semper, Hactenus Chrysostomus. Quid amplius sanctissimus uir, & i Scripturis sanctis exercitatissimus, & Ecclesiæ catholicæ doctor excellens dicere potuisset, si robur illius præcepti Christi in Euangelio, de quo proxime dixisset Apostolus, præcipio non ego sed Dominus &c. demonstrare uoluisset? aut quis, si attente hunc locum, & Chrysostomi uerba perpenderit, dubitare poterit, quin hæc Chrysostomus aduersus eos dixerit, qui idem, atque Laudator meus, sentiebant, & docebant, non esse scilicet eiusdem gradus in robore, & firmitate præceptum hoc? quia scilicet non recte illud intelligerent, dico ego, nō Dominus. Quod quidem idem pater Chrysostomus his uerbis in eodem de Virginitate libro interpretatur, hoc, inquit, Paulus ait, non hoc scilicet Dominum Iesum per se prius tradidisse, vt alia multa, sed per Paulum nunc tradere, ac præcipere. Deinde subiungit, quanta vero vis, & robur huius præcepti sit & quæ sequuntur. &c. Scio Augustinum alioqui sanctissimū, & in Scripturis sanctis eruditissimum, cum non sic acciperet locum istum Pauli, dico ego, nō Dominus, ut optime alij ueteres patres acceperunt, non præceptum, sed consilium hoc de coniugio fidelis cum infideli esse dixisse. Sic .n. ait libro. 1. de sermone in monte Domini ca. 27. non præcepit ex Domini persona, sed ex sua persona monet. Et paulo supra, dicebat, inquit, superius ex Domini persona ijs, qui sunt in coniugio, nunc uero ex sua persona cæteris dicit. Et libro. 1. de Adulterinis coniugijs. c. 12. quale est præceptum Domini non habeo, tale est, non dicit dominus, sed ego. Et quale est, Consilium do, tale est, ego dico, nisi quòd in nubendo, & non nubendo dici potest, utrumque bene fieri, sed alterum melius, quoniam utrumque expedit, sed alterum magis, coniugem uero infidelem dimittere, quia non expedit, non potest dici, bene fieri, quia non expedit, quamuis licitum sit. Hunc sanctus Thomas, ut fere semper secutus, eundem Pauli locum interpretans, consulendo, inquit, non præcipiendo dicit. Ego sanctos illos auctores, vt supra dixi, non reprehendo, absit, imo colo, & sequor, sed me reprehendendum iure putem, si quid non probabile ab eis didicerim, non contentus cæteris eorum optimis, & limatissimis doctrinis. Neque .n. illi sic scripserunt, ut se per omnia sequendos esse putarint, aut hoc a nobis petierint, sed potius quod idem, Augustin. ad Fortunatum

tum

per manus impositionem ab episcopo, quæ ordinatio Græce χειροτονία dicitur. Considerate ergo, inquiunt, uiros ex uobis 7. boni testimonij, quos constituamus super hoc opus, non dixerũt, eligite, aut constituite nobiscum, sed considerate viros ex uobis. 7. boni testimonij, ut iam cum Lucas subiungit, & elegerũt Stephanum, &c. id multitudinem fecisse intelligamus, quod eis fuerat ab Apostolis iussum, ac non amplius, nempe considerare uiros boni testimonij, & quos inter cæteros tales esse iudicarũt hos ex omnibus elegisse, idest, segregasse, & sic electos, ac segregatos præsentasse Apostolis, ut hodie loquimur, hoc. n. significat, & statuerunt coram Apostolis, qui illos cum precibus, & impositione manuum Diaconos ordinantur, & super opus mẽsarum constituerunt. Vnde expressam credo alteram partem illius canonis Apostolorum 41. cuius supra memini, de bonis Ecclesię ab Episcopo per sacros DIACONOS in vsum pauperum dispensandis. Quare, ut hoc quoque obiter ad utilitatem legentium annotem, quod nescio, quomodo oblitus, in libro meo de vi. synodi canonibus prætermi, non puto tenendum esse, quod beatus Chrysostomus in Commentarijs act. Apost. scripsit, non esse in Ecclesia huiusmodi ministerium, & officium mẽsarum in Diaconis sacrorum, neque Canonem xvj. synodi vj. quæ huius patris auctoritatem secuta, docet, & doctrinam Canone sanxit, non fuisse illos. vij. DIACONOS sacrorum, sed tantũ ministros mensarum, quod ab Ecclesię Catholicæ sensu alienum est, quæ cum DIACONOS ordinat, Beati Stephani exẽplum proponit, Cogitate, inquit ordinator, beatum Stephaum merito, præsertim castitatis, ad officium istud electum, & cum precatur, Vt existant inquit, digni gradu, quo in septenario numero beatum Stephanum Apostoli elegerũt. Sed pergamus iam ad ea, quę sequũtur. Multa, inquit, prætereo ab hoc vero inconsideratissime dicta, quia nimis longus esset sermo, & longæ ambages, tum quia ab iis, quę iam sunt confutata, poterunt multi eius errores agnosci, atque emendari. Hęc ille. At ego tametsi ex his, quę hactenus a me sunt notata, qualia essent reliqua, possem relinquere cogitandum, tamen ea non præteribo, nihil, inquam, prætermittã, ne incauti errent; & ut saltem libri huius lector, uel agnoscat ueritatem, si eam tradimus fideliter, uel si ignorare uoluerit, ignoretur, & inexcusabilis sit. Laudator vero meus, si ea q̃ in lib. meo præterisse significat, q̃ notare potuisset, aliquando rursus notare

 voluerit,

voluerit, & fortasse corrigere, non poterit non prodesse, & mihi, & cæteris, & sibi primum, sicut scriptum est, laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Sed pergamus ulterius ordine. Rursus quod tradit de potestate spirituali immediate a Deo, aut mediate.i.per hominem, ut ille interpretatur, auctoritate Pauli, ut sibi videtur, cõfirmãs, Ipse (inquit) B. Paulus sciens, neminem prædicare posse, nisi mittatur, & quidem hoc amplius sciens, multum interesse inter eam missionem, quæ a Deo esset immediate, & illam, quæ mediate ueniret per hominem, licet & hæc legitima sit, & rata, ille ut suam Apostoli eam missionem exaltaret, sic intonuit, Paulus Apl's non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem. Vbi secundum Ambrosium negat se missum ab Apostolis, qui multos mittebant, quoniam non ita honorabilis fuisset illa missio, tanquam non immediate a Deo. hæc ille. Recte quidem Ambrosius Pauli locum interpretatus est, sed male Laudator meus Ambrosium. Mittebant quidẽ Apostoli alios, in quorum locum successerunt Episcopi, sicuti Archiepiscopi, infra quos sunt Episcopi, in locum Apostolorum, quod, ut traditũ est, symbolice significat pallium illud, ut vocant, quod sumptũ de corpore beati Petri a Pontifice Petri successore ad Archiepiscopos Apostolorum successores mitti solet, uerum minores illos Episcopos, quos Apostoli, ut dixi, mittebant, Spiritus Dei, qui erat in Apostolis, primum, & immediate per eosdem Apostolos tanquam ministros mittebat. itaq; quia Pseudo apostoli Apostolatus Pauli obtrectatores, & æmuli, hoc fortassis in inuidiam eius iactabant, quasi esset de eorum numero, quos Apostoli mitterent, idcirco Paulus affirmat, & profitetur nõ esse, alioqui nõ ita honorabilis esset eius missio, ut recte hoc Laudator meus nisi interpretandi gratia, male illud addidisset, tanquam, inquit, nõ immediate a Deo, quasi omnis a Deo immediata missio æque honorabilis esset, cũ tamen Christus Duodecim miserit, & posthæc, sicut scriptum est, designauit Dominus alios 72. Discipulos & illos misit, &c. quorum missio non fuit æque honorabilis, licet immediate a Deo. Non itaque missus est Paulus ab Apostolis, atque ita non ab hominibus. Illud uero quod sequitur, neque per hominem, optime mihi interpretari videtur Eusebius Cæsar. primo ad aduersus Marcellũ Ancyranũ libro. Quia, inquit, Galatæ Christum putabant hominẽ ψιλὸν, idcirco statim in princi

pio

pio docet, non esse solum hominem, cum ait, neque per hominem, Et paulopost idem Apostolus de Euangelio suo ait, non esse secundum hominem, neque ab homine accepisse illud, sed per reuelationem Iesu Christi. quia uero nulli alii erant similes Galatis in hac fide, idcirco nullam ad cæteros alios epistolam sic est orsus. Hæc Eusebius. Non ergo missus fuit Paulus per hominem, siue ab homine tantum, sed a Filio Dei facto homine, neque iam amplius mortali, sed immortali per resurrectionem, quod etiam significat illud, neque per hominem, vt in alio loco dixit idē Apostolus, Etsi Christum cognouimus secundum carnem, idest mortalem, sed iam nō nouimus, unde statim subiungit sed per Iesum Christum & Deum Patrem, qui suscitauit eum a mortuis. quod quidem ideo mihi meminisse etiam uidetur, ut notaret tempus missionis suæ, sicut Prophetæ solebant perinde atq; diceret, missum se esse ab homine Deo, Christo Iesu post resurrectionē suam, tunc enim placuit Deo Patri reuelare Filium suum in Paulo, idest per Paulum uas electionis, vt scilicet portaret nomen eius coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Deinde Laudator meus multis ex libro suo de Residentia recitatis, & repetitis, quę satis nos libro nostro quantum existimo, refellimus, subiungit, Nunc audi benigne lector, quòd talis Residentia non sit a iure Diuino pręcepta, manifestum est, quia quæ sunt a iure Diuino præcepta, indispensabilia sunt ab homine, neque sub eius arbitrio concluduntur, modo nemo negare potest, quòd multa episcopis imponuntur, quæ personalem illam, & assiduam Residentiam prohibent. Hæc ille. Verissimum est quod Leontius Cyprius scribens aduersus Acephalos, non loqui próprie, inquit, sæpe discrepantiam efficit in dogmate. Quare si dispēsare sit soluere, siue trāsire, quòd ualde durum est, & a proprietate uerbi alienum, pręcepta Dei non sunt dicenda dispensabilia, quia solui, aut trāsiri nō possunt, si uero dispensare proprie dicam, quod Græce οἰκονομεῖν, profecto dispensatio prudens, & spiritualis, idest œconomia cadit in præcepta Dei, quorum ratio dirigenda est ad ędificationem. Est autem œconomia, ut est in Clementis Romani diffinitionibus ab Anastasio Antiocheno collectis, quas ὅρους uocauit, quando quod omnino, & simpliciter fieri non debet, fit tamen propter συγκατάβασιν & salutem aliquorum, ut cum Paulus Timotheum circuncidi, vt Iudęos alliceret, non pręcepti uiolatio, neque Euangelicæ legis præuaricatio fuit, sed dispensatio, & œconomia. mul-

ta alia huiusmodi exempla sunt. Huiusmodi est, cum ad utilitatem non mediocrem suæ, aut aliarum ecclesiarum ad breue tempus necesse est Episcopo abesse. dispensatio enim, & œconomia præcepti Diuini est, non præuaricatio. Quare cum Laudator meus ait multa episcopis imponuntur, quæ personalem illam, & assiduam Residentiam prohibent, siquidem ad breue tempus prohibent, & si illa multa, quæ imponuntur Episcopis, ad vtilitatem ecclesię suæ, aut aliarum non paruam spectent, profecto dispẽsatio, & œconomia est, quę, salua lege Diuina præsentię pastoralis, suscipitur. Quod uero sequitur, quomodo ergo posset mihi dicere Papa, sta hic, aut ueni huc, si Deus mihi sua uoce dixisset, uade illuc, aut sta ibi? respondebo dubitanti, & quærenti, rursus ab eo aliquid quærens, unde fortassis intelligat, quod nunc dubitare uidetur. Si spiritus Dei, qui erat in discipulis illis, dicebat Paulo, ne ascenderet Hierusalem, sicuti scriptura Lucę narrat, quemadmodum potuit Paulus ascendere? quod quidem perinde erat, atque diceret Deus Paulo, ne eas illuc, Paulus uero diceret, ibo illuc. Explanat hunc locum sanctus Maximus in altero ex duobus libris, quos ad Thalasium de quibusdam locis obscuris Scripturę sanctæ scripsit, interpretabor latine, Cum ascendit (inquit) Paulus Hierosolymã, non est dicendum, quòd Spiritui sancto non obedierit, sed quòd illi discipuli ex charismate charitatis erga proximum, de Paulo prophetauerunt, Paulus uero ascendit ex charismate excellentiore charitatis erga Deum, & ex charismate Apostolico præstantiore, quàm esset charisma propheticum, non curans pericula euentura, docens præterea, minus debere maiori cedere. Hactenus Maximus. Ad hunc modum licet hic dicere, cum propter magnam utilitatem ad breue tempus abesse pastori necesse est (nam ut in libro meo dixi, perpetua, aut etiam diuturna absentia nulla potest non pestifera esse) tunc & Spiritus dicit, uade illuc ad Ecclesiam tuam, & Papa potest dicere sta hic. illic est charisma charitatis erga gregem suum, hic charisma maioris charitatis aut erga ecclesiam suam, ad cuius maiorem utilitatem contingere posset, vt pastori eius ad breue tempus abesse necesse esset; aut erga Ecclesiam uniuersalem, aut alias priuatas Ecclesias. Illud uero, quod de me subiunxit, inquiens, Nititur enim homo iste suadere, quòd quando mihi, & cuilibet Episcopo dicitur, uade, & prędica populo Dei, illud non homo mihi dicat, sed Deus solum organo hominis utens, & ideo perinde

omnino

omnino esse, ac si Deus immediate illud mihi, & non per hominem dixisset, quod est peruertere Dei ordinem, & Hierarchiam ecclesiasticam &c. Neque uerba neque sententiā recitat meam, sic enim pagina 15. scripseram, Non intelligentes, cum dicitur Episcopo, uade prædica populo tibi commisso, hoc quod audiatur, dici quidem a ministro, & dispensatore mysteriorum, idem uero immediate, & primum interius, ac spiritualiter a Domino dici, ubi ergo legit me dixisse, quod illud uade, & prædica populo tibi commisso, non homo mihi dicat, sed Deus solum hominis organo utens, & ideo perinde omnino esse, ac si Deus immediate, & non per hominem dixisset? At fortasse non dixi, sed vt necessario mihi dicendum esset, argumentis, & rationibus effecit, & conclusit, vt simile esset, atque illud, quod ego illum in principio libri mei dicere scripsi, Episcopos scilicet non a Deo, sed a Pontifice fieri, quod quidem non dixerat uerbis, sed ita illi necessario dicendum esse, paulo post concludendum, & demonstrandum erat, vt quidem, quantum opinor, conclusi, & demonstraui, ut supra admonui. At vbi quæso Laudator meus argumenta, & rationes de hoc attulit? qui fere nunquam nisi cōuitijs, ut ipse uidet, mecum agit. Ego calumniam non appellabo, malo obliuionē dicere. Rursus ego in eadem. 15. pagina clarius adhuc, si clarius dici poterat, sic scripsi, Cum. n. minister pronunciat, uade, Dominus est, qui tanquam auctor, & dominus ire pręcipit. Si hunc locum cum proxime superiore iunxisset, ac comparasset, hæc uerba, & hanc sententiam Laudator meus habebat, homo est, qui tanquam minister, & dispensator dicit hoc, quod auditur, uade. &c. Dominus uero, qui tanquam auctor, & Dominus, sicuti beatus Chrysostomus loquens de ordinatione. 7. Diaconorum, Dei, inquit, manus est, quæ illius qui ordinatur, caput contingit. Quemadmodum uero illud Dominus diceret, uade. &c. pag. 18. his uerbis explicaui, Trāsisse ergo Diuinam uim horum uerborum, Pasce oues meas, ad cæteros alios spirituales rectores, testantur etiam ecclesiasticæ formulæ, & ritus spirituales rectores constituendi, ut Episcopos, & Abbates, aliosque huiusmodi, Episcopo. n. dicitur, accipe Euangelium, & prædica populo tibi commisso, quod perinde est, atque diceretur illi, uade, pasce oues tibi creditas, Abbati autem dicitur, accipe plenā, ac liberā potestatē regendi hoc monasterium, nihil uero aliud est pascere, quam regere. Ergo illud vade, & prædica, quod non homo mihi dicat, sed Deus solum hominis

Dicat ergo nobis, si Canones Apostolorum sunt iuris diuini, ac per hoc solui non possunt, cur igitur soluti sunt? & nobis perijt tanta pars iuris diuini? nam qui sint, aut qui fuerint hi Canones, iam non est certo notum ecclesiæ. quæ non nouit apocrypha, & a doctoribus uarie de his traditum esse nullus ignorat, hæc ille. Si Laudator meus mea relegisset, aut fortasse semel lecta meminisset, nunquam profecto hoc ex me in libro suo quæsisset, ad quod ego satis respódissem. Multa. n. in libro meo notaui ad ius diuinũ tum scriptũ, tũ nõ scriptũ pertinentia, vt veteres l-res affirmant, quæ quidem solui non possent, cum autem solui uiderentur, dispensationem potius, & œconomiam esse, quam solutionem. aut enim dixi causam non subsistere, aut iam non esse ita necessariã, aut cõmutatã, esse & uariatam, denique oportere ad multa respicientes, omnia spiritualiter dijudicare, & causas præceptorum, & canonum intueri, vt intelligeremus, sicut beatus Ambrosius dixit, ubi causa non hæreret, ibi vitium non imputari. Hunc itaque locũ copiose tractarã, cõ memoratis multis, quæ Laudator meus iuris diuini esse negat, quæ quidem non repeto, ne sim longior, peti vero possunt ex libro meo a pagina. 50. vsque ad paginam. 61. quod uero addidit, Cur igitur perijt nobis tanta pars diuini iuris? nam qui sint, aut qui fuerint hi canones, non est certo notũ ecclesiæ. Fateor nondum esse omnes canones Apostolorum notos, imo scripsisse Clementem Romanum ordinationum Apostolicarum libros. 8. quos cum veteres testantur, tũ res ipsa probat corruptos esse ab hæreticis. admistis paucis falsis quod ego prouidentia & œconomia dei mirabili ad nostram vtilitatem factum esse crediderim, vt scilicet maiore studio, & attentius legeremus, & per charisma discretionis Spiritus, spiritualiter eos dijudicaremus: spiritualia spiritualibus comparantes, Apostolica, atque diuina Apostolicis, atque diuinis neque quia non sint huiusmodi ordinationes Apostolicæ distinctæ, ac notatæ omnes, sed potius cum falsis confusæ, & ad dignoscendum difficiles, idcirco suspicandum est, ut Laudator meus uult, bonam diuini iuris partem nobis periisse. Similiter enim dicat, quia permulta loca scripturæ sanctæ ita sint difficilia, & obscura, ut eorum sensus notus non sit, idcirco bonam partem scripturæ sanctæ nobis perisse. Fateor, ecclesiam non nosse apocrypha, id est, non approbare ea, neque nouisse, id est, nondum reperisse omnia, non apocrypha, cũ quotidie eam spiritus sanctus doceat, & suggerat ei, quæ domi-

rum scripsit, neq; quorumlibet, inquit, disputationes quãuis ca-
tholicorum, & laudatorum hominum, uelut Scripturas canoni-
cas habere debemus, ut nobis non liceat, salua honorificentia,
quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis impro
bare, atq; respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserint
quàm veritas habet Diuino adiutorio, uel ab alijs intellecta, uel
a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales uolo esse intel
lectores meorum. Ergo hoc, de quo nunc Paulus ait, dico ego,
non Dominus, non solum si consilium, sed si præceptum sit ad ius
Ecclesiasticum pertinens, licebit per Pontificem vxori discede-
re, infideli consentiente habitare cum uxore fideli, atq; ita infi-
delis ille blasphemabit Euangelium Iesu Christi, quasi doceat di
uortium facere prætextu religionis; & multi fratres libertatem
suam vertent in occasionem discedendi, etiam inuito infideli,
quo scandalo quid peius esse potest? Teneamus ergo præceptũ
Diuinum, & Apostolicum esse hoc, neq; minoris roboris, & fir-
mitatis, quam si Diuinum tantum esset, idest non per Apostolũ
traditum, quod quidem ad ius Canonicum, siue Ecclesiasticum
non pertineat, neque ulla ratione solui possit, siue, ut nunc lo-
quuntur, dispensari, infideli consentiente habitare cum fideli,
quia scilicet quandiu habitare consentiat, causa, & ratio præce
pti existat, spes scilicet salutis. Vnde.n. (inquit) scis mulier, si
virum saluum facies? aut unde scis uir, si mulierem saluam facies?
Vbi autem causa hæret, vitium imputatur. Ne autem hoc præ-
ceptum, cuius tantum esset robur, & firmitas, vt necessario ser-
uandum esset, nullaque alia ratione, ut dixi, solui posset, perdif
ficile, & nimis asperum videretur, si existimaret fidelis se conui
ctu infidelis pollui, ac contaminari, velletq; ob eam rem discede
re nolente infideli; tam longe, inquit, abest hoc, ut potius infi-
delis per fidelem sanctificetur, idest honoretur, quòd si infidelis
conuictu, & coniunctione fidelis coniugis honoratur, profecto
pars fidelis non redditur infamis, & immunda. Nemo.n. puto,
alterum honorat, & sanctificat, in quo seipsum fœdat, & dede-
corat, nisi secus interdum ex accidenti eueniat. Sanctificatus
itaque, inquit, est uir infidelis per mulierem fidelem, & viceuersa,
cuius rei argumentum est, quòd filij eorum non fuerit immundi,
& infames inter fratres, ut quidem sunt filij vtriusque coniugis
infidelis. Deinde quid tantopere in hoc præcepto commendando
laborat Apostolus, si diuinus firmum est, quam Diuinũ? si inquam

neq; approbare pōt, quia scilicet non possit non esse turpe, sicut Apostolus ait, mulierem in Ecclesia loqui, idque, quia uir caput est mulieris, siquidem ex eo sumpta sit mulier, & ei subiecta, quid autem turpius, quàm vt reliquum corpus capiti præsit? est enim docere, quoddam præesse, sic explicata est hęc turpitudinis causa & ratio tum a Paulo in altera epistola ad Corinthios, & in altera ad Thimotheum, tum a Clemente Romano in libris ordinationum Apostolicarum, quæ quidem turpitudo cum tolli nō possit, neque interdictum hoc, cuius causa turpitudo illa existit, tolli poterit. Ita fit, ut non sit ulla ratione dispensabile, ibi enim uitium non imputatur, ubi causa non hæret, vt sanctus Ambrosius dixit de sua, qui neophytus erat, ordinatiōe, quod sæpe meminimus. In huiusmodi uero præceptorum causas, & rationes qui non aspexerunt, facilem in omnibus Christi per Paulum præceptis dispensationem reperiebant. Satis iam patere arbitror, qualis sit hęc sententia de hoc præcepto, imo de cæteris eiusmodi, quia Christus non per se, sed per Apostolum præceperit, ne mulier in ecclesia doceat, & alia similia, idcirco non esse hæc eiusdem gradus in robore, & firmitate, atque essent, si eadem idem Christus per seipsum ore suo præcepisset, vt Laudator meus, & pleriq; alij cum eo sentiunt. A quibus quæram iam, cum profecti Apostoli prædicauerunt, sicut scriptum est, Domino cooperante, & sermonē confirmante sequentibus signis, an sermonem intelligemus Christi tantum, ab eodem prius per se euangelizatum? an etiam Christi sermonem per Apostolum traditum? Non credo, negabunt, quin vtrunque Dominus signis, cum opus esset, cōfirmaret; alioqui quemadmodum Paulus Apostolus Iesu Christi uere diceret de potestate sibi data, in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam? omnem dixit tam sermonis, & præcepti Christi per se, quàm Christi per Paulū, & cæteros Apostolos. Quo circa, non dixit sermonem infinite, sed cum articulo, vt doctrinam, & præcepta intelligeremus siue Christi ab eodem per se tradita, siue postea per Apostolos. Quod si vtrumque sermonem confirmabat Dominus sequentibus signis, cum opus erat, erant ergo eiusdem gradus in robore & firmitate, quod enim æque confirmatum est, æque ualidum, & firmum factum est. Neque a me quærant isti, ubi confirmarit Dominus, signo sequente, præceptum Christi per Paulum, aut per alium ex Apostolis, mihi satis est, potestatem ad id accepisse tum Paulum, tum cæteros Apostolos, neq; minus

 potuisse

potuisse Paulū, si ita expedisset, solo uerbo per Dei gratiam secundum potestatem sibi datam occidere fidelem discedentē contra præceptum suum ab infideli consentiente habitare cum eo, quod quidem Christus per Paulum prius prohibuit; quā potuit Petrus Ananiā, & Sapphiram, quia mentiti fuerant Spiritui sancto, & de precio agri fraudarant, & quàm potuit idem Paulus Corinthium illum Satanæ tradere in interitum carnis propter fornicationē illam a Domino prius prohibitam. Præterea terret nō semel Apostolus hac potestate sibi data Corinthios, minaturque ijs, qui peccarant, nisi resipiscerent, non parsurum, cum ad eos iterum ueniret, quin potius ostensurum eis, Christum in se loqui. Quorsum autem Christum in se loqui suo malo experturos eos minaretur, nisi ut sic discerent, tum falsum esse quod pseudoapostoli iactarent, non esse eum Apostolum Iesu Christi; tum etiam quod Christus per Paulum præciperet, nōn tanti roboris & firmitatis esse, ac si Christum id per se præcipientem audirent? Experimentum itaq; mihi quærere uidentur, similiter atq; Corinthij illi, vtrum Christus in Paulo id sit locutus, quod primum per Paulum præcepit, quicunq; id non eiusdem gradus in robore, & firmitate esse dicunt, atque illud, quod per se idem Christus præceperit, quæ uox utrum profana sit, & blasphema, & Pseudoapostolis magis digna, quàm catholicis, diiudicent, qui huic iudicio præsunt. Scio, & fateor Laudatorem meum Catholicum esse, & fidelē Catholicorum defensorem, quo magis eum obtestor, ut hæc secum & consideret, & cum alijs communicet. Qui si quod Christus per Apostolos præcepit ad ius Canonicum, siue Ecclesiasticum, ut ipse ait, pertinere putat, & si cum decretis, ac mandatis Pontificum æquat in robore, & firmitate, quæro ab eo, utrum putet pōtifices accepisse potestatem ostendendi signo aliquo, quòd Christus in eis loquatur tunc, cum aliquid præcipiunt, quod non prius præcēperit Christus aut per se, aut etiam per Apostolos? Aut quod vnquam hominis decretum, siue mandatum statim a principio tantas habuit uires, ut ubiq; in uniuersis Ecclesijs uno consensu religiose seruatū semper fuerit, & seruetur, ut unū Pauli præceptum in mulieribus de orando uelato capite? quis spiritualis nō uidet, si humanū fuisset hoc præceptum, ac non potius Diuinū, nōn potuisse tantū robur, idest, Diuinū, tantāq; firmitatē habere? Valeat ergo profana hæc in nouo Testamēto cōnexio Diuini, & humani, firmi, & infirmi, dispēsabilis, & indispensabilis. Inquiramus cās,

& rónes præceptorum, & oīa in eo diuina esse tradamus. Credimus totā scripturā æque diuinitus inspiratā esse, & æquali robore, ac firmitate esse oīa eius mandata, nihilq; Aplos propria auctoritate, i. humana statuisse, sed oīa tanq̃ Christi ministros, & mysteriorū dei fideles dispēsatores. Deniq; qui tradita sola ab aplis, siue scripto, siue sine scripto, minore auctoritate, atq; illa, quæ in sancto Euāgelio continent, cēsulare opinant, quia ipsi et ferre solent more scholasticos, sciāt se iā graui præiudicio nobilissimæ, & frequētissimæ doctorū Parisiensiū scholæ in censuris Erasmianarū assertionū titul. de impietate dānatos esse. Quare, vt quod sentio dicam, audendum est .n. pro fide, qui hmōi traditiones humani iuris, humanæq; auctoritatis esse docent, semel, & iterū monendos esse iudicarim, vt sicut scriptum est, post unam, & secundam admonitionem tanq̃ hæretici deinceps uitentur, ut subuersi, & proprio iudicio damnati, qui Aplorū traditiones arma nostræ aduersus hæreticos militiæ potentia deo ad destruendas munitiones, & consilia eorum ex diuinis faciunt humana, vt iam nō amplius de eis gloriari possimus, arma nostra non esse carnalia, i. humana, quibus altitudinem hæreticorum, & pseudoapostolorū extollentem se aduersus scientiam dei comprimere queamus, redigentes eorum intellectum in obsequium Christi. Etenim si hęc tela nobis aut manibus exciderint, aut erepta fuerint, quid iam de fideli illo secundum doctrinam sermone, quem Apostolus ad arguendum doctrinæ sanę contradicentes, amplecti iubet episcopis, metuerint inobedientes, vaniloqui, & seductores hæretici præter expressum Dei uerbum, & ut laudator meus ait, claram, ac promptam ex eo sequelā? Et quid hoc aliud est, quæso, quam eos ad contemptum, licentiam, vaniloquia, deceptiones, & hæreses instruere? Cum enim Apostolicas traditiones non dei, sed hominum traditiones esse audient, id est, humanę auctoritatis, simul profecto audient, non eas pertinere ad illum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, quemadmodum enim fidelis sermo fuerit, qui ulla ratione solui possit? Rursus cum non pertinere audient, simul item audient, eum, qui eas amplectens, ad arguendum procedet, non esse potentem arguere eos, qui contradicunt. Atq; ita Philisteus Golias insolentior factus, humana placita, humanæque auctoritatis infirmitatem, ceu baculum arundineum exprobrabit Israeli dei. Videte, quo hic sermo, uelut cācer serpēs, exeat. Huius uero erroris causa, & origo ea-

dem

dem intelligatur, atq; in præceptis Christi per Paulum, quæ huma næ quoque auctoritatis ponunt, de quo satis hactenus. Iam illud quod Ecclesijs Galatiæ, & Corinthijs Paulus ordinauit, vt collectæ fierent per vnam Sabbati, idest, die Dominico, non dicā pertinere modo ad ius Diuinum, sicut recte negat etiā sanctus Thomas, quod Laudator meus ex quotlibeto eius attulit, quia scilicet, vt existimo, non existat causa post locupletatās, & bonis auctas Ecclesias, a quibus absque collectis illis die Dominico olim institutis satis possint ali pauperes, si sacerdotes, & qui Ecclesijs præsunt, quod sui est officij, facere uelint. Pertinuisse uero olim ad ius diuinum, cum causa præcepti, & ratio vrgebat, argumentū est non leue, quòd in multis multarum regionum Ecclesijs illius sanctæ legis vestigium adhuc relictum est, adhuc enim eam retinent consuetudinem. Et in libris Clementis Romani ordinationum Apostolicarum caput est, [illegible] idest, de Dominicarum collectarum oblatione. Ad illud præterea quod ex eodem quotlibeto sancti Thomæ de bigamo non promouendo attulit, non esse iuris diuini, supra respōdi, & in priore meo libro copiosius. Reprehendebam deinde, quòd legem Moysis non proprie legem dei esse diceret, decalogum vero esse proprie legem Dei, quia a voce Dei ueniret, ille vero post conuitia multa, ad hūc locum respondens. Hic igitur, inquit, homo carpens, quæ non apprehendit, illis verbis, quæ non citat perfecte, putauit me dicere, quòd nō sit propria locutio hæc, lex Moseos fuit lex dei, ego autem ad ipsum esse respiciens, non ad dici, dixi de illa, quòd non erat proprie lex Dei. Hæc ille. Suspicatur Laudator meus, fortasse quia ita vellet, esse mihi cum eo de solo verbo controuersiam, utinam fuisset, non putassem profecto de verbo contēdendum, sinerem loqui, ut mallet, modo rem, & ueritatem negare non uideretur, at nunc non de nomine, sed de re est quæstio. Concedit itaque legem Moysis proprie dici legem Dei, sed non esse proprie legem dei, quæ inter se pugnare nemo, credo, est, qui non videat, nisi ego omnino cæcus sum. Deinde probans non proprie esse legem dei. Et declaraui, inquit, dictum, quod illud proprie dei esse dicitur, quod ab ipso immediate, & non per alium emanat, sicut res propria dicitur, in qua alius non communicat. Rursus secum pugnare videtur. Concedit enim legem Moysis proprie legem dei dici, illud autē proprie dei esse, quod ab ipso immediate, & non per alium emanat, quare concedat, ne

cesse est, legem Moysis a Deo immediate, & non per alium emanare, ab eo enim quod res est, dicitur. vt iam si lex Moysis lex dei dicatur, lex dei sit, & si lex dei proprie dicatur, sit item proprie lex dei. Illud uero quod addidit, sicut res propria dicitur, in qua alius non communicat, addere debuit, ni fallor, in qua alius non communicat, tanquam dominus. nihil enim prohibet in re alicuius propria communicare alium tanquam ministrum eius rei, ita ut lex Moysis, propria sit dei, qui eam potestate sua propria tanquam Dominus, & auctor per Moysem dedit, Moysis uero, tanquam ministri legis datæ. Sed rursus negare uidetur, quod plane concessisse uidebatur, subiungit enim. Ideo dicitur lex Moseos, & non proprie dei, sicut baptismus Ioannis non proprie diceretur baptismus dei. Aut ego desipio, aut ipse sibi contrarius, simul ait, & negat siue ad dici, siue ad ipsum esse, ut ille loquitur, respicias? Relegat ipse sua, & iudicet, vtrum hęc mea sit calumnia, an cæcitas. Ergo tam legem Moysis, quam decalogum immediate a Deo per ministerium Angelorum profectum esse satis copiose locis scripturæ sanctæ inter se comparatis in meo de Residentia Pastorum libro ostendi pagina. 25. 26. 27. 28. Ad quę loca quamuis Laudator meus, quid responderet, credo non habuerit, alioqui suspicor, respondisset, tamen non desinit, quod semel scripsit, defendere, legem Moysis non esse proprie legem dei, quia non uenit, inquit, immediate a Deo, ut uenit decalogus. Quid enim ad defensionem huius dogmatis pertinent, quæ hoc loco commemorat? Euangelium ab ipso Domino traditum esse, legem uero Moysis datam per angelos, ideoque grauius esse tantam negligere salutem, idest Euangelium, quod est in salutem omni credenti, grauius inquam, quàm fuerit tunc legem illam Moysis per Angelos datam uiolare? Quæ omnia uerissima sunt, neq; opus erat auctoritate Caietani, quem ille tam sæpe aliàs reprehendere solet, confirmare, sed ut dixi, quid hæc pertinent ad id, quod in libro meo testimonijs scripturæ sanctæ probaui, tum legem Moysis, tum decalogum ministerio Angelorum utrumque a deo immediate profectum esse? illud uero, Non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur, satis me puto in libro meo auctoritatibus scripturæ sanctæ demonstrasse, accipiendum esse de Angelo iussu Dei decalogum loquente ad populum, sicut etiam Angelus legem in Sina locutus est Moysi, quod quidem si Laudatori meo non probabatur, auctoritatibus scripturæ, uerisq; ratio-

nibus non probris refellere debuit. sequitur iam ut respondeam ad locum Hieremiæ, quo se putat ille probare legem Moysis nō esse immediate a Deo. Non sum, inquit, locutus cum patribus uestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum; deinde subiūxit, si deus quæ per Moysem loquebatur, ipse immediate locutus diceretur, falsum esset, quod ait, non sum locutus. Hactenus ille. Sic ergo hic auctor hunc locum interpretari videtur, vt sit illud, non sum locutus, perinde atque diceretur, nō sum locutus immediate, sed per Moysem, nunquam potest intelligere, quemadmodum posset Deus loqui immediate, & per Moysem ritus, & cerimonias legis, & malle videtur dogma non probabile sustinere, quam proprie uti uerbo immediate, pro eo quod est primum, quo quidem modo contingit aliquid fieri primum, & immediate ab aliquo, tanquam domino, & per alterum tanquam ministrum. Hunc itaque locum Hieremiæ Paulus mihi videtur interpretatus in epist. ad Heb. c. 10. vt dicat dominus per prophetam, non se præcepisse de uerbo holocaustomatum, & victimarum, idest non mandasse sacrificia ad mundandam conscientiam, ad id enim obedientiam fidei ualere, unde sequitur statim, sed hoc uerbum præcepi eis, audite uocem meam &c. ergo Paulus quia (inquit) impossibile est sanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit, hostiam, & oblationem noluisti, & paulo post, holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Hæc igitur sacrificia quatenus noluit, & quatenus non placuerunt domino, eatenus ea non præcepit, sicut per Hieremiam dixit. Ob eandem causam apud Ezechielum, præcepta appellauit nō bona, id est, ad auferenda peccata inutilia. in hanc sententiam crediderim, dixisse dominum, per prophetam non sum locutus &c. immo, vt auctoris huius interpretationem propria ipsius ratione refellam, si illud, non sum locutus patribus uestris de uerbo holocaustomatū, perinde est, atq; diceret, ut hic auctor uelle uidetur, non sum locutus, per me scilicet, & imediate, sed per Moysem, ac propterea uere dicitur Deus simpliciter non esse locutus, ut ipse concludit, quæro ego utrum loqueretur Dominus in Moyse, sicut ait Paulus Christum in se loqui, non credo, negabit, ne negare videatur, quod Petrus ait, omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti homines, quòd si Deus locutus est in Moyse de uerbo holocaustomatum,

locaustomatum, similiter atque Laudator meus, concludam ex eo; quod est secundum aliquid, id quod simpliciter, ergo locutus est de uerbo holocaustomatum, ita fit, ut vltro confiteatur, non locutum esse,& sua, aut simili suæ ratione cogatur confiteri locutum esse, quę inter se pugnant. Deinde, postquam in ponē da connexione ex præceptis dei,& hominum separatim in sanctis Scripturis cum Ptolemęo,& clarius adhuc cum Origene sen tire illum demonstraui, ad hunc locum respondens, fatetur, inquit, hanc differentiam non esse meam sed Origenis, & aliorum quorundam patrum, quorum non citat nomina, neque ab re, grauabatur.n. auctoritate catholicorum. Origenem tantum nominauit, quoniam eius opera cum auctore damnata sunt ab Ecclesia, ut ait, neque meminit, etiam recitari continue in Ecclesia pluseulas eius Homilias, neque animaduertit, quod singuli errores Origenis notati sunt a Beato Hieronymo,& alijs, inter quos hic error non legitur. solus homo iste propria auctoritate dam nat, quod & alij catholici docuerunt. Hæc ille. Satis se putat de fendi Origenis auctoritate,& inter Patres numerādum iudicat, quem nullus Patrum, neque ulla synodus numerauit, quia scilicet non fuerit ex eorum numero, qui ut Martinus primus de catholicis patribus dixit, usque in finem indefectibiliter in fide per manserunt: imo damnatus est in quinta synodo, & in cæteris deinceps œcumenicis concilijs eius damnatio renouata est,& cō firmata, eiusque anathema a Iustiniano Imperatore literis de dā natione eius, & erroribus ad Ecclesias orientis missis, publicatum: quod uero Ecclesia aliquas eius Homilias legit, facit iuxta pauli sententiam, Omnia probate,& quod bonum est tenete. Vt ex libro Enoch apocrypho prophetiam sanctam legit, & Paulus sententias poetarum mutuatus est. Origenem certe prouide, & caute legendum esse ueteres monuere, quod etiam beatus Bernardus in sermone de uerbis Origenis meminit, neque hoc, inquit, silendum arbitror; quod euidentissime illum nonnulla con tra fidem scripsisse sanctorum patrū tradat auctoritas, atq; ideo non sine circunspectione monet esse legendum. Quod autē ait, Hieronymum singulos Origenis errores, ac fabulas notasse, in quibus non sit hic error notatus, uellem indicaret, ubi singulos eius errores, qui fuerunt penes innumerabiles, Hieronymus, aut alii notarint. Deinde subiungit, solus hic homo propria au ctoritate dānat, quod & alij Catholici docuerūt,&c. Et quis sum

 ego,

ego, vt propria auctoritate damnē? aut si quid damnatū esse dixero, cur mihi credi debeat, nisi ita esse demonstrauero? si quod refello, & sanæ doctrinæ repugnare doceo, damnare est, fateor me damnare, at non propria auctoritate, sed Scripturæ sanctæ auctoritate, quòd si alij Catholici hoc aliquando docuerunt, nō est discendum, aut tenendum quicquid a Catholicis docetur, & traditur, sed quicquid a Catholicis, & Catholice, quale non est, quod hic auctor alioqui Catholicus defendit, aliquid Moysem propria auctoritate sanxisse, quod quidem qui cum pertinacia pergat defendere, fortasse Catholici nomen amittat. Est.n.hic error, ut sæpe dixi, Ptolemæi hæretici ponentis connexionem ex Diuinis, & humanis in uetere Testamento, sicut Laudator meus in uetere, & in nouo ponere fortasse videatur. Sed recitabo hic ex epistola Ptolemæi ad Floram sororem, quæ huc pertinent, & sancti Epiphanij confutationem, ut iam qui Laudatoris mei sententiam tenere pertinaciter voluerit, agnoscat se in Ptolomęo a sancto Epiphanio confutatum, & de eo post hac quæratur, non de me. Primum igitur (inquit) sciendum est, uniuersam illam legē, quæ in v. libris Moysis continetur, non ab uno aliquo sancitam esse, non inquam, a solo Deo, sed esse quædam eorum præcepta, etiam ab hominibus data, & trifariam hanc diuisam esse Saluatoris uerba nos docent nempe in ipsum Deum, eiusque legem, deinde in Moysem, non quidem quatenus per eū sancit Deus, sed quatenus Moyses, suo sensu, & mente quædam statuit, postremo in seniores populi, qui primi mandata quædam propria dederunt, quemadmodum vero hæc ita sint, ex ipsius Saluatoris uerbis perspicitur. Cum.n.aliquando de repudii libello, qui lege erat permissus, ab eo quæreretur, respondit, Moyses ad duritiam cordis uestri permisit, dimittere vxorem, a principio autem non sic, Deus.n.inquit, hoc coniugiū fecit, & quod Dominus coniunxit, homo ne disiungat. Quo in loco alteram quidem Dei legem demonstrat, quæ virum ab uxore separari prohibeat, alteram uero Moysis, quæ ob duritiam cordis permittit, coniugium hoc solui. Atque hactenus quidem contraria Deo sancit Moyses, contraria.n.sunt coniungi, & disiungi. Verū si qua mente, & sententia hoc Moyses statuerit, inquisierimus, reperiemus non voluntate, sed necessitate propter infirmitatē, inquā, eorū, quibus lex data erat, hoc statuisse. Quia. n. voluntati Dei morē gerere nō poterant, dū inuiti cū eis habitabāt, quas ex

clude-

cludere non licebat, periculumq; erat, ne odio primū, deinde iniuria maiore se irent perditum, cum uellet Moyses euellere hoc odium, quod ad eorum interitum spectabat, eo necessitate adductus est, ut maius malum minore commutans, secundam legem, libelli (inquam) repudij ἰδιοτρόπως id est, sua auctoritate illis cōstitueret, vt si illam dei legem seruare non possent, hanc saltim Moysis seruarent; & ne ad iniurias, & maleficia in perniciem suam summam conuerterentur. Hoc fuit Moysi propositum, ac consilium legem deo contrariam ferendi. Atque esse quidem aliam Moysis legem a lege dei non cadit in dubitationem, quanquam vno id exemplo demonstrauerimus. Hæc Ptolemæus, cum quo quantum conueniat Origenes, ut ex comparatione utriusque perspici posit, repetam hic iterum, quæ in libro meo priore ex Homilia eius Num. 16. recitaui. Multa, inquit, per Moysem locutus est deus, aliqua tamē, & Moyses propria auctoritate mādauit, quod dominus in Euangelio euidentissima ratione secernit, cum dicit de repudio mulieris interrogatus, Quia ad duritiam cordis uestri scripsit uobis hæc Moyses, ab initio autem non fuit sic. Et paulo post, Vides ergo & hic deum quidem non præcepisse, neq; voluisse fieri diuortium, Moysem uero propter duritiam cordis Iudeorum scripsisse dandum esse repudium? Ostendit hæc & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdā, dominus dicit, non ego, & de alijs, Hęc autem ego dico, non dominus. Et iterum in alijs, præceptum domini non habeo, consilium autem do, & iterum, Quæ loquor, non loquor secundum deum. Vnde sic in cæteris Prophetis aliqua quidem dominus locutus est, & non Prophetæ, alia uero Prophetæ, & non Dominus. Hæc Origenes. Quantum uero cum utroque, idest cum Ptolemæo; & Origene Laudator meus conueniat, & quicunque legem distribuunt in dei, & Moysis, & qui in nouo testamento tradunt præcepisse aliquid Apostolum ἰδιοτρόπως id est, ex persona sua, ut loquuntur, qui hoc docent, eosdem constituo iudices. Sed uideamus quemadmodum sanctus Epiphanius legis in duas illas partes priores distributionem aduersus Ptolemæum confutat, vt se quoque isti unà cum Ptolemæo confutari intelligant. Ne uero, inquit, tres tuæ dictiunculæ, quas in tuis ad Floram litteris iactas, sine quæstione, & examine prætereātur, easdem ipsas dictiones, earumq; necessariam confutationem, ne ulla radix fati zizanij relinquatur, deinceps ordine adhibebo. Ais enim legem esse diuisam in partes tres, ha-

bere inquam,tum aliquid dei,tum aliquid Moysis,tum aliquid seniorum,ac partem quidem seniorum,quam putas, nusquam potes scriptam indicare. Et paulo post, confutata hac tertia parte seniorum,secundam illam Moysis his uerbis refellit. Quæ uero a Moyse sancita sunt, non sunt sine Deo sancita, imo a Deo per Moysem, id quod ex ipsa Christi responsione perspici potest, quod enim citasti testimonium, aduersus te citasti. Ait enim dominus in Euangelio, Moyses scripsit ad duritiam cordis uestri, quod autem scripsit Moyses non sine uoluntate Dei scripsit, sed potius ex Spiritu sancto sanxit. Ait enim dominus in Euangelio. Quod deus coniunxit, homo non separet, quemadmodum autē coniunxisset, vt intelligeremus, explanauit his uerbis. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Deindē subiūgit, quod ergo deus coniunxit, homo non separet. Atqui nusquam hoc Dominus dixerat, cum Adam, & Euam formauit, nisi illud solum, faciamus, inquit, ei adiutorium simile ipsi. Hoc uero ab Adam dictum est, quando a somno excitatus, dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ipsa uocabitur uirago, quoniam de uiro suo sumpta est. Deinde ait, propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, cum igitur non hoc deus dixerit, sed Adam, dominus tamen in Euangelio testatus fuerit, dei esse hoc dictum, quod per personā Adæ dixerit, res ipsa declarat, dixisse quidem Adam, quod Dei uoluntas elocuta sit. Ad hunc modum in hoc loco Moyses quidem legem tulit, quam ei deus enunciauit, atque hæ quidem tuæ dictiones duæ ceciderunt, neque longe petita confutatione, sed ducta ab ipsa auctoritate. Hactenus sanctus Epiphanius. An non videt Laudator meus, quemadmodum uelit sanctus Epiphanius eodē modo, eademque ratione legem Moysis legem dei, & esse, & dici, ut dictum Adæ, dictum dei, & est, & dicitur? & quemadmodū Ptolemæum hæreticum accuset, & confutet, quia non ita senserit? Quid ergo sibi uult hoc loco illa, quam introduxit, distinctio inter esse legem dei & dici? At confitetur hic auctor, Moysem quidem, deo uolente, & inspirante, locutum fuisse, quod fortasse negabat Ptolemæus, non tamen ut Prophetam locutum esse, vt quidem locutus sit Adam, sed ex potestate, ut legislatorem, & idcirco legem Moysis non esse proprie legem dei. Age, si ita uolente, & inspirante deo, legem repudij, & similes san

xit Moyses, ut eiusmodi inspiratio non ea sit, quæ faciat, ut hæ sint proprie dei leges, quia eas ex potestate tanquam legislator locutus sit, edisserat hic auctor, si potest, quid hactenus differant huiusmodi leges Moysis a bonis, & iusti, legibus Iustiniani, aut Leonis, aut aliorum Imperatorum. Horum enim iustæ leges a deo profectæ sunt, a quo omne datum optimum, & omne donū perfectum descendit, & per quem, sicut ait scriptura, Conditores legunt iusta decernunt. Scilicet hic erat Ptolemæi error, ponere leges Moysis tanquam cuiusdam hominis sua auctoritate legislatoris. Sed nequid prætereamus, uideamus, quale sit, quod sentit, Moysem non ut Prophetam locutum fuisse legem. Quod quidem idem quoque Epiphanius refellere mihi uidetur, siue quia id alij dicerent, siue ne dicerent, hac confutatione cauens. Sic enim statim subiungit. Ac quod lex Moysis, lex quidem dei sit, perspicuum est. In uniuersa autem lege sancit deus, alia quidem in tempora, alia uero ad figuras, postremo alia ad reuelationem futurorum bonorum, quorum exitum post aduentū suū Christus in Euangelio demōstrauit. Hæc ille. Qui ergo Moysem negat locutum esse legem, ut Prophetam, idem negat, aut non fuisse in lege Moysis typos, & figuras futurorum, aut non intellexisse eum Prophetice, & spiritualiter eiusmodi typos, & figuras. Vtrumque uero impium, & blasphemum est. Cum enim Moyses legem dedit de non obligando ore bouis triturantis, an non illā in Spiritu dedit? Prophetice intelligens, hoc Deum per Moysem propter ministros Ecclesię dicere, qui tanquā agri Dominici aratores spiritualia seminant, ut nobis Apostolus interpretatus est? Quo in loco illud etiam obseruandum est, quemadmodum cum dixisset Apostolus scriptum esse in lege Moysis, nō alligabis &c. statim subiunxit, tanquam ea lex proprie esset Dei, nunquid cura est Deo de bobus? Præterea uelamen, quod Moyses ante faciem ponebat, quemadmodum intelligebat Moyses euacuari in Christo, ut idem Apostolus ait, sine Spiritu Prophetiæ? aut quomodo uelamen erat in lege Moysis, nisi aliquid erat in eo uelatum? Vt quidem erat uelata œconomia Christi, purgatio peccatorum, aspersio sanguinis Iesu Christi, cessatio legis, abiectio Synagogæ, & uocatio gentium. Quemadmodum hæc Laudator meus dicat, non esse locutum Moysem, ut Prophetam? quem sancti Patres tradunt edoctum fuisse a Deo, spiritualiter intelligere legem? Quare necesse est, ut eam tulerit, non tanq̄ le-

gislator

gislator unus de uulgo uerba, & formulas tantum præscribens, sed tanquam legislator Propheta, & spiritualis. Vide, quid Apostolus dicat de ijs, quæ Moyses, siue Deus per Moysem sanxit. In priori quidem, inquit, tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consumantes, in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua, & populi ignorantia, hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum uiam, ad huc priore tabernaculo habente statum, quę parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem &c. Aut ergo hoc ignorabat Moyses, quod dicet nemo, aut hęc cum Spiritu Prophetiæ sanxit, & constituit, quod debet concedi. Et paulo post. Neque primum quidem Testamentum, inquit, sine sanguine dedicatum est, lecto .n. omni mandato legis a Moyse uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo ipsum quoquę librum, & omnem populum aspersit, & omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostijs quam istis &c. At quemadmodum de exemplaribus cœlestium sancire aliquid poterat sine spiritu Prophetiæ? aut quemadmodum sine eo intelligere posset, esse illa exemplaria eorum, quæ in ecclesia nostra, quæ est Hierusalem cœlestis, sicut Apostolus ait, facta sunt, & fiunt? Sed fortasse dicet hic auctor, quod Moysem dixit locutum fuisse, non ut prophetam, sed ex potestate, tanquam legislatorem, de libello tantum repudij dixisse, ergo cætera legis Mosaicæ, quę tanquam Propheta locutus est Moyses, concedet quod hactenus negauit Dei esse proprie, quia Spiritu Dei sancita sint. Quamquam libellum etiã repudij Prophetice sanxisse Moysem, ex alia scriptura licet intelligere, vt cum ait Esaias. Hæc dicit Dominus, quis est hic libellus repudij matris uestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui uendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus uestris uenditi estis, & in sceleribus uestris dimisi matrem uestram. Quia ueni, non erat uir &c. Erat itaque ille libellus repudij a Moyse sancitus, typus repudij synagogæ, id quod intelligi quoque potest ex Osea, qui iussu Dei uxorem duxit fornicariam, ex qua filiam suscepit, quam appellauit non misericordiam, ut figura esset, & typica Prophetia synagogæ propter spiritualem

ritualem

ritualem fornicationem repudiandæ, sicut Dominus per eundem Prophetam Oseam dixit. dicite fratribus uestris, populus meus, & sorori uestræ, misericordiam consecuta, iudicate matrem uestram, iudicate, quoniam ipsa non uxor mea, & ego non uir eius. Auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum, ne forte spoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suę. &c. Ergo sicut Apostolus legē sancti coniugij carnalis anagogice, & mystice ad spirituale coniugium Christi, & ecclesiæ referens, sacramentum, inquit, hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in ecclesia, sic dicere liceat de lege illa repudij in Deut. scripta, si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non habuerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua, dicere inquam liceat de hac lege, mysterium esse non paruum in Christo, & in Synagoga, quamquidem repudiauit propter fœditatem spiritualem. Quod si illa repudij lex, spiritualis, est, & in ea cōtinetur κατάλληλος prophetia futuri, sequitur non fuisse uoluntate humana, ut beatus Petrus ait, neque sensu humano allatam, sed Spiritu sancto per Moysem loquente. Sed respondeamus iam ad locum Hieronymi, quem hic auctor citat, sed ut obstruatur (inquit) contumeliosum, & vanum huius hominis os, qui in nobis Spiritum hæreticum intuitus est, audiat beatum Hieronymum ea uerba Domini his uerbis exponentem, nunquid potest Deus sibi esse contrarius, vt aliud ante iusserit, & sententiam suam nouo frangat imperio? non ita sentiendum est, sed Moyses cum uideret propter desiderium secundarum coniugum primas uxores interfici, maluit indulgere discordiam, quàm odia, & homicidia perseuerare. Simulque considera, quòd non dicit, propter duritiam cordis uestri permisit uobis Deus, sed Moyses, ut iuxta Apostolum consilium sit hominis, non imperium Dei. Deinde subiunxit. Hæc ille e diametro destruens huius uiri sententiam &c. Præter missis loci huius conuitijs. Quod ait, me esse in eo intuitum spiritum hæreticum, equidem neq; intuitus sum, ut ille loquitur, neq; adhuc intueor. qui ex Apostolo didici, eum esse hæreticum, qui iam subuersus sit, & suo iudicio damnatus, idest, ut magnus Athanasius in quodam loco interpretatur, qui neque paratus est discere, neque cum didicerit, parere. Laudatorem uero meum, tametsi hoc interdum cum pertinacia defendere uideatur, spero tamen

desiturum

desiturum eum aliquando, facturumque, quod olim sanctissimi, ijdemque sapientissimi Patres facere non dubitarunt, simul atq; ueritatis lucem semel aspexerit, quod me quoque, qui nihil sum, facturum libentissime in priore meo libro ultro promisi, & promitto modo iterum, imo habiturum me ingentes gratias, si quis me errasse aliquādo monuerit. Homo enim sum, & humani a me nihil alienum puto. Vt autem ad Hieronymum redeam, absit, ut in sanctissimo Patre, & ecclesiæ Catholicę Diuino magistro, & Origenis correctore Spiritū Origenis, aut Ptolemæi agnoscam. Tametsi ego non sic sanctorum scripta legenda esse didici, ut Scripturas Canonicas. Illa enim sic esse legenda, vt credam, eorum auctores aliquando errare potuisse, ita vt si quid tandem erroris in eis reperiam, neque mirer, neque continuo auctores ipsos accusare audeam. Huiusmodi est hic locus Hieronymi, qui, vt quod sentio, dicam, mallem sic scriptus esset, ut fortasse erat, simulque considerasset, quòd non dicit; propter duritiam cordis uestri iussit uobis Dominus, sed permisit uobis Moyses, ut iuxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei. Alioqui necesse erit, ut sit apta uerborum consequentia, permissum Dei pro imperio eius accipere, quod nouum est, & inusitatum. Quemadmodum enim nisi ita dicamus, sequeretur, ideo non dixisse propter duritiam cordis uestri permisit uobis Deus, sed permisit Moyses, ut non imperium Dei, sed consilium hominis esset? Deinde quod subiunxit, ut iuxta Apostolum consilium, sit hominis, plane declarat, sic esse hoc loco accipiēdum consilium hominis, idest, Moysis, ut illud in Paulo accipitur, consilium autem do, quod nemo Catholicus dicat non esse consilium Dei. Sic enim Dominus in Euangelio idem de uirginibus consuluit his uerbis, sunt, inquit, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum, deinde subiungit. Qui poterit capere, capiat. Quod enim ait, qui poterit, declarat non esse hoc præceptum, quia arduum & difficile, quod uero ait, capiat, consilium esse. Hoc autem sensisse Hieronymum de huiusmodi permissu, siue consilio Moysis, esse scilicet Dei consilium, dubitarit nemo, qui credat, & sciat consilium Pauli, Dei esse consilium, idque Hieronymum neque ignorasse, neq; negasse, præsertim cum dicat, ut iuxta Paulum, cōsilium sit hominis &c. Quid igitur hic habet Laudator meus, quod quasi iam vicerit, ita triumphet, & me cum risu appellet, heus igitur, inquiēs, bone vir, & pugnator egregie, Quod vero postea addit, repre-

hendere me, quæ uiris sanctis, & doctis, nemine contradicente, scripta sunt, hoc profecto nunquam dixisset, si uel epistolam Ptolemæi ad Floram sororem, & sancti Epiphanij confutationem legere, quod in libro meo satis ad monuisse videbar, uoluisset. Verum neq; legere voluit, neq; curare, utrum Ptolemęus, an Theodorus appellaretur, vt ipse in Apologetico suo appellauit. Sic.n.scripsit. Nunquid in beato Hieronymo spiritum Origenis, aut Theodori hæreticorum agnoscis? Sed ut hunc locum finiam, scripseram in libro meo, sic legem Moysis Dei legem esse, sicuti quod Adam dixit, propter hoc relinquet homo, & quæ sequuntur, Dominus in Euangelio dixisse testaretur. Laudator vero meus, credo, ut adhoc responderet, Moysem cum Adam comparans, illum dixit, ut non Prophetam locutum esse, sed ut legislatorem, Adam vero ut Prophetam, de Moyse satis me puto docuisse, ut legislatorem simul, & Prophetam locutum esse. Superest, ut de Adam rursus admoneam, non solum ut Prophetam locutum esse illud, os nunc ex ossibus meis, & quæ sequuntur, quod Laudator meus confitetur, sed, ut legislatorem huius legis connubialis, quod negare videtur. Hanc.n.legem coniugij Dominus per Adam sanxit, sicuti legē Deuteronomii per Moysem, quod satis ex Euangelio perspici potest, & cum alii Patres tradunt, tum sanctus Asterius Episcopus Amasææ in Homilia de quæstione Phariseorum, utrum liceret, quacunq; causa uxorē dimittere, &c. Interpretans.n.illud quod Adam dixit, os nunc ex ossibus meis, &c. Per vnam personam Adæ, ait, factam esse vniuersis uxoribus a uiris suis promissionem inseparabilis coniugij, quæ tanquam lex esset colenda. Et paulo post. Quemadmodum inquit, uinculum abrumpes lege, & natura alligatus? Et in extremo. Si ergo, inquit, quę sine causa dimissa est, uocet te in iudicium coram iudice, eodemque teste, quid dices? quomodo delebis uocem, quam coram Deo emisisti? cuius scriptor siue notarius fuit Moyses? Hæc ille. Dicat ergo Laudator meus si illius promissionis, ac legis scriptor tantum fuit Moyses, quis fuerit lator eius nisi Adam, siue Deus per Adā? sicut Deus Deuteronomii per Moysem. est igitur locutus Adam vt Propheta, simul etiam ut legislator legis huius. Venio iam ad alium locū, in quo me ait, de cœlibatu, idest de continentia sacri ordinis scripsisse, iuris Diuini esse, contra omnes doctores, & Ecclesiæ sensum, ac diffinitionem, quos vero doctores diceret, deinceps

declarauit, nempe scholasticos, pro quibus ego ueteres sanctos Patres, & grauissimos Scripturæ sanctæ interpretes multos in libro meo de canonibus sextæ synodi citaui, qui hoc traderent, & & affirmarent ut Dionysium Areop. Sixtum. ij. Siritium Innocentium primum, Hieronymum, Ephrem Syrum, Greg. Nyssenum, Epipha. Eusebium Cæsar, & alios, neque diffinitionem ecclesiæ vllam contra me recitat. Ego vero præter Patrum testimonia, recitaui in hanc de cœlibatu sententiam concilij Africani decretum sanctissimũ, & clarissimum. Imo neque Canones Pontificios, quos dicit ex. 6. libro Decretalium ullos recitauit, neque recitare potuit. Et quem recitauit ex titulo de voto, & voti redemptione, bona eius pace dicam, non recte, neque ad rem citauit. Neque enim est in eo capite, quod Laudator meus recitat, ex sola Ecclesiæ constitutione inuentum esse insolubile debitum continentiæ in ijs, qui sacros ordines suscipiunt, sed illud, ex sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse voti solennitatem. Quare si solenne votum dirimat matrimonium post contractum, poterit rursus eadem ecclesia cauere, ne dirimat, quia possit, cauere, ne solenne sit. Non tamen continuo sequatur, vt si matrimonium post contractum non dirimitur, votum cõtinentiæ sacri Ordinis soluatur necessario, aut solui possit, quasi non possit esse coniugium, nisi corpora cõiugũ misceãtur, aliud est esse in cõiugio, aliud dare operã liberis. Vt ergo qui sacri ordinis sunt, ab ijs vxoribus, quas ante habebant ut habẽt in Græcia, perpetuo se deinceps continere debent, quod testimonijs Scripturę sanctæ, & sanctorum interpretum, atque auctorum, satis docui, sic Laudator meus cogitare poterat, imo debebat, posse quidem ab ecclesia constitui, vt sacer ordo matrimonium postea contractum, si forte contraheretur aliquando, non dirimeret, non tamen continuo sequi, vt possent misceri, nisi id rursus Scripturæ sanctæ, & sanctorum Patrum testimonijs doceret, atque confirmaret. Verum Laudator meus non videtur hæc duo separare voluisse, matrimonium, & vsum matrimonij, vt nunc loquimur. Adhunc itaque modum, meam, imo Catholicæ ecclesiæ de continentia sacri ordinis sententiam, tametsi ab Apologetico suo alienum erat, refellit, locis Scripturæ sanctæ, & sanctorum Patrum tum interpretationibus, tũ auctoritatibus, deinde summis tribus Pontificibus sanctiss. & sapientiss. Sixto. ij. Innocentio. j. Siritio, postremo synodo Carthagin. ij, & ecclesiasticæ traditiõi scholasticos cũ Thoma,

ma,& Decretalem, vnam tum deprauatam, tum perperam intellectam his verbis opponens. Errauit ergo, inquit, vniuersus scholasticorum cœtus,& beatus Thomas,& paulo post, verum nō solum sanctus Doctor, sed & Pontificij Canones idem asserunt, vt patet in. vj. lib. Decr. sub titulo de Voto, & Voti redemptione &c. Quod si nō hoc solum de cœlibatu, sed alia in libris meis notare aliquando,& refellere voluerit, non querar, sed boni consulam, faciamque non ego, sed gratia Dei mecū, vt id eius studium, & labor cum mihi, tum alijs vtilitatem afferat, & ego eum vicissim simili fortasse studio,& officio remunerabo, idem illi atq; mihi optans, vt inquam, tum ei, tum alijs, vtile id sit. Deinde vt ordine per omnia pergam, multa ex libello suo priore repetit, quæ quidem fere omnia, cum confutarim, siue vt ipse ait, reprehenderim, miror, si se inique reprehensum, & leuiter confutatum putabat, cur non responderit, nisi respondere est, eadem sua iterum recitare, quia scilicet nō omnia ipse in libro meo recitarim, ijs contentus, quę mihi ad refellendum satis esse videbantur. Verum ex his multis a me confutatis, ad illud respōdet, quod refellebā ego, & ipse affirmabat, nempe quæ uariationem, & dubitationem ex emergentibus casibus accipiunt, determinationem esse sapientum. Quare non posse cōstanter dici iuris Diuini esse. Nam quæ proprie, inquit, iuris Diuini sunt, certa sunt,& immutabilia, Hoc ego refellens, ergo neque uota aiebam, neque iuramenta iure Diuino iam sancita erunt, quoniam cadat in ea ætatis, personæ, materiæ,& aliarum qualitatū varietas. Rursus ille ad hoc respondens,& me redarguens, tradit vota,& iuramenta generaliter quidem iuris Diuini esse, sigillatim vero non esse. Deinde subiungit, intelligat ergo, si vult aliquando, multo aliud esse, dicere votum, & iusiurandum sic generaliter acceptū, esse de iure Diuino, quod significat, generaliter Deum probare vota,& iuramenta, velleq; ea seruari, quātum fas fuerit, aliud vero, dicere hoc, vel illud siue votum, siue iuramenrum esse de iure Diuino, ita vt ad cuiusq; voti, vel iuramenti obseruantiam immutabiliter quisque teneatur de iure Diuino &c. Non credo, loquitur Laudator meus de communibus Votis,& iuramentis intelligibilibus, quæ non existunt in rerum natura, sed solum νοητά sunt, quasi Deus legem de ijs sanxisset, quæ in vitam hominis cadere non possunt, perinde enim esset, hoc ac si de homine illo communi neque ex neruis, neque carne neq; ossibus constāte aliquid in Euangelio statui diceremus.

Ergo ſi vota,& iuramenta noſtra generaliter,accepta, eſſe de iure Diuino,eſt Deum probare generaliter vota,& iuramenta,velleque ea ſeruari,quantum fas fuerit,cum hoc idem in ſingulis votis,& iuramentis eueniat, probat enim Dominus prius ſingula vota,& iuramenta,ſi iuſta ſint,& legitima,& ea ſeruari vult, quantum fas eſt,ideſt, quandiu cauſa & ratio ea ſeruandi exiſtat, vbi enim cauſa non hæret,vt ſæpe diximus, vitium non imputatur, erunt ergo ſimiliter iuris Diuini ſingula vota.Cum autem huius, aut illius ſiue voti,ſiue iuramenti ſeruandi cauſa,& ratio non exiſtit,tunc ne ſeruetur,diſpenſat,& ordinat Pontifex,ad quem pertinet,id videre,& iudicare tanquam ad iudicem, & patrem familias in domo Dei,quæ eſt eccleſia.Ponere vero Vota,& iuramẽta generaliter Diuini iuris,ſigillatim autẽ humani,perinde eſt, atq; ſi quis diceret,velle Deum generatim hominem ſaluum fieri,non ſic tamen homines ſigillatim. Sic enim interpretatur hic auctor, vota,& iuramenta eſſe generaliter iuris Diuini,ideſt,Deum generaliter probare vota,& iuramenta, & velle ea ſeruari, quantũ fas fuerit,ſingularia vero non ita,oblitus credo, quod olim ex Ariſtotele didicerat,vniuerſale aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe, non re.n. ſed ratiõe diſtingui inter ſe, quatenus vniuerſale poſterius, & remotius eſt ſingulari,ſingulare aũt prius,& ꝓpinquius vniuerſali.hoc ergo intereſt inter diſpenſationẽ ſingularis, & cõmunis voti cadentis in rem,non autem ſolum intelligentiam,quòd ſcilicet prius,& propinquius diſpẽſatur hoc uotum, poſterius vero, & remotius uotũ,ſicuti Ariſtoteles tradit in phyſicis lib.2.prius, ac propinquius fieri hanc ſtatuam, poſterius vero, & remotius, fieri ſtatuam, ita vt non poſſit, fieri hæc ſtatua, quin fiat ſtatua, cum re idem ſit vtrumque. hoc autem intereſt, quod dixi de ratione prioris & poſterioris. Ex quo ſimiliter intelligere licet, commune, & vniuerſale uotum,aut nihil eſſe, aut ſi aliquid eſt, vt quidem eſt, non eſſe aliud, quàm ſingulare uotum hoc, aut illud. Hoc ſolum inter eſſe, quòd prius & ſenſui propinquius, hoc votum fit, aut diſpenſatur, poſterius vero, & a ſenſu remotius votum. Quare falſum eſt, diſpenſationem cadere in ſingulare votum, & non in vniuerſale, quod perinde eſt,atque diceretur,poſſe ædificari hanc domum,& non ædificari domum.Venio ad aliud, quod in libro meo reprehendit, Scripſeram quietem diei Dominici Canone Apoſtolorum ſancitam fuiſſe,ac proinde lege Diuina, idque ſanctum Anaſtaſium teſtari. Is enim Canonem

recitat in libro, quem ... inscripsit. Meminit prætereа eius Canonis Imperator Leo cognomento sapiens, in nouella 54. quam de quiete huius diei sanxit his uerbis, interpretabor Latine. sancimus (inquit) & nos quod spiritui sancto, & Apostolis ab eo institutis visum est, ut omnes diem illum Diuinum, quo immortalitas nostra renouata est, in quiete, & vacatione operum agitēt ita ut nemo neque agricola, neque alius ullum opus, quod non ad diei festi legem ac ritum pertineat, facere audeat. Etenim si qui olim umbras, & typos in honore habebant, tantæ religioni atque honori sabbatum habebant, ut omnino eo die ab omni opere requiescerent, quemadmodum liceat, eos qui gratiæ, & ueritatis cultores sunt, non illum diem honorare, quem Dominus omni honore affecit? & quo nos a fœdo interitu liberauit? Et paulo post, Quamobrem, & nos edicimus, ut omni mercatura, & agricultura, atque omni opere seruorum, aut ad operas damnatorum intermisso, operam demus Ecclesijs, Deum in hoc potissimum die cognomento Dominico laudibus celebrantes, quia eo die solem iustitiæ splendentem Christiani viderimus. Hæc Leo. At hic auctor contra, inquit, me docuit beatus Thomas, qui ait a constitutione solum Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani loco sabbati successisse, & ideo non esse ita arctā eius obseruantiam. Profecto si sibi ille constare voluisset, respōdere debebat, esto, canone Apostolorum Dominici diei quies sancita esse, non tamen lege Diuina continuo sanciri. Hactenus .n. non distinxerat ius Apostolicum a iure Canonico siue Ecclesiastico, non inquam distinxerat Canones, & præcepta Apostolorum, a legibus, & præceptis Ecclesię humanis, nunc uero uelut distinguens ius Apostolicum a iure Ecclesiastico, & auctorem auctori opponens, contra, inquit, docuit me beatus Thomas, qui ait a constitutione solum Ecclesię, & quæ sequūtur a me iam recitata. Quod vero ait, ideo non esse tam arctam Dominici obseruantiam, quia in Sabbati locum successerit ex Ecclesiæ cōstitutione, & consuetudine populi Christiani, idque ex Thoma didicisse, significare videtur, futuram fuisse magis arctam, si non humano, sed potius iure Diuino sancita esset. Quàm arctā obseruantiam Dominici diei, aut quam laxā ipse ponat, nescio. Ego uero tam arctam esse intelligo, ut qui in eo opus seruile, aut aliquid, ut Græci dicunt, τῶν μὴ νενομισμένων, aut qui uoluntates carnis suæ in eo fecerit, Dominici diei religionem uiolet, rursus

non

dam legem Spiritus, quæ est lex libertatis, idest, Euangelium, interim tanquam paruuli sub pædagogo Moyse, & sub Spiritu seruitutis, in timore maledicti legis, & mortis uiuebant, seruientes multiplicibus, & laboriosis iustitijs litterę, & carnis, ut in Sabbati lege cernitur. At nos, qui per Dei gratiam desiuimus esse paruuli, & reuelata facie, idest, sublato uelamine ex corde per fidem, & aperto nobis Euangelio, speculamur ueritatem, & gloriam Euãgelicæ legis, quæ omnia ad perfectum adduxit, pro illa corporali quiete laboriosissima ueteris, & Mosaici Sabbati iucundissimam quietem corporis, & spiritualem agitamus in Hymnis, & Canticis spiritualibus, & cæteris dei obsequijs festiuis, requiescentes cum magna libertate spiritus, & fiducia ab omni opere seruili, & cum omni tempore, tum eo potissimum, ab omni peccato, perfecte, & spiritualiter Sabbati Mosaici litteram implentes, scilicet manentes apud nosmetipsos, id est diligenter custodientes animas nostras, intenti diuinis rebus, non egredientes de loco nostro, quod est, vt Esaias legem Sabbati spiritualiter interpretãs, ait, auertere pedem a sabbato, ne in eo faciamus uoluntates nostras, & quod Hieremias, ait de lege sabbati carnalis non tollere onus, siue pondus vllum, scilicet manibus, idest, non peccare uoluntarie, neq; conscientias ullo peccato onerare. Ergo ut ad propositum redeam, non hoc Thomas docuit, quod laudator meus docere illum suspicatus est, idcirco non esse tam arctam obseruationem diei Dominici, atque erat sabbati, quia, scilicet lege Ecclesiastica, & non diuina sancita esset, sed potius quia non haberet religio diei Dominici umbram tantum futurorum bonorum Sabbatismi Christiani, atque cœlestis, ut sabbatum Mosaicum, sed potius imaginem, atque speciem ueram ipsius rei, hoc est, uerum cultum in spiritu, & ueram quietem a peccato, in quibus illius sempiterni cultus beatorum spirituum, & cœlestis, atq; perpetuę quietis imago cernitur, imo secundum spem uitæ æternæ, quædam cœlestis sabbatismi populo dei relicti participatio. Est alia quoque specialis ratio Dominici celebrandi Domini resurrectio, de qua non est nunc dicendi tempus. Deinde subiungit, nõ est autem hæc unius beati Thomæ doctrina, sed communis omnium. Fortassis omnes eius ætatis intellexit, ex ueteribus enim neminem citauit testem, neque citare, opinor, potuit. Equidem in cæteris alijs recte a sancto Thoma traditis, quæ innumerabilia sunt, quanto potero studio libentissime sequar, in hoc uero,

antiquis

antiquis patribus relictis, nõ sequar. Venio ad locum de ieiunio quadragesimæ, & 4. temporum, quem ille reprehendens, horum, inquit, constitutionem diuini iuris putat esse etiam contra beatum Thomam. Parum uidetur hic auctor curare, hanc, quam scripsi sententiam, esse sanctorum ueterum Patrum Ambrosij, Hieronymi, Leonis magni, sancti Anastasij Patriarchæ Antiocheni, & aliorum, quos prætereo, usque adeo beati Thomæ sententijs addictus est, ut cæteris anteponendum putet. Quod uero commemorat, disputasse Augustinum aduersus illum, qui ieiunium sabbati de iure diuino esse aiebat, merito quidem disputauit. nulla enim diuina lex est siue scripta, siue non scripta, de ieiunando omni sabbato, ut ille uolebat. Quod autem subiungit Augustinus, ego in Euangelicis, & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod nouum testamentum appellatur, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium, recte. Deinde sequitur, quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto domini, uel Apostolorum non inuenio diffinitum. Verissimũ est hoc quoque de præcepto Domini in Euangelijs, uel Apostolorum in Apostolicis literis, sed Augustinus pręceptum domini, uel Apostolorum sine scripto traditum, prętermisit, quare nihil hactenus contra Augustinum. Quod enim ego de ieiunio quadrangendiali, & 4. temporum, & quartæ, ac sextæ ferię traditum esse dixi, sine scripto traditum est, quod hic etiam auctor de quadragesima his uerbis confitetur. Quod uero, inquit, quidam sancti Patres, ut Ambrosius, dicunt quadragesimæ ieiunium uenisse a Christo, quanquam beatus Hieronymus, & Leo dicant ab apostolis, non negamus, cum dicamus a Christo uenisse, sed per apostolos, nisi quòd semper negat Laudator meus pertinere ad ius diuinum proprie, quod non primum a Christo per se, sed a Christo per Apostolos traditum sit siue scripto, siue sine scripto. Deinde subiungit, Quapropter beatus Ignatius ad Philippenses nõ dixit, quadragesimam a Christo uenisse. Quasi uero si hoc dixisset, non uerum dixisset, quodq; hic idem auctor paulo supra confessus fuerat, Vnde, inquit, admonet beatus Ignatius, non esse ꝑ nihilo habendam quadragesimam, neque audet quasi diuinũ præceptum obijcere, sed quasi Ecclesiasticum. Ad hunc modum probat sancti Ignatij auctoritate, non esse diuinum præceptum, quadragesimam ieiunare, quia scilicet monuerit Ignatius, non contemnere eam, quasi uero non sic in omnibus Christi præceptis

fratres

fratres nostros monere possimus,& soleamus,ne scilicet pro nihilo ha beant Dei præcepta. Prætcrea, quod dixeram de ieiunijs quartæ, & sextæ feriæ Apostolorum canone sancitis, & de causa huius sanctionis, aut iam non ita necessaria, aut variata, & cõ mutata, & quemadmodum qui ijs diebus non ieiunat, ius Diuinum non violaret, nisi vbi ea consuetudo religio esset, ut in Ecclesijs orientis, hoc inquam sic ille refellit, quod statutum quis, inquit, nunc seruat? Ego vero dixeram vbi, & cur seruaretur, item ubi, & cur non seruaretur. Deinde sequitur. Quale ergo esset illud ius Diuinum, quod ita euacuaretur, & disperiret? & hic honor est, quem defensor iste Diuini iuris, tribuit Diuino iuri, censor, & explosor nouitatum verborum? Hæc uehçmẽs, & ualida illius confutatio. Deinde reprehendit me, quia ita laxe, ut ipse loquitur, accipio ius Diuinum, ut ad illud Apostolorum Canones referam. Ego illum rursus non puto probandum, qui ita anguste ius Diuinum accipiendum credat, ut ad illud manda ta, & sanctiones Apostolorum pertinere neget, & ita laxe ius Ec clesiasticum accipiat, ut ad illud mandata Christi per Apostolos data referre non dubitet, affirmans, non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate, atq; illa, quæ per se Christus mandauit, qđ satis, quantum opinor, dogma impium, & profanum esse demõ strani, in quod, necesse est, incidat, quicunq; ius Apostolicum ab ecclesiastico, eodemq; humano, nolit distinguere, ut Laudator meus facit, qui non dubitat asseuerare, nullum scriptorẽ esse, qui non sic ius Diuinum ab Ecclesiastico separarit, ut ipse separat, ac distinguit. Quod uero dixeram, tametsi notanda, ac distinguenda essent, quæ sunt a Christo, & quæ ab Apostolis trã dita, quæ scripto, & quæ sine scripto, tamen non esse ex his po nenda alia iuris Diuini, alia non Diuini, quia idem Deus sit, qui il la siue per se, siue per Apostolos, siue scripto, siue sine scripto san xerit. Hæc ille refellens, transibit, inquit, ius Diuinum ad ius oẽ ciuile, quia hoc idem Deus sanxit, licet per homines, sicut scriptum est, per me Reges regnant. & conditores legum iusta decernunt. Responderam ego in libro meo priore ad rationẽ hãc & quod respondi, refellere debuit, si potuit, aut saltem quod nõ plura in eo loco contra dixissent, reprehendere. Ergo hæc mea illic: Neque vero qui hoc dicit, idem, ut isti fingunt, iura Ecclesiastica, & ciuilia; iura Diuina esse dicat, quia eius afflatu condi ta sint, & scripta, qui dixit per me Reges regnat. & conditores le

gum iusta decernunt, cum nemo eiusmodi legislatorum certus esset, dum iura ciuilia describeret, quod Spiritus sanctus per eú loqueretur, ut erat Paulus Apostolus, neque quisquam eorũ túc dicere potuit, in se loqui Christum, &c. At negat hoc Laudator meus, & fortasse suspicatur, sic Deum in Iustiniano iustã legem de parricidis, aut furibus condente locutũ esse, ut in Paulo legem scribere de cohabitationę fidelis cum infideli consentiente, & sic Deum per Iustinianũ, aut Leonem cognomento sapientem leges dedisse, ut per Apostolum Paulum, aut alios Apostolos. Deinde quasi mecum dissentirem, & tamen, inquit, pagina 19. ipse idem ait, potestatem spiritualem a Deo legibus Diuinis constitui, secularem uero legibus humanis, cum Deus, & potestatum & legũ humanarũ auctor sit. Verissimum est, quod túc dixi, imo dixit magnus Basilius, potestatem spiritualem a Deo Diuinis legibus constitui, & saecularem legibus humanis, item Deum esse potestatum, & legum humanarum auctorem. Verum vt errare uidetur Laudator meus, fortasse suspicans, eodem modo esse Deum auctorem potestatis spiritualis, & saecularis, sic etiam errare uideatur, existimans, eodem modo esse auctorem legis Diuinae siue Apostolicae, & humanae tum Ecclesiasticae, tum saecularis, neq; distinguens ministros verbi a non ministris. Deinde subiungit, uult ergo, pari modo non solui Ecclesiasticum ius, quod per Apostolos sancitum fuit, quemadmodũ ius Diuinũ, quod ore Dei habetur expressum, non soluitur. Rursus dicã ego, imo ipse nulla ratione, aut modo vult ius Apostolicũ beati Pauli a iure Ecclesiastico B. Clementis, aut alterius Põtificis distinguere, utrũque ponens eiusdem gradus in robore, & firmitate. Hoc vero, quod reprehẽdit, hac ualidissima rõne refellit, subiungens, hanc vero doctrinam, quam sit Catholica, docti iudicent, Ego, inquit, miror, quicunq; permiserũt tã crassos errores ędi in publicũ, p̃sertim si sciebant, hoc illi Romae non licuisse, sed tulisse repulsam cum tamen id maxima ambitione, & modis omnibus requireret. Haec ille. Ipse doctos constituit huius meae doctrinae iudices, ego vero etiam Reuerendiss. inquisitores appello, & per extremum, idemque horribile Dei iudicium obtestor, ut mea hęc & quę illę tradit, qualia sint, diiudicent, ne dissimularint, personam accepisse videantur, & fortasse peccatis, atq; erroribus alienis cõicare, ac publici scandali tum hoc tpe, tum multis postea saeculis, uel contẽptores, uel adiutores esse, obtestor inquã, ut cũ

alia,

alia,tũ hæc in primis iudicent,quæ inter cætera Laudatoris mei, maioris scandali,& erroris plena esse uidebantur, ut Residẽtiam Episcoporum non esse iuris diuini, neque quæ in Euangelica parabola boni pastoris continentur,nostris pastoribus pręcipi. Episcopos non fieri primum,& immediate a deo. Mandata Christi, & mandata Pauli apostoli Iesu Christi non esse eiusdem gradus in robore,& firmitate. Legem Moysis non esse proprie legẽ dei, ac proinde habere scripturam Canonicã ex diuinis, & humanis præceptis epiplocem,siue connexionem. Non esse proprie iuris diuini,idest in Euangelio non contineri,quæ non clare,& prompte ex eo eliciantur. Item eligi Pontificẽm,non esse aliud, quam ostendi personam, cui sit auctoritas, & potestas Pontificalis a deo tribuenda,sicut cum plebs olim Episcopos eligebat.Iam uero quod iterum suspicatur nõ licuisse mihi Romæ librum meum publicare; quasi improbatum, respondi satis, in principio, cum ad proœmium Apologetici illius responderem, cui loco credo, me satisfecisse. Deinde perorare uolens, superest igitur, inquit, vt omissis, quæ falso, aut inaniter differit, & effutit, cum iam illius fundamenta destruxerim &c. Quemadmodum destruxerit,rationibus ne,& argumentis,an potius conuitijs,ipse uiderit, imo potius quia ipse uidere fortasse non uult, uos iudices uidebitis.Postea rem paucis,ut idem ait, perstringens, concludit, si proprie accipiamus ius diuinum, quod uerbo domini expresso prolatum est,aut inde clara,& prompta sequela deducitur, perspicuum est, modum Residentiæ Episcoporum non esse de iure diuino,quia circa hoc nihil,inquit, habetur expresse determinatum a iure diuino, addere debuit, neque ex eo clare, & prompte deducitur,sic enim ipse ius diuinum diffinierat. Sed quid, si non clare,& prompte,sed obscure, & difficile deducatur, deducatur tamen? an ideo iuris diuini desierit esse? certe ut nunc proprie ius diuinum diffinit, necesse est, dicat, non contineri proprie in Euangelio,quæ non clare,& prompte ex eo eliciantur, quod est Luteranorum dogma, deniq; hoc est, quod ille,vt ab amicis audio,iactare frequenter solet, non conuenire inter nos de diffinitione proprie iuris diuini.Fateor,non cõuenire, imo neq; posse, quandiu non erunt eadem nobis in Euangelio æque clara,& prõpta,& rursus eadem æque obscura,& difficilia. Hæc.n.est altera diffinitionis suæ pars,aut quod inde, idest, ex uerbo domini expresso clara,& prompta sequela deducitur.Quare cũ nõ sit idem

ęque clarum,& expeditum omnibus,imo neque eidem omnibus horis,fiet,ut nihil sit diuino iure incertius,inconstantius,& mutabilius,liceatq; illius fines humani ingenij facilitate,& difficultate metiri. Melius dixisset,aut inde necessaria consequentia deducitur,ut alij discere solent, imo idem in priore libro dixerat, quoniam necessitas consequentię non capiat mutationem,neq; mutabilis sit,sed perpetua,& semper eadem,at non ita illud clarum, & promptum sequelæ. Quis enim nescit obscuram, & difficilem esse scripturam? opusq; esse,scire,ex quibus eam didicerimus,sicut Apostolus ad Timotheum scripsit, & uidere, quid audiamus, sicut dominus apud Marcum locuturus parabolas, Discipulos admonuit,inquiens,videte,quid audiatis,denique opus esse,accipere intellectum a domino,sicut Apostolus ait,intellige, quæ dico,dabit enim tibi dominus intellectum.Quæ cum in Laudatore meo erunt, si iam fortasse non sunt, facile spero, intelliget tunc, quod modo negat,quia ei non sit clarum, & promptum. Interim mirari non desino, si quæ de parabola boni pastoris attuli, non ei probabantur,cur nihil respondit, tum ad eam parabolam, & ad eius parabolæ explanationem; tum etiam ad rationem, qua probaui non admonitionem, ut hic auctor uolebat, sed præceptum nostris pastoribus in ea contineri,neque solum ad Christū, sed ad nostrarum quoque ecclesiarū pastores pertinere. Deniq; cum ego præsentiam pastorum in suo cuiusque ouili cum ex alijs locis scripturæ sanctæ, tum ex epistola Petri prima; & sermone Pauli ad Ephesios presbyteros in illis Euangelicę parabolæ uerbis uocandi nominatim oues,& ante eas eundi contineri,& inde necessario concludi probarim,si hæc mea ratio,& explanatio nō ei probabatur,profecto contrarijs rationibus,& scripturæ sanctæ locis,& auctoritatibus refellere debuit,si potuit, si uero non potuit,neq, potest,cum iterum tamen scribat, de Residētia nihil haberi expresse determinatum a iure diuino quid aliud est, quā dicere ut sæpe dixi,quod scripsi,scripsi? Iam ad locum ex prouerbijs Salamonis de cura,& studio ouium rationalium,in quo,uerbo [Greek] secundum consuetudinem scripturæ sanctæ,& 70.interpretationem Residentia pastorum expressa esse uidebatur, nihil aliud respondit,nisi deridendum est istud,inquit,quod ille inculcat de præcepto Salomonis,agnosce uultum pecoris tui,ut probet assiduam,& personalem Episcopi residentiā. Deinde subiungit, Impediunt enim illum sæpe generalia concilia, quæ interdū

integros,

integros,& multos annos abſorbent. quod & nunc uidemus,im pediebant,& concilia prouincialia,impediunt legationes,impedire etiam poſſunt tyrannides aliquorum Principum, quis ergo tunc requirat perſonalem Reſidentiam? Reſponderā ego ad huc locum non uno in loco prioris mei libri, ſed Laudator meus, cū quę reſpondi, confutare non poſſet, ſua repetit, ne nihil dicat aliud,ut ſæpe dixi, & dicam ſæpius, niſi tritum illud, quod ſcripſi, ſcripſi. Ergo præceptum de perpetua Reſidentia paſtorum nullis cauſis præſentiæ,aut abſentię cōſideratis, de præſentia corporis ſecundum literam tantum accipiendum eſſe putauit,de quo ego pagina.33.ſic ſcripſeram,ut Theſſalonicenſibus,& per eos nobis omnibus præcepit Apoſtolus,ſine intermiſsione orare,& Coloſſen. orationi inſtare, imo dominus in Euangelio, ſemper orare, & nunquam deficere, ſic credo præceptum eſſe paſtoribus, ſemper, & perpetuo reſidere, atque ut illud impleri poſſe, ſimiliter hoc poſſe,poſſe uero illud,ſi quicquid fiat, in laudem Dei fiat, ſicut Apoſtolus ait,ſimiliter iudicandum eſſe,ſemper adeſſe in eccleſia,atq; diœceſe ſua epiſcopum, quoties propter magnā eius utilitatem,aut præcipuam aliquam œconomiam ſpiritualem ad tēpus abeſſe,neceſſe eſt. Vt.n.uniuerſa uita hominis religioſi, ac deum timētis, & eum in oībus,& per omnia laudantis perpetua quædam oratio eſt,ſic utilis,ac neceſſaria paſtoris propter oues ſuas abſentia ad tempus breue,aut non ita lōgum,præſentia quædam. Et rurſus pag.43. ſcripſeram præcipere Petrum principem Apſorū cunctis paſtoribus formā,& exemplū gregis in doctrina .ſ.& vita fieri, ad quod tametſi præſentia paſtoris neceſſaria eſse videatur, tamē cum ad vtilitatē gregis non mediocrem abſentia paſtoris ſpectat,cum.ſ.magnopere intereſt eccleſiæ,ad tēpus breue,aut non ita multū abeſse,non quidē dicendū eſt,ſolutum eſse, tunc Epiſcopū,aut paſtorē lege diuina de præſentia eius in diœceſe ſua,aut ouili ſuo, ſed potius non eſse interpretandam, atq; cenſendam abſentiam huiuſmodi,ſed præſentiam. Neque.n.accipiendum eſt ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritū hoc præceptum de Reſidentia perpetua, ſicuti neq; præceptum de ſemper orando. Sæpe itaque admonui in priore meo libro, cauſas mandatorum conſiderare. Vbi enim cauſa non hæret, uitium non imputatur. Neque enim ſemper in literam,ſed in ſpiritum aſpiciendum eſse. Ergo cum Concilia habentur, & abeſse paſtoribus neceſſe eſt, aut cum legationis breui obeundæ neceſsitas incur-

rit,

rit,non est solutio præcepti de Residentia,sed œconomia.Minor. enim causa præsentiæ maiori causæ absentiæ cedit. Iam si tyrannus adesse prohibeat,multo minus præceptum de Residentia vio lari videtur.Præterea,quod ait hic auctor, posse accidere casus, de quibus dubitari possit etiam inter sapientes, vtrum personalem Residentiam episcopi excusent, cum sint hincinde rationes, has ergo determinationes Dominus reliquit Ecclesiæ; & pastori vniuersali.&c. Et si vera hæc sint,errat tamen qui suspicatur, inde effici,vt non sit iuris Diuini Residentia,quæ cum causam habeat, ubi illa cesserit ad tempus breue maiori utilitati, non est solutio pręcepti,sed œconomia,'& dispensatio, sicuti in uotis, quæ quidem persoluere generatim,& sigillatim Diuini iuris est. Esto determinationes causarum,ac dispensationes generatim,& sigillatim ad Pontificem pertineant,vtsupra dixi. Venio iam ad extremum locum,in quo,audi(inquit)bone lector,vt rideas,cum nō posset hic reprehensor noster aliter respondere, & tueri propheticam suam sententiam,videlicet personalem,& assiduam episcoporum Residentiam de iure Diuino requiri, hac noua stropha usus est,esse præsentem episcopum,inquit, duplici modo potest intelligi,vno modo corporaliter, alio modo spiritualiter ,iuxta doctrinam beati Pauli,qui dixit,absens quidem corpore,præsens autem Spiritu,ita tandem ut sufficiat personalis Residentia secundum spiritum,ut saluū sit ius Diuinum,quod exigat personalem, & assiduam Residentiam &c. Hactenus ille. Semper uidetur hic auctor uelle,nullum pręceptum Diuinum ex causa pendere, aut si,aliquod putat pendere,ut fortasse præceptum de non iurando, & de uoto soluendo,& alia huiusmodi,profecto cum causa pręcepti non existit, aut certe cedit maiori, vitium non imputatur. Quemadmodum ergo non cogitauit præceptum Diuinū de Residentia perpetua unum ex illorum numero posse esse quod scilicet non secundum literam tantum intelligi debeat,sed secundum Spiritum? Illud enim literam occidere,Spiritum autem uiuificare,non tantum in uetere Testamento, sed interdum in nouo locum habere,docuit magnus Athanasius, ut in priore meo libro memini. Recitabo ergo quæ tunc scripsi, quæ quidem Laudator meus stilo suo in longe aliam formam dictiōis uertit,sententiam meam non recte explicans.Sic itaque aiebam pag. 29. Qui enim non potest ad tempus adesse, siue propter magnam utilitatem ecclesiæ suæ,aut aliarum,siue propter præcipuam aliquam œco-

nomiam

nomiam ſpiritualem,ſiue aliam neceſſitatẽ, quæ uitari aliter non poſſit commode, is profectò non abeſſe, ſed adeſſe iudicandus eſt, abſens quidem corpore, præſens autem Spiritu. Et pagi.44. loquens de Timotheo Epheſi epiſcopo, qui ad breue tempus a diœceſe ſua abfuiſſe uidebatur, ſic ſcripſeram, Non eſt, inquam, interpretãdus abfuiſſe, cuius abſencia tam utilis erat, & neceſſaria ad ędificationem ſuæ, & aliarum eccleſiarum, ſed præſens fuiſſe, neque violaſſe pręceptum Dei de aſſidua, atque adeo perpetua paſtoris Reſidentia, ſed ſeruaſſe potius. Vbicunque enim ab epiſcopo per abſentiam ſuam eccleſiæ ſuæ utilitas agitur, ibi quodammodo eccleſia eius adeſt. Idem dico, cum neceſſe eſt ad aliarum Eccleſiarum utilitatem, non ita diu abeſſe. Eiuſmodi enim abſentia utilis quoque Eccleſiæ ſuæ eſt, dum ſic etiam forma gregis ſui factus Epiſcopus in charitate eum ædificat, docens iuuandos eſſe omnes fratres in Chriſto, & omnes eccleſias in unũ vno Spiritu copulari. Si vero abſentia ad tempus eccleſiam, aut eccleſias non ædificat, nam perpetua nulla poteſt, ut ante dixi, non eſſe eccleſiæ propriæ incommoda, & peſtifera, tunc omnino abeſſe cenſedus eſt. Quę quidem abſentia ſcelerata eſt, & perfidiæ plena, atque charitatis inimica. Hæc mea. Ille uero poſtquam in formam ſtili ſui uertit, non rectè, ut dixi, ſententia mea explicata, ut ex comparatione perſpici poteſt, ſubiunxit, Argutum profectò, tametſi nouum cõmentum, & a nemine ante excogitatum, neq; ullum magis efficax contra perſonalem epiſcoporũ Reſidẽtiam. Qui.n. perſonaliter reſidere, & corpore præſentes eſſe minime curabunt, facile huius tanti doctoris ex Prophetico ſpiritu pronuntiantis auctoritate freti, illud Apoſtoli dictum uſurpabunt, & dicent, abſentes quidem corpore, præſentes autem ſpiritu, & illudetur tandem Reſidentiæ obligatio. Hæc ille. Non poſſum, ita me Deus amet, non mirari, quòd homo alioqui ſapiens, ac in literis ſanctis multum, diuque exercitatus, & meis legendis, & ſuis ſcribendis ita pręceps ferretur, ut arripiens aliquid mei libri ad refellendum, neq; antecedentia, neq; conſeqnẽtia cerneret. Sic.n. ego ſcripſerã Qui.n. nõ poteſt ad tẽpus adeſſe ſiue propter magnam utilitatem eccleſiæ ſuæ, aut aliarũ, aut propter præcipuã aliquam œconomiam ſpiritualem, aut aliquam aliam neceſſitatem, quæ vitari aliter non poſſit commode, is profectò non abeſſe, ſed adeſſe iudicandus eſt, abſens quidem corpore, præſens autem ſpiritu. Itaque ad præſentiam ſpiritus cum abſentia corporis ad breue

tempus

tempus adiunxi magnam ecclesiæ vtilitatem, aut præcipuam aliquam œconomiam spiritualem, aut aliam necessitatem, quæ vitari aliter non posset commode, vt adhunc modum censeri posset tūc absens quidem corpore, præsens autem spiritu. At meus Laudator longe ab hac sententia discedens, qui, inquit, non curabunt personaliter residere, & corpore præsentes esse, facile hoc dictum Apostoli usurpabunt, corpore quidem absentes, spiritu autem præsentes. Quasi hoc solum satis ego esse dixissem, abesse quidem corpore, & utcunque præsentem esse spiritu, quod quidem facile assequi posset, quicunque personaliter residere, & corpore præsens esse, minus curaret, ac non potius adiunxissem propter magnam utilitatem ecclesiæ, aut præcipuam aliquam œconomiam spiritualem, aut aliam necessitatem, quæ uitari aliter non posset commode. Clare itaque admonui, idque non uno in loco, præceptum Diuinum Residentiæ perpetuæ non secundum literam solum occidentem, sed spiritualiter, consideratis causis diiudicandum esse, ut pleraque alia diuina mandata, quæ ex causis quoque penderent. Peruenimus tandem ad perorationem Apologetici Laudatoris, mei, in quo ille zelo inflammatus, cum obsecratione, & obtestatione postulat, ne tales libros, qualem meum esse dicit, in publicum emitti permittant, qui iudicio librorum publicandorum præsunt, unde, inquit, contentiones, & conuitia, & turbæ in ecclesia Dei emergunt. Emerserunt quidem conuitia, at non ex libro meo, sed ex corde ipsius. Cum itaque orare, & obsecrare se ait, ut tales libri non permittantur publicari, unde contentiones conuitia, & turbæ emergunt, profecto se, suosque libellos huiusmodi prohiberi postulat, unde tanta conuitiorum silua igne linguæ incensa exierit, in meo autem Antapologetico nullum per gratiam Dei conuitium est, nisi conuitium forte putetur, cum ad communem fratrum utilitatem erranti dicitur, erras, & ei, qui cecidisse creditur, cœnum est tetrum, in quod cecidisse uideris. Præterea, nihil me ad contentionem scripsisse, satis demonstrat prioris mei libri peroratio. Cum enim Laudatorem meum ad retractationem hortans, meminissem, quod Leo magnus dixerat, tunc optime ueritatem defendi, cum opinio falsa a suis auctoribus damnaretur, adiunxi idem me omnium minimum facturum polliceor, si quid hic, aut ubicunque alias, & a quocunque errasse admonebor, imo habiturum me illi maximas gratias. Ego enim omnes ab errore uiæ suæ, sicut me ipsum, liberatos cupio,

ut lex

vt lex charitatis præscribit, quę non æmulatur, non perperam agit, non inflatur, congaudet ueritati, quæ omnia sustinet, omnia sperat, &c. Postremo, quod promittit, se non amplius responsurum, sed furori potius cessurum, furiosum.n.me solet appellare, hoc ego non promitto. Nescit.n.cedere ueritas, tanta eius vis est, quæ, ut sapiens ille in Esdra dixit, super omnia est. Pro hac SALVTATE vsque ad extremum uitæ meæ constanter certabo in Christo domino ueritatis, cũ quo, & per quem Deus Pater una cum sancto utriusque Spiritu regnat in sæcula sęculorum. Amen.

Excerpta ex literis ad Reuerendum Patrem Magistrum Sacri Palatij missis.

CVM ad eum locum responderem, in quo Laudator meus meum de Residentia librum Romæ reiectum fuisse ab iis aiebat, qui probandi libros, antequam ederentur, curam haberent; promisi additurum me adhuc Antapologeticum exempla literarum, quas ad Reuerendum Patrem Hieronymum Mozarellum Sacri palatij Magistrum miseram, ex quibus intelligi posset, quid illi in meo libro nõ probaretur; quod quidem nihil eorum esset, de quibus mihi cum Laudatore meo non conueniret. Descripsi autem non totas literas, ne longior essem, sed tantum, quod ad rem faciebat, quodque idem sacri Palatii Magister cũ literis meis, si eas adhuc seruat, recognoscere poterit, & recognitione experiri, utrum sint hæc fideliter descripta. Ergo quia non patiebatur, ut dicerem Pontificem non proprie, & principaliter facere Episcopos, quia, scilicet, in eadem sententia, ut aiebat, accipi posset, quasi diceretur Pontifex improprie facere Episcopos, neq; rursus sineret ob eandem rationem paulum mutata forma dicere, Pontificem non facere sua propria, & principali potestate Episcopos, ego adhunc locum, & ad cętera, quæ illi non probabantur, respondens, & ad tollendam omnem seu fus falsi suspicionem loca libri manu mea scripti notans, & indicans sic in meis ad eum literis scripsi.

Fol. 2. pag. 1. sic scripsi, homo de potestate sua propria non promit gratiam, siue charisma, quod dispensat, sed potius quod alterius est ministrat. Qui contra dicit, cum Scriptura sancta pugnat, quæ docet dispensationem gratię hominibus mysteriorũ

ITERVM in alijs meis ad eundem Magistrum sacri Palatij literis approbationem libri mei ad publicandum efflagitans, & quæ ille improbabat, defendens sic scripsi. Quia quod in libro meo scripseram, Pontifex nō facit proprie episcopos ad sensum reprehensibilem trahi posse, aiebas, libenter propter fastidiosas aures deleui. Pro eo vero, quod deleui, reliqui scriptum, Pontifex nō facit sua propria, & principali potestate episcopos, sed Deus, quod Catholicum est, & omni occasione erroris, & ansa calumniæ omnino caret. Delere hoc non possum, neque uolo, quia hoc scire, & sic credere, atque profiteri, necessarium est, scilicet potestatem dispensandi mysteria, & charismata, cuiusmodi est ordinatio episcopi, non esse ministri propriam, sed Domini nostri Iesu Christi. Neque enim in nomine suo proprio homo baptizat, neque ordinat, neque aliud quid Canonicum in ecclesia facit, sed in nomine Christi, qui dedit gratiam dispensationis. Antichristus est, qui ueniet in nomine suo, siue proprio, qui etiam potestate, & auctoritate sua faciet signa mendacia. Dicam iterum, potestatem creandi episcopos, & cætera mysteria dispensandi neque Petri, neque successorum fuisse propriam, sed Dei tanquam Domini, Pontifici vero commissam tanquam ministro. Respondi etiam in eadem epistola ad illud de uerbo profani, & ad locum de Cardinalibus, Hæc enim tria erant, de quibus ad extremum inter nos non satis conueniebat. Cætera satis, vt sunt mea, & illius Reuerendi Patris conscientia testes, imo etiam duo illi grauissimi uiri, quos in principio Antapologetici mei nominaui. Videat ergo Laudator meus, an ne eorum aliquid, quæ in libro eius corrigenda esse putaui, Magistro sacri Palatij cōtrouersum, aut mecum ulla ratione dubitatum fuisse, ex his meis ad eundem literis intelligi aut coniici possit, an potius omnia illi probata fuisse, ut fuerunt & quidem cum laudatione. Ecquis dubitat, quin responsurus fuissem, si quid aliud nobis in contentione relictum esset?

Iam, ne hic meus libellus in iussu superioris e manibus euolasse uideatur, & ἀνεπιμελήτως exisse in publicum, & inde fortasse calumniam iterum subeam, approbationem Reuerendi Patris Raphaelis Sannini in haereticam prauitatem inquisitoris literis, & manu eius consignatam describendam hic curaui, ut sicut Apostolus monet, caute ambulemus, non tanquam insipientes, sed tanquam sapientes, quoniam dies mali sunt.

EGO *Frater Raphael Sanninus inquisitor haereticae prauitatis hunc librum perlegi, nec aliquid, quod sit contra ueritatem, nec contra sanctam Ecclesiam Romanam catholicam cõtinere cognoui, sed omnia ad lectorum utilitatem, & animarum salutem pertinentia, & ideo imprimi potest, & debet.*

FINIS.

FRANCISCI TORRENSIS,

DE COMMENDATIONE PERPETVAE ADMINISTRAtionis ecclesiarum uacantium, & De residentia pastorum extra ouilia sua.

AD REVERENDISS. IN CHRISTO PATREM HIERONYMVM SERIPANDVM ARCHIEPISCOPVM Salernitanum.





Bonitate, & prouidentia eius, de quo in sapientia Salomonis scriptum est, quia anias animas, eos, qui errant paulatim arguis, & de quibus peccant, admones, ut relicta malitia credant in te domine, factum est SERIPANDE, ut nuper quidam Reuerendiss. Card timens Deum, & recedens a malo, cum de eo dubitaret, utrum cum ministerio Cardinalatus Romæ apud Pont. obeundo commendatio perpetuę administrationis ecclesiarum uacantium, ut nunc fit, coniuncta esse posset, uelletq; semel eo scrupulo liberari, uoluerit hoc in questione poni, & a theologis disputari coram Reueren. in Christo patre Ioan. Iacobo, Barba Episc. Interamnensi, sacrista Pontificis, et coram Reuerendo in Christo patre Hieronymo Mozarello magistro tunc sacri palatij, nunc autem Archiepisc. Compsano. Disputatum itaq; est non uno, aut altero die, sed pluribus, & a pluribus, e quorum numero me esse uoluerunt. Fuit una omniũ sententia, unus sensus, idem iudicium, nõ posse Reuerendiss. Cardinales habere ecclesias cõmendatas, ut modo habent, (his enim uerbis quæstio fuerat proposita) idq; iure diuino prohiberi, neq; a Pontifice dispensatum tutum esse coram Deo. Quia

uero in unius Reuerendiss. causa & conscientia ceterorum Reuerendiss. causa, & salus conscientiæ agebatur, tametsi essent, qui hoc facere melius possent, & fortasse iam fecerunt, aut facturi sunt, uolui tamen ipse de meo minuto talento solicitus, negotiari illi, cuius est usuram exigere, perscribens omnium nostrum cõmunem sententiam a nobis tunc multa commentatione pertractatam, & acri disputatione conclusam. ut in manus eorum, quorum interest, uenire posset, & quasi disputationi interfuissent, ita legere, & quid conclusum esset, intelligere. Simul etiam, ne testimonium ueritatis taceretur, aut fortasis artificio eius, qui tentare solet, & ab initio in ueritate non stetit, aliquando uel obscuraretur ab aliquo, uel, ut fit sæpe, deprauaretur, ne sicut Apostolus ait, circumueniamur à Satana, non enim cogitationes eius ignoramus, qui omni studio laborat, ne homo ueritatem audiat, quo uiam salutis ignoret, ut sic ignorans omni spe salutis amissa rursus a Deo ignoretur. Libent. r autem tibi SERIPANDE hūc librum dicaui, quòd quæ in eo Pastoribus facienda esse tradimus, ea facis, & doces in Ecclesia Salernitana, ecclesiastico more residens, ad quam ita es a Deo uocatus, ut quanquam a principio pro tua sancta modestia repugnaris, fugere tandem, quin oues eius, quem amabas, pasceres, neque potueris, neque uolueris.

Ergo quia quæstio nobis ad disputandum proposita iam olim ab ecclesia catholica præiudicata esse uidetur, cuius diuinū præiudicim qui sequuntur profecto errare non possunt. dicam prius de hoc præiudicio, quale sit. Secundo loco, unde dictum sit, & ex qua scriptura. Deinde commemorabo uetera quædam exempla ecclesiasticæ, & canonicę commendationis ecclesiarum. Postremo locum dispensationis Pontificalis tractabo. Cum olim ecclesia catholica Romana, idest Pontifex, cum fratribus suis fortasse cooptare uellet in collegium Cardinalium Episcopos, qui magis ecclesiæ catholicæ Romanæ, quàm ecclesijs suis necessarij esse uiderentur, sciret autem non posse esse Cardinales in ministerio Cardinalatus, eosdemq; episcopos ab ecclesijs suis perpetuo absentes, uoluit, ut eorum ecclesiæ uacuæ statim fierent. ne autē contra preceptum Apostoli, & ecclesiasticam regulam necesse esset manus cito imponere, & non probatos prius, in tanto opere, & ministerio episcopatus ministrare, credo, ad sumendum tēpus episcopi idonei deligendi, ecclesias interim nouis Cardinalibus

bus commendatas œconomice relinquebat. Quorsum uero spe ctabat ista ecclesiarũ uacatio si iudicabat ecclesia, posse esse episcopos, & Romę Cardinales? An non est hoc clarissimum ecclesiæ præiudicium, non possę utrumque, quos titulo, & honore nominis statim carere uoluit? At dicent fortasse Reuerendissimi Cardinales non se iam esse episcopos proprios ecclesiarum, sed ecclesias habere commendatas, quare illud quidem non possę, hoc uero posse. Perinde mihi esse uidetur, ac si defendant, posse ab ecclesijs suis perpetuo abesse, quia earũ episcopi appellari desierint. cum in episcopatu hæc duo insit titulus, siue honor nominis, & ministerium, respondeant nobis Reuerẽdissimi, utrum magis ad præsentiam pastoralem eos obliget titulus, & honor nominis, an pastoralis administrationis susceptio? profecto susceptio. titulus enim communis esse potest cum eo etiam, ad quem nihil de onibus pertineat, neque pertinere possit. ut cum ex alijs concilijs perspici potest, tum ex Niceno. c. 8. quo cautum est, ut si quis episcopus, qui Nouatianorum hæresem cœpisset, deinde resipiscere uellet, is honorem tantum nominis retineret, idq́; , si episcopus, qui in locum heretici ordinatus esset, pateretur, ad quem totius gubernationis cura, & ius pertineret.

Præterea qui ecclesias habent commendatas; tametsi earum ecclesiarum episcopi proprij non sint, sunt tamen tanquam proprij episcopi, quos administratores perpetuos appellare uoluerunt, cum uero ecclesia catholica Romana præiudicauit nõ posse esse in ministerio Cardinalatus episcopos proprios ecclesiarum, simul præiudicauit, ne tanquam proprios quidem episcopos posse esse, una enim utriusque præiudicij ratio erat. Sex episcopos Cardinales semper excipio, qui propter uicinitatem ecclesiarũ in ministerio Cardinalatus perpetuo esse possunt, simul & ab ecclesijs suis non abesse. quæ quidem exceptio præiudiciũ quoque ecclesiæ catholicę, de ceteris Cardinalibus non obscure declarat. Hactenus ergo de præiudicio ecclesiæ catholicæ Romanæ. Videamus nunc, vnde illud ductum fuerit, nempe ex scripturis sanctis, quibus sancitam esse præsentiam Pastorum in ecclesijs suis, quia in eo libro, quem nos de residentia Pastorũ scripsimus, satis credo docuimus, feceruntq́; idem alij copiose, & docte, paucis nunc hunc locum attingam, ita tamen paucis, ut hæc pauca instar plurimorum esse possint. Ac primum quidem in prouerbio illo de bono Pastore oues proprias uocante nominatim, eas

emittente,

emittente,& ante eas eunte, quod Dominus in euangelio Ioannis discipulis dixit, clarisime sancitam esse residentiam nemo negare potest, qui credat non solum ad Christum, ut quidam falso suspicati sunt, sed ad nostros pastores prouerbium illud pertinere, ut quidem pertinere beatus Petrus docuit. præcipiens enim Episcopis Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, & Asiæ, pascite, inquit, gregem, qui in uobis est, prouidentes, siue ut græcum uerbum, licet barbare, exprimam, episcopantes uoluntarie secundum Deum. id est, ut Deus fecit, qui nulla mercede alia, nisi quia uoluit, & nos dilexit, pastor noster effectus est, & ut docuit faciendum esse pastoribus. at ubi quæso magis docuit, & præcepit quam apud Ioãnem? & quidem per speciem prouerbij, & parabolæ, quo attentius audiretur. ubi cum doctrinam de bonis pastoribus tradat Christus Deus, qui aliud intellexisse credendus est Petrus, cum præcepit pascere secundum deum, nisi Christi exemplum, & hanc Christi doctrinam? in qua quidem cum positum sit, ut Pastor, si nolit fur esse, & latro, ac tanquam lupus rapax non parcens gregi, per ostium intret, id est pascat in Christo, ac secundum Euangelium salutis, per quod intratur in regnum Dei, proprias oues uocet nominatim, eas emittat, & ante eas uadat, an non satis aperte præsentia Pastoris sancitur? Quemaemodum enim ire potest ante oues pastor, nisi corã eis sit? quid uero sit ire ante oues, idem apost. Petrus interpretari mihi uidetur, cum paulo post Pastoribus præcipit fieri formam gregis, ut iam hoc sit ire ante oues pastores, nempe propositos esse populis ante oculos tanquã picturam quandam uiuam, in quam aspiciant ad imitandum, & tanquam exemplum morum, fidei, ac totius religionis, & cultus Dei. Præterea, idem Petrus, pascite, inquit, gregem, qui in uobis est, non dixit gregem solum, ne fortasse gregem procul remotũ, & absentem intelligerent, sed gregem, inquit, qui in uobis est, id est, inter uos. at quemadmodum potest Pastor esse inter gregẽ, aut grex inter pastores, nisi præsentes sint pastor gregi, & grex pastori? quid iam quæramus uerbum Residentiæ, quod nonnulli importune a nobis exigere solent, ubi habemus præsentię? aut quemadmodum non habet uerbum præsentiæ, qui habet ante, & inter? Deinde Paulus præcipiens presbyteris Ephesijs, attendite, inquit uobis, & uniuerso gregi. atqui attendere, quod melius uerbum gręcum declarat, non conuenit in absentem, sed in præsentem, præcipit autem attendere sibi, id est, sic uitam suam com

ponere,

ponere, ut sit forma uitę aliis, quod est attendere illis. Similiter præcepit Timotheo attendere sibi, & lectioni, ut inquā, quod doceret, id ceu formam quandam bene, ac beate uiuendi uita, & moribus suis exprimeret. ut autem non potest aliquis attendere sibi, nisi sit apud se, sic neque gregi, nisi apud eum fuerit. Ergo esse apud gregem ad attendendum illi, an non satis exprimit præsentiam, siue residentiam, profecto satis, & plus satis exprimit. Ad hæc, ut Moises Deum uidens [illegible], id est, oculis suis, ac facie ad faciem, sicuti erat, desiderabat, cum ab eo rursus audiuit, non uidebit me homo, & uiuet, sic Salomon eodem uerbo usus loquens de pecudibus rationalibus pascendis, cognosce, inquit, [illegible], pecudes tuas, id est facie ad faciem, idq; cum iudicio, ut scilicet scias, qui agni, qui oues, qui hædi, id est, qui infirmi in fide ad assumendum eos, ut Apost. ait, & lacte, atq; herba uiridi, & tenera pascendum. rursus qui firmi, & habentes sensus exercitatos ad discretionem boni, & mali, quibus solidus cibus sit adhibendus, & qui correptione digni. Idcirco subiungit, & applica cor gregibus tuis. non enim satis est præsentem esse pastorem, sed cum iudicio pascere, sicut dominus apud Ezech. promittis, Ego inquit, pascam oues meas cum iudicio. ne autem hoc prouerbium aliter acciperetur, quàm accommodate ad mores, subiunxit Salomon, habes a me dicta honesta ad uitam tuam, & tuorum, quibus praes. Deinde ut solet dominus frequēter alias ex uetere scriptura in nouam transferre aduersus Marcionistas, ne alius Deus ueteris testamēti, & alius noui putetur, sic hoc Salomonis prouerbiū pastoris, & ouiū transtulit in suum euangelium, quod idem dominus admonuit, subiungens, hoc prouerbium dixit illis. Itaq; quod hic in euangelio est, nominatim uocare, nihil aliud esse crediderim, quàm quod Salomon præcepit, cognoscere oues [illegible], id est facie ad faciem, & oculis suis, quod quidem nisi a presente fieri non potest, sicut paulo infra dixit Dominus, Ego cognosco oues meas. quis enim uocet nominatim, modo sit sanæ mentis, aut ne somniet, nisi quos uideat, & ante quos est? & quos cognoscit [illegible]? Deinde si quis pastor extra ouile resideat, huius uocē quemadmodū audiant oues propriæ? & si uocē pastoris extra ouile residētis nō audiunt, quēadmodū intret per ostiū, quod Christus princeps pastorum est, qui animā suā posuit pro ouibus suis? Rursus si per ostiū non intrat, quō saluabit? per me.n. inquit, si quis intrauerit, saluabitur.

Quomodo is pascua sibi inueniet, qui proprias oues non emisit in pascua, nominatim uocans oues, id est, cognoscens, ac uidens eas oculis suis, & ante eas uadens præsens, ut oues eum sequantur tanquam formam gregis? Ergo quia sic oculis uidere, & oues cognoscere perfecte, propria specie, & facie ad faciem necessarium erat pastori secundum dei legem, uoluit ille, qui scripturam usque ad unum iota, & unum apicem reuelauit, ut ab inspiciendo nomen Episcopus haberet, at quemadmodum inspicere poterit, qui absens residet? neq; uero leue est eiusmodi argumentum ex ratione nominis sumptum, imo ex scripturæ sanctæ consuetudine, ipsa, inquit, uocabitur uirago, quia de uiro sumpta est. scilicet qui casum hominis ex æternitate præcognouerat, a uiro uoluit appellari uirginem, quia de uiro sumpta esset, ut sic de suo nomine subiectionis erga uirum admoneretur, hanc enim causam, & rationem subiectionis Paulus interpretatus est, scribens ad Timotheum, quia Adam, inquit, primus formatus est, deinde Eua. & in alio loco, mulier inquit de uiro, non autem uir ex muliere. sic igitur uoluit deus, ut Episcopus ab inspiciendo dictus, quippe positus, ut præsens uideat, & proxime inspiciat oues, de nomine suo operis, & ministerij sui admonetetur. Idcirco inter ea membra corporis Christi, quod est ecclesia, quæ Apost. enumerat, scribes ad Corinth. ubi alij pedes, alij manus alii oculi, episcopus locū tenet oculorū, quibus inspicit, & unde nomen habet. Vt iam qui extra ouile suum residet, is nō oculorum, sed occipitis potius, aut tergi locum habere uideatur, neq; Episcopus dici mereatur, indignus, inquā, suo nomine, licet ordinem & potestatem habeat. Vt itaq; præceptum est in scriptura mulieri, ut esset sub uiri potestate, & ut subiectionis huius admoneretur, a uiro nomen habuit, sic Episcopo præceptū est, ut oues proprias, aut tanquam proprias inspiciat, unde nomen habet Episcopi, siue inspectoris. & ut illa contra deum, cōtra naturam suam, contra rationem nominis sui à Deo impositi, subiectionis legem uiolet, sic Episcopus contra deum, cōtra naturam pastoris, contra rationem nominis a deo reuelati extra ecclesiam suam resideat. mendacem.n. facit deum, qui nomen a deo datum gerit, & nomini suo non respondet. dicā qđ Apost. an ipsa natura non docet uos, ꝙ inspector quidem si absens residet, ignominia, & præuaricatio eius est? quoniā nomen quidem inspectoris datū est illi in symbolū residentiæ, & præsentiæ

tiæ

tię personalis, ut loquuntur, inspicere enim nō potest, nisi qui co rā habeat quæ inspiciat. Sed rursus fortasse dicent Reuerendiss. Card. nihil iam sibi cum nomine episcopi, neq; cum ratione inspi ciendi, se. n. iam neq; esse, neq; nominari episcopos ecclesiarū uacantium. Docui supra titulum esse propter ministerium, ac resi-dendi quidem necessitatem, & obligantem legem non ex titulo, ac nomine, sed ex opere suscepti ministerij existere, neq; referre nomen sibi detrahere, si uis remaneat, & lex. Quis enim non intelligit contra Dei legem esse, contra œconomiam ecclesiasticā, contra publicum, & uetus ecclesiæ catholicæ præiudicium, contra conscientiæ testimonium, contra salutem ecclesiarum nomine, & titulo episcopi in nomen perpetui administratoris mutato latere uelle? & quas paulisper œconomiæ gratia commendatas ecclesias habere debuerunt, tantisper scilicet dum idoneus Episcopus eligeretur, ut a principio fuerat institutum, easdem perpetuo occupare? Hactenus ergo de ecclesiæ catholicæ præiu dicio, ex scripturis sanctis ducto, non posse Reuerendiss. Cardi nales habere ecclesias commendatas, ut modo habent, sic enim in quæstione positum fuit, idq; iure diuino prohibitum esse, quo enim iure, id est, diuino residentia Pastorum in ecclesijs suis san cita est, & extra eas residentia prohibita, eodem iure prohiberi huiusmodi ecclesiarum commendationem, ut eas modo habent Reuerendissimi commendatas. Sequitur nunc aliqua exempla canonicę, & legitimæ commendationis commemorare, ac pri mum quidem ex registro beati Gregorij Papę, ex illis præsertim epistolis, quas qui non intelligunt, fortasse suspicentur, auctorita te beati Gregorij hmōi commendationes ecclesiarum, ut modo Reuerendiss. Card. habent, posse defendi. Ergo lib. 2. epist. 13. c. 52. ad Agnellum Episcopum Fundi, relatio, inquit, simul & cleri, & populi Terracinæ degentis nos ualde lætificat, quod de tua fraternitate bona testatur. & quia defuncto Petro pontifice suo sibi Cardinalem postulant constitui sacerdotem, eorum uota ne cessaria complenda prouidimus. quatenus & illi se gaudeant impetrasse, quod postulant, & nos concessisse quod expedit, uideamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis, neque in ecclesiā tua est cuiquam habitandi licentia, ideo hac te auctoritate Terracinēsi ecclesiæ Cardinalem constituimus sacerdotem, admonentes, ut ita de animabus populorum illic consistentium Deo protegente debeas esse solicitus, quatenus callidi, peruersique hostis

insidiæ commisso tibi gregi qualibet arte nocere non ualeant, sed solicitudinis tuę grex circumseptus custodia, digni se Pastoris gaudeat meruisse tutamina. in tuis actibus plebi exempla bene uiuendi exiltant, auaritia in te uires non habeat; tua prædicatione, qui litteras nesciunt, quid diuinitus pręcipiatur, agnoscāt, in Dei timore populum, quemadmodum uiuere posit, tui mores instituant, operibus exerce, qđ subiectos doces, & prædicas, actus tui in aliorum correctionem proficiant, in adiutorium sibi uitæ tuæ imitationem assumant; sicq; te in cunctis operibus exhibe, ut scripturam, conscriptionemq; te habeant, quicunq; aut negligit, aut non potest lectione formari. tota igitur mentis intentione ita lucrum animarū deo nostro facere festinato; ut digna te merces ante eius conspectum in die retributionis inueniat. Quicquid uero de prædictæ rebus ecclesiæ, uel eius patrimonio, uel cleri ordinatione, promotioneve, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus solerter, atque canonice facere prouideris, liberam habebis quippe, ut sacerdos proprius modis omnibus facultatem. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinensis ecclesię Cardinalem esse constituimus sacerdotem, ut Fundensis ecclesiæ Pontifex esse nō desinas, neque curam, gubernationemque eius prætereas: quia ita fraternitatem tuam sæpe dictæ Terracinēsi ecclesiæ, sicut præfati sumus, præesse præcipimus, ut antedictæ Fundensis ecclesiæ iura, potestatemve nullo modo subtrahamus. Hæc ad Agnellum Gregorius. Videamus nunc quid hæc commendatio commune habeat cum ea quæ fit Reuerendiss. Cardinalibus. ecclesiam Terracinæ, cuius gubernatio pastoris præsentiā postulabat, Agnello Episcopo commendat, ut eam ecclesiam iure, & lege pastorali præsens regat, ut ex ijs, quæ illi præcipit, perspici potest, & perinde atque esset proprius episcopus Terracinæ, guberneт. erat. n. proprius Fundensis ecclesiæ, in qua propter hostes residere non poterat, Terracinæ uero ut proprius. idcirco. n. ait, de omnibus liberam habebis facultatem quippe, ut sacerdos proprius, nō dixit quippe sacerdos proprius, sed ut sacerdos proprius. neque. n. possunt esse plures episcopi unius loci, neque unus plurium proprius. Reuerendissimis uero Cardinalibus commendantur ecclesiæ, non quidem ut eas regant præsentes, neq; enim ad hoc fiunt Cardinales, quorum ministerium Romæ apud Pontificem est ad ministrandum. Vt enim Pius Papa, dum esset Cardinalis, ad Nicolaum

laum Cardinalem scripsit, Cardinali sola Roma patria est, etiam si apud Indos is natus fuerit, aut recusasse pileum oportuit, aut certe receptum Romæ gestare, & matri omnium sedi consulere. sed potius commendantur, ut eas tanquam episcopi proprij tantisper gubernent, & administrent, dum proprius, & idoneus episcop. deligatur, qui præsens administret ecclesiam, quæ pastoris præsentiam postulat. Commendatio itaq; Reuerendiss. Cardina lib. facta solam Card. appellationem communem habet cum illa Agnelli, quem beatus Greg. Card. sacerdotem appellauit. quod uerbum, & commendationē illi factam qui non intelligunt, neq; distingunt, fortasse ad Reuerendiss. Card. magno errore transferant, existimantes, quia legant apud Greg. Card. sacerdoti cōmēdatam ecclesiam, posse oēs Card. utcunq; commendatas habere, ut modo habent. ergo quos in multis locis rectores nunc uocant, beatus Gre. appellare solet Card. quasi cardinantes, i. regentes, & incardinari dicit pro eo quod est, præpositum esse ad regēdum. itaq; rectores ecclesiarum episcopos, appellare solet Card. episcopos, Card. pontifices, Card. sacerdotes. item rectores parochiarū, Card. presbyteros uocat, quos aliàs quoq; uocat presbyteros parochiales, translato uerbo ab ostio, quod cardine ueluti regitur, & gubernatur. ostium enim est Christus, & euangelium salutis, quo intratur in regnum cœlorum, quod quidem prędicatione, & exemplo uitæ, ac moderato regimine rectores ecclesiarum, & parochiarum suis ouibus aperire debent. Videmus itaque Terracinæ ecclesiam Agnello Episcopo Fundensi commendatam, ut eam pręsens tanquam proprius Episcopus regeret, donec liceret per hostes in priore ecclesia residere. Hæc. n. fuerat causa commendationis factæ, qua sublata, intelligi debet redeundum illi fuisse, idq; beatum Gregorium uoluisse ex alia simili epistola eiusdem libri. c. 25. clarius ad huc perspici potest, si ex similibus similiter iudicandum est. non recitabo totam, ne longum sit, explicabo summatim argumentum. Cum Ioannes Lisitanæ ciuitatis Episcopus residere in ea, quia ab hostibus capta, non posset, præfecit illum beatus Gregor. ecclesiæ Squilacinæ, ita tamen, inquit, ut si ciuitatem ab hostibus captam domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari, ad eam, in qua prius ordinatus es, ecclesiam reuertaris, sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate prematur, in hac, in qua a nobis incardinatus es ecclesia, debeas permanere.

Item

Item eodem lib. c. 7. Paulo Episcopo, quem ciues Neapolitani petierant, ecclesiam Neapolitanam commendat, ut eam præsens gubernet, & administret, quousque, inquit, de ijs, quæ prædicti filij nostri facienda postulant, reuelante domino deliberare possimus. Habemus præterea canonicæ huius & legitimæ commendationis exempla in Petro ipso, & Paulo. auctor est Damasus. Item sanctus Epiphanius, quia inquit, Petrus & Paulus sępe ad alias regiones, & prouincias proficiscebantur, neq; poterat Roma esse absq; Episcopo, idcirco constitutos fuisse Episcopos Romæ, hos autem extitisse Linum, & Cletum. quales uero Episcopos Romæ fuisse eos Petro superstite intelligere debeamus, rursus Damasus, & Ioannes. III. docuerunt, scilicet non Episcopos primos, sed Episcopos adiutores primi episcopi, primus enim non potest esse nisi unus, neque unius loci plures. Cum huiusmodi commendatione crediderim Artemam, aut Tychicum missum Cretam, cum Titum accersiuit Apostolus, ne scilicet ciuitas absque episcopo proprio remaneret. Cum inquit, misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me uenire. Et quid opus erat ad accersendum Titum tantos uiros siue Artemam, siue Tychicum mittere, si tantum accersere uolebat, quod satis iam per eam epistolam, quam scripsit. faciebat? aut certe per alios minores fratres facere poterat, nisi eos mitteret, quos Hippolitus martyr, & sanctus Dorotheus cum de 72. scribunt, in numero eorum fuisse testantur, Artemam quidem Episcopum Lystræ, Tychicum uero Episcopum Colophoniæ, aut Calcedonis, fuerunt enim duo Tychici. Simili dispensatione, & œconomia missum credo Tychicum Ephesum, cũ Timotheum Paulus accersiuit, ut scilicet ecclesiam Ephesi præsens tanquam proprius episcopus tantisper regeret, dum Timotheus proprius Ephesi episcopus rediret. Sic olim ecclesiæ commendabantur non absentibus, sed præsentibus. huiusmodi erãt ecclesiasticæ, canonicæ, & legitimæ commendationes, ne ullo unquam tempore dioecesis sine Episcopo esset aut proprio, aut tanquam proprio nisi œconomice, cum scilicet necesse est, abesse paulisper ad agendum de rebus ad ædificationem necessarijs, quibus conclusis celeriter redeundum sit. Ecclesiam uero uacantem absenti commendare quemadmodum canonicum, & legitimum esse potest? nisi ut sæpe dixi, tãtisper dum proprius episcopus, aut tanquam proprius eligitur, qui uigilet super gregem tanquam rationem redditurus. Quis unquam audiuit, aut

cuius

cuius Reuerendiss. Cardinalis conscientia non reclamat, ecclesiam uacantem absenti perpetuo commendari? cœpit credo, ut in principio dixi, hæc commendatio ecclesiarum uacantium, ut sumeretur tempus idonei episcopi deligendi, fueratq; hæc saluta ris œconomia, & prudens, atque fidelis dispensatio, ne manus cito imponerentur, Fateor, nisi iam depositum abisset in possessionem. Vtinam Reuerendiss. Cardinales, qui ecclesias modo habent perpetuo commendatas, iidem rursus easdem ecclesias alijs auctoritate Pontificis canonice commendarent, qui eas tãquam proprij episcopi, & pastores præsentes regerent siue perpetuo, siue ad tempus, si quando Reuerendiss. Cardinales in ecclesias illas, in quibus fuerunt ordinati, fortasse uellent annuente Pont. secedere. Intellexerat Innocentius. III. quales essent huiusmodi commendationes ecclesiarum, quæ fiunt extra ecclesias residentibus, cum extrauagantem cõdidit, qua digesta inquit, super hoc deliberatione cum fratribus sanctæ Rom. ecclesiæ Cardinalibus omnes, & singulas commendas, & concessiones huiusmodi de cuiuscunque cathedralibus, & alijs ecclesijs, monasterijs, prælaturis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs auctoritate Apostolica penitus reuocamus. causam uero supra exposuerat, quia inquit, occasione cõmendarum, & commissionum huiusmodi in commendatis, & retentis, sicut experientia docuit, ut plurimum diuinus cultus minuitur, & animarum in eis, quibus imminet cura, negligitur. Alia præterea incommoda commemorat Pontifex, sed hoc est maximum omnium, curam animarum ab ijs negligi, quibus reddenda ratio earum est. negligitur autem, quamuis perpetua solicitudine, urantur absentes, quandiu neque resident, neq; residere possunt, cum alijs ecclesijs seruiant, atque ministrent, sicut paulo supra idem Pont. dixerat, cum exposuit quibus personis commendationes ecclesiarum abrogaret, & irritas faceret, personis inquit, cathedralium, & aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum regiminibus præsidentibus. Recte hactenus Pont. Innoc. & satis ecclesiastice, atq; legitime, illud uero minime, quòd Reuerendiss. Cardinales excepit. sed excipiendi causam audi, quia inquit, nobiscum assidue regiminis uniuersalis eccl. patiuntur onera. imo idcirco non erant excipiendi, quia sufficere non poterant alteri oneri ecclesiæ priuatæ, ac singularis, qui tam graue sustinerent uniuersalis. An non abrogauerat commendationes ecclesiarum ijs personis

factas,

factas, quæ alijs ecclesijs præessent, quia scilicet in commendam residere non possent, ac proinde necesse esset animarum curam negligere? at hęc causa in quos magis quàm in Reuerendiss. Cardinales conueniebat? Dixerat quoque idem pontifex, commendationes istas, quas abrogaret, factas fuisse propter improbas petitiones, & importunas instantias. & quis (quæso) nõ intelligat propter eandem causam datam esse Cardinalibus exceptionem? ergo quod Pontifex affirmat, digesta super hoc deliberatione cum fratribus suis S. R. ecclesię Cardinalibus præhabita, cõmendas reuocare, sit ita, concedamus maturitatem deliberationis in hanc partem extrauagantis, in exceptionem uero ne concedamus. Absit, ut disquisitione facta, & ut uerbis utar Pontificum, competenti examinatione adhibita, ac consultatione graui comparata quicquam exeat a Pontifice non canonicum, ecclesiasticum, ac legitimum. Dicam igitur quod magnus Gelasius de absolutione Petri Alexandrini, quæ fingebatur, si Pontificis præcessit assensus, adulationis potius fuit, quam legitimæ sanctionis. similiter de hac exceptione dicere audebo, adulationis, aut improbæ efflagitationis potius fuisse, quàm legitimæ sanctionis. ubi enim causa hæret, uitium imputatur. hæret autem in Reuerendiss. Cardinalibus uel maxime causa reuocandi commendas, uitium ergo fuerit non similiter reuocare. Melius idem Pontifex, cum clericis Rauen. ecclesię episcopum petentibus sanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem, noluit concedere, quia, inquit, Cardinalis pręsentia utilior est non solum Romanæ, sed etiam ecclesiæ generali tam apud Apostolicam sedem, quam apud ecclesiam Rauen. Vnde non immerito præferentes speciali utilitati communem, & minori maiorem, prædictum Cardinalem postulationi uestræ non duximus concedendum. Simile item est, quod Gregorius. XI. fecit Innocentium Pont. fortassis imitatus, cum enim commemoratis innumerabilibus malis absentiæ pastoralis, personalem residentiam seuerissime sanxisset, ad extremum excepit Reuerendiss. Cardinales, & legatos, atque omnes ecclesię Romanæ officiales. sed recitemus sanctionem, ut saltem qualis sit foris residentia, ex huius quoque summi Pont. sententia intelligatur. Summi, inquit, pastoris, qui oues suas adeo ineffabili charitate dilexit, quòd animam suam posuit pro eisdem, uices licet immeriti gerentes aliorum pastorum periculosas negligentias non tolerandas ulterius, cum damnabiliter crescant assidue, ne ipsorum

sanguis

sanguis de manibus nostris requiratur, ex nostri Apostolatus officij debito cogimur increpare, illisq; pœnam temporalem inferre, qui diuinum iudicium non formidant. Sane tacti dolore cordis intrinsecus tacere non possumus nonnullorum Pont. & aliorum in Dei ecclesia prælatorum negligentię culpam grauissimã causatiuam multorum facinorum, & etiam nutritiuam. Ipsi quidem, vt est toti mundo notorium, licet deputati sint super suos greges in pastores, & uigiles, ut illos & a morsibus lupinis custodiant, & de ipsis bonam reddant domino rationem, si tamen mercenarios, quibus non est cura de ouibus, cum animarum lucra non quærant, potius ostendentes adinuentis fictis coloribus a suis se elõgant ecclesijs, & monasterijs, etiam per tempora diuturna sponsas suas quasi viduas relinquendo. ex quo in clero, & populo uitia pullulant, cultus diuinus minuitur, sancta spernuntur, prouenit indeuotio populorum, oriuntur errores, crescunt insolentię, ecclesiasticus status contemnitur, conculcatur libertas ecclesiæ, patitur sæpe detrimentum iustitia, dum proprius iudex non ministrat eandẽ, ac ædificia, & alia bona temporalia collabuntur. ex quibus, & alijs malis innumeris inde prouenientibus strepunt murmurationes filiorum, dum spirituale patrum pabulum non degustant, suscitantur scandala grauia, proh dolor animæ, ad quarum salutem præsides spirituales inuigilare tenentur, euidentibus periculis exponuntur. Nos igitur tot, ac tantis malis, & periculis, opportunis obuiare remedijs affectantes uniuersos, & singulos Patriarcas, Archiepiscopos, Episcopos, Electos, Abbates regulares, Archimandritas, & Præsidentes quoslibet, qui capita quoruncunque ordinum tam exemptorum, quam non exemptorum non mendicantium esse noscuntur, quocunq; nomine censeantur, in uirtute sanctę obedientiæ districtè mandamus omnino recedere, & bona fide ad dioceses, & ecclesias, ac monasteria proficisci. deinde subiungẽs exceptionẽ, exceptis inquit, sanctæ Rom. ecclesiæ Card. ac ẽt Apostolicæ sedis legatis & nũcijs ad partes aliquas per nos missis, ac mittẽdis in posterũ, necnõ nostris, & ecclesiæ Rom. officialibus quos ad hoc duxerimus nominãdos, quæ quidẽ exceptio q̃ sit iniusta ex ijs ipsis incõmodis, & iniurijs absentiæ pastoralis, vel ipsius põtificis testimonio ĩtelligiť, etenim si vera sũt illa mala, quæ absẽtia pastorũ parit, & tã illa est p se ab euãgelio aliena, & discrepãs, quæ tõ psonę, aut q̃ eius dignitas, quodue munus rei naturã,

& Christi legem mutare potest? vt ex scelere ingenti repente exi stat officium? uel facere saltem, ne illicita multum sit absentia? Il lud melius, quod hic quoq; Pont. cōmendationes ecclesiarum non probauit, nisi cum quis in ecclesia cōmendata, & in propria, cui præest, residere potest. Rursus Leo. X. in conc. Later. postquam idem de cæteris pastoribus sanxit, exceptionem dedit Cardinalibus. uerum qualis sit ista exceptio, ex ijs, quę in eodem decreto de card. legatis sancita sunt, intelligi potest, ita. n. subiungit, & cū frequenti, ac quotidiana experientia notum sit prouincijs, ac ci uitatibus propter suorum legatorum de latere absentiam multa sæpius contingere mala, uariaq; non sine Apostolicę sedis pręiu dicio scandala oriri, statuimus, & ordinamus, ut nullis Cardinali bus prouincias, ac ciuitates obtinentibus eas per locū tenentes, aut officiales quocunq; administrare liceat, sed personaliter ipsi pro maiore parte adesse, atq; eas omni uigilātia regere, & gubernare teneantur. & paulo post, qui præmissa omnia, & singula non seruarit, emolumentis quibuscunq; legationis careat, quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata, & instituta fuerunt, ut opportunæ legatorum præsentia populis esset salutaris, nō ut ipsi laborum, & curarum penitus expertes, lucro tantum suo legationis titulo inhiarent. Non permittit Pont. vt Cardinales ab ijs ciuitatibus, uel prouincijs, ad quas ijdem mittuntur legati abesse possint, & quidem iure ac merito, alioqui nullos inde fructus percepturi, & permiserit hoc Cardinalibus Episcopis, ut ab ecclesijs tandiu absint, quandiu uolunt, neq; illis ulli detrimento aut fraudi sit? sed cur ita de legatis? quia, inquit, quotidiana experiētia notū est, prouincijs, & ciuitatibus pp suorū legatorū de latere absentiā, multa sæpius cōtingere mala, uariaq; non sine apostolicæ sedis præiudicio scandala oriri, at ubi hæc mala, & scādala, aut maiora, aut fœdiora, aut etiā Apostolicæ sedi pestilētiora, q̄ in ecclesijs rectore uacuis? quæ harū ecclesia non hæc mala experta est? emolumentis iubet carere Card. legatos absentes, quia inquit, propter hoc antiquitus instituta sunt, vt opportune legatorū præsentia populis esset salutaris, nō ut ipsi laborū, & curarū expertes lucro tantū suo legationis titulo inhiarēt, & quāto aptius, cōueniētiusq; dici potest de emolumētis ecclesiarū, cōstituta illa quidē, & assignata esse Episcopis ac rectoribus earum, ut opportune Episcoporum præsentia ecclesijs esset salutaris, non ut ipsi laborū, curarumq; expertes lucro tantum suo Cardinala-

tus

tus titulo inhiarent? Liceat itaque in hanc Cardinalium exceptionem de ecclesijs per uicarios regendis, & administrandis cum reliquo decreto de legatis tantopere discrepantem usurpare illud idem, quod prius dixi, de quadam sententia Pontificis, quæ illius tempore iactabatur, adulationis potius fuisse, quam legitimæ sanctionis. Quanto uero melius Leo. IIII. is .n. ut est in .3. dec. tit. de clericis non residentibus præsentiam pastoralem sanciens, in synodo, inquit, Anastasius quidam presbyter Cardinalis tituli beati Martini ab omnibus canonice depositus est, eo quòd parrochiam suam per quinque annos contra canonum instituta deseruit. quid igitur si ecclesiam, cuius esset episcopus, deseruisset? melius item synodus Anthiochena nulli data exceptione, si episcopus, inquit, commissum ministerium subire neglexerit, & ire ad ecclesiam sibi commissam recusauerit, cōmunione priuetur, donec coactus suscipiat, aut decernat de eo aliquid perfecta synodus episcoporum. Melius item Agapetus Pontifex, & episcopi Africæ ad eundem Agapetum, illud enim inquiunt, beatitudini tuæ credimus intimandum, fratres aliquantos ex uestro collegio relictis sine causa plebibus suis ad transmarinas nauigare sæpius regiones, hos diutius ecclesia tolerauit excusante eos uiolentia temporis mali, petimus nunc, ut quicunque forsitan episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut cuiuslibet inferioris ordinis clericus sine nostra epistola uenerit, & non approbauerit se pro utilitate sanctarum ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico iudicetur, neque uestra communione dignus existat. Sic episcopi Africę de episcopis, atque adeo de omnibus pastoribus, imo uero de omnibus clericis ab ecclesijs suis absentibus sentiebāt. Sed uideamus quid Agapetus Pont. rescripserit, Illud quoq; inquit. quòd catholicos, qui præsunt, aut militant ecclesiæ, sine sacerdotum suorum literis suscipi a nobis minime debere mandatis, & canonibus est congruum, & disciplinis prodesse iudicamus, ac fidei, quia permanendo in ecclesijs, in quibus militant, & ministerij sui poterunt assiduitate in Dei Saluatoris nostri amore feruescere, & quæ in peruagatione inutilia sunt, uitare. hactenus Agapetus. Quid igitur de ijs qui præsunt dicendum est, si ij, qui non præsunt, sed solum in ecclesia quapiam ordinati sunt, tamen abesse eos ab ecclesijs, ad quas pertinent, tum ab ecclesiastica, & canonica regula alienum est, tum disciplinę morum, & fidei, ac proprio ministerio incommodum? Hinc intelligi potest, ut hoc

obiter adnotem, quid eis respondendum sit, qui existimant, quia non præsint, idest, curam habeant animarum, abesse illis ab ecclesijs, quandiu uelint, licere, idest licere stipendia quidem militaria, & ecclesiastica accipere, militiam uero, ac stationes ecclesiarum deserere. Rursus melius sanctus Gregorius Pont. ut est in eius reg. epistola. 125. Episcopum, qui residere recusabat, in monasterium trudi iussit, ut in ecclesia inquit, sua sacerdotali more resideat, quasi episcopum non residere alienum sit ab episcopi ratione, quicunque ille sit, siue Cardinalis, siue nõ Cardinalis, neminem enim excipit, qui sacedotis, idest episcopi dixit esse bene in ecclesia sua residere. utrunq; enim significauit, cum sacerdotali more residere dixit, residere inquam, & bene residere. Melius item Greg. VII. diligentissimus Pont. qui de sua, ceterorumq; pastorum præsentia, nemine excepto, loquens in Epis. ad omnes episcopos Corcyræ, Scimus inquit, quoniam sine detrimenro, & magno animarum periculo esse non potest, cum illius diligentia, ad quem summa negotiorum, & curæ necessitas præcipue spectat, diu subditis, ac commissis sibi fratribus deest. Melius denique, & constantius, atq; integrius Clemens. V. qui ante 200. annos Andronico Paleologo Imp. similem, ut Innocen. III. quem supra memini extrauagantem condens, & sanciẽs, Reuerendiss. tamen Card. excipiendos esse minime iudicauit. Sed recitemus extrauagantem ut causas non legitimas commendationum intelligamus, tum incommoda earum, & maturitatẽ factæ reuocationis, ut qui causas commẽdationum nostri temporis cum causis illis, & incommoda cum incommodis comparare uoluerit, plane cognoscat faciendum esse hoc præsertim tempore Põtifici nostro, quod Clemens. V. fecit. sane inquit, nos ab ipso nostro promotionis exordio antiquæ notitiæ regum, prælatorum, magnatum, & aliorum nobilium personarum ecclesiasticarum, & secularium memores existẽtes, aliquibus, quia in eorum terris morantes gradum huius promotionis habuimus, tum quia ad eos solitæ amicitiæ spiritualibus affectibus ducebantur, aliquibus uero ex assueta Romanorum liberalitate Pont. quam in suis bonitatibus exercere sunt soliti, uolentes honoris, & liberalitatis affluentia cõplacere, ad eorum importunas tamen, & multiplicatas precum instantias, nonnullis clericis, & personis ecclesiasticis, religiosis, & secularibus, diuersorum ordinum, dignitatũ, conditionũ, & statuũ patriarchales, episcopales ecclesias, & monasteria proprijs destituta pasto-

ta pasto-

ta pastoribus sub commendę, uel custodiæ, seu curæ, uel guardiæ, uel administrationis titulo, nomine, uel uocabulo duximus perpetuo, uel ad certi temporis spatium cõmittendá, Confitetur Pontifex cõmendandi administrationem perpetuam ecclesiarum uacãntium has extitisse causas, gratiam, assiduas petitiones, obsequia, studium largitatis. Vtrum uero nunc istis de causis, an melioribus, & honestioribus ecclesiæ uacãtes commendentur, uiderint Reuerendiss. Cardinales. Pergamus recitare reliqua extrauagantis sanctissimæ, sequitur enim, super his autem, & tales gratias utrum per nos fieri meruissent, uariorũ arduorum negociorum multiplicitate, districtiusq; ad tempus, quo infirmitate satis periculosa nos his diebus uisitauit omnipotens, nequiuimus plenarie cogitare, uerũ indebilitate ipsius ægritudinis cõstituti, & a negociorũ discussione semoti, ad hoc sub diligẽti examine direximus aciem mentis nostræ. Confitetur Pontifex temerè a se fuisse ecclesias uacãtes commendatas, neque licuisse prius per fluctus negociorum, & curarum acrius, & attentius rem uidere, donec per occasionẽ ægritudinis a negocijs requiescens, ac respirans, se totum in huius rei cogitationẽ dedisset. euenit itaq; quod scriptũ est, Dabit uexatio intellectũ, & quia sicut Apostolus ait, cũ corripimur, a domino iudicamur, dicere potuit cum Dauid, a iudicijs tuis intellexi. quid enim sequitur, demũq; perspeximus euidẽter, quòd ecclesiarum, & monasteriorum eorundem cura negligatur, bona & iura dissipantur ipsorum, ac subiectis eis personis, & populis de spiritualitate plurimũ, & tẽporalitate derogatur, redundareq; ad noxã, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipsis, sed Romanæ matri ecclesiæ, quæ disponente domino ipsorum caput fore dignoscitur, maiora tamen pericula formidantur. hæc sunt mala, & grauissima incommoda, quæ Pontifex a Deo, uelut ex ueterno excitatus tandem sensit, & quorum se auctorem, & reum agnoscens, morsu conscientiæ urente, non prius conquieuit, quàm spiritualem medicinam faceret ecclesijs culpa sua ex periculosa, ac graui ægritudine uacationis, & pestiferæ commendationis laborantibus. Credo, cogitauit Pontifex & quidem spiritualiter, ideo se a domino uisitatum, ut proprios pastores constitueret, qui oues proprias uisitarent, sicut per Hieremiam minatus fuerat, Hæc dicit Dominus Israel ad pastores pascentes populũ meum. ecce dispersistis oues meas, & expulistis eas, ecce ego uisitabo super uos secundum mala studia uestra.

Sed

Sed uideamus quid deinceps sequitur. nolentes igitur tot, ac tantis dispendijs ulterius incautum relinquere, sed uolentes potius opportunum, & debitum in hac parte remedium omnes, & singulas commissiones huiusmodi per nos, ut præmittitur, factas quibuscunque, cuiuscunque ordinis, aut status, si etiam sanctæ Rom. ecclesiæ Cardinalibus quocunque modo, uel tempore factæ noscantur, auctoritate apostolica ex nostra certa scientia reuocamus, cassamus, annullamus, & decernimus de cetero, non habere aliquam roboris firmitatem. O beatam Pontificis memoriam, o factum ecclesiastice, o diuinam medicinam omnibus membris corporis Christi, quod est ecclesia adhibitam. neque enim lateribus suis, idest, Reuerendiss. Cardinalibus bonus Pontifex, & fidelis parcendum esse putauit, ut sanaret. O si medicinam hanc fieri uiderimus eidem nunc ægritudini, ac nescio utrũ periculosiori, & fœdiori. O salutarem extrauagantem si quando alias, nũc maxime renouandam. O uos beatos Reuerendissimi, si ut renouet Pontifex, petieritis, & ut debetis, consulueritis, & beatum Pontificem, si uos audierit, aut etiam uobis tacentibus, si tacere uolueritis, perfecerit. Vt cum apparuerit princeps pastorũ Christus immarcessibilem gloriæ coronam percipiat, si tanquam pastor uniuersalis proprios pastores, qui & præsentes, & ut ait scriptura, cum iudicio pascant, constituerit, atque ita constituerit, ut nisi cum utilitas, & necessitas ecclesiarum exegerint, Episcopos non transferat, idemq; reges, ac principes moneat, ut eas item translationes fieri petant, in quibus utilitatis quidem, ac necessitatis ecclesiæ non autem episcopum augendi ratio habeatur. hoc enim Apostoli sanxerunt, hoc sancti Pontifices Antherus, Pelagius, Calixtus, & Sardicensis consilij patres, & alij, quos prætereo, confirmarunt, quòd ea translatio, quæ episcopi augendi causa fiat, nihil aliud quàm auaritiæ, ambitionis, ac superbiæ, omnis denique pastoralis negligentiæ seminarium esse soleat. hinc enim fit, ut semper ad maiores ecclesias animos adijciant, & interim quas habent, tanquam cito migraturi parum ament, cum non sponte secundum Deum, ut beatus Petrus præcepit, sed inuiti, ac turpis lucri gratia, quod idem Petrus prohibet, ecclesias regant. Deniq; huiusmodi translationum spes episcopos ab ecclesijs suis hoc tempore in hanc urbẽ & in curias regũ maxime reuocat, & ibi detinet, qua sublata facile sperem, ad easdem ultroredituros. Sed satis hactenus liquet, quod prius quærebatur,

tur, non posse Reuerendiss. Card. habere eccl. commendatas, ut modo habent.

Veniamus iam ad alteram partem quæstionis, eandemq; extremam, quæ plerisque difficilior esse uidetur, locum dico de dispensatione Pontificis, his enim uerbis quærebatur. Vtrum dispẽsatus a Pontifice tutus esset coram Deo. Ac primum quidem demonstraturus non esse in residentia extra ouile locum dispensationi, ac proinde non esse coram Deo tutum dispensatũ, ne quid occupet uitij animos istorum, & aliquid anticipatũ eis insideat, quod ueritatem capere prohibeat, quasi spinas euellens, respondebo prius ad id, quod opponere solent nobis, quamuis residentia pastoris in ecclesia sua, iure diuino sancita sit, posse tamen aliquando cadere dispensationem in residentiam extra ecclesiam. Heliam enim sacrificasse in monte Carmelo, tametsi in scriptura sancta sancitum esset, ut in eo loco, quem Deus elegisset, sacrificaretur, ideſt, Hierosolymis, item in lege diuina de quiete sabbati dispensatum cum Iosue in muris Hierichutinis cum strepitu bellico, & apparatu militari circumeundis, & cum Macchabæis sabbato pugnantibus, item cum Dauid, & pueris eius laicis in panibus sanctis edendis, præterea dispensatum cum Hebræis in tollendo furto uasis Aegyptiorum, & cum Osea propheta in fornicatione, & si qua alia huius generis sunt. Poteram quidem uno uerbo respondere sacrificium Hierosolymitanum, sabbatum, panes propositionis, direptionem uasorum in Aegypto, fornicationem Oseę allegorias fuisse, contigisseq; illis in figura, nostra uero non allegorias, sed contemplationem ipsius ueritatis continere, & ipsam imaginem rerum, sicut Apostolus ait, sed euellam altius spinas, ut in his totius dispensationis diuinæ ratio constet. Cum lex præciperet Hierosolymis tantum sacrificare, ne per occasionem foris sacrificãdi idololatriam gẽtium caperẽt crassi Iudei, qui in eo tantum loco Deum credebant habitare, profecto qui Deum totius mundi credebat omnia replentem, potuit tanquam uerus adorator in monte Carmelo sacrificare, domino sacrificij id œconomice præcipiente ad coarguendam uanitatem falsorum deorum, & ostendendam ueritatem Dei uiui. inuocate inquit, nomina deorum uestrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei, & Deus, qui exaudiet per ignem, ipse sit deus. & in sacrificio ipso, ostende, inquit, hodie, quia tu es Deus & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia uerba hæc. exaudi me Domine,

ne,

ne, ut discat populus tuus iste, quia tu es dominus Deus. An igitur qui legem sanxerat sacrificandi in loco, quem elegisset, idest, in sancta ciuitate ad tollendum occasionem idololatriç, idem non posset ad coarguendum eandem idololatriam præcipere extra ciuitatem sacrificare? non fuerit hæc sanctissima, ac iustissima dispensatio, & œconomia aduersus idololatriam? ad quam ne lapidibus, super quos factum fuerat sacrificium, abuti unquam possent, hoc quoque prouidit Deus, ut ignis de cœlo eos consumeret. Licuit itaque Heliæ prophetæ legem Hierosolymis sacrificandi extrinsecus, ac secundum literam uiolare in domino auctore illius legis, & sine crimine esse, ubi enim, ut sæpius dixi, causa non hæret, crimen non imputatur. Si quis ergo Pastor simili dispensatione in iure diuino, quo est residentia Pastorum extra ecclesiam prohibita, uti uolet, aut doceat non hærere in se causam præcepti, ac prohibitionis, aut imitetur Heliam, & expectet, quousq; præcipiat illi Deus, ut extra ecclesiã resideat. Fuit alia quoque ratio sacrificia in eo tantum loco faciendi, tum ut facile possent Iudæi intelligere, propter syncatabasim, & ut ita dicam, condescensum concessa illis fuisse sacrificia, alioqui in omni illa loco sanxisset Moises, ex quo rursus intelligerent desitura esse aliquando, cum scilicet tempus syncatabaseos desineret, tum etiam, ut euersa post Christi mortem Hierusalem, pulsi inde Iudæi non amplius sacrificarent sua lege prohibiti, atque ita cultus iudaici paulatim memoria deleretur. Veniamus ad legem sabbati, quæ etiam sine crimine aliquando uiolabatur, ut Dominus ipse dixit de sacerdotibus in templo. illa enim manere apud semetipsum, & non egredi de loco suo, & non tollere pondus manibus, ut Hieremias de lege Sabbati scripsit, & cetera omnia, quæ ad legem illam arctissimam quiescendi Sabbato Mosaico pertinebant, ideo præcipiebantur, ut typus, & figura essent Sabbatismi cœlestis, & interim spirituale Sabbatum in uita agitandi, & ab omni peccato, & specie quiescendi, id quod in primis, quia lex, sicut scriptum est, spiritualis erat, sub illa umbra, & litera Sabbati carnalis, & sub illo uelamine spiritualiter iudæis præcipiebatur, ita ut oporteret quidem hoc primum facere, & illud rursus carnale, & ut ita dicam, literale non omittere, quod alio loco Dominus seuerissime, & & magno supplicio sanxit in eo, qui ligna sabbato colligere ausus est. Cum igitur propter spirituale aliquid, ut iudicium, misericor-

ricordiam, obedientiam, charitatem, religionem, & cultũ Dei necesse erat extrinsecus uiolare sabbatum, quia seruari litera nõ poterat, quemadmodum non esset tunc iustissima œconomia, & prudens, ac sancta dispensatio uiolare? quod satis quidem do cuerat ipse Moises, etenim qui circuncisionem salutarem, quæ erat ex patribus, dedisset in Sabbato, quoties octauus dies in eum incideret, profecto docebat licere item die Sabbati prodes se proximis, & salutem eis procurare, & iudicium, atque iustitiã facere sine crimine uiolationis Sabbati, ut Dominus in Euãge. Ioan. interpretatus est. Hac ergo ratione, & œconomia siue dispensatione usus Iosues domino Sabbati id præcipiente, cum clamore populi, & clangentibus tubis die Sabbati urbem Hierico cæpit, & incendit. Similis fuit in Maccabæis œconomia, siue dispensatio spiritualis Sabbato pro gente sua pugnandi, sancto uiro Matthatia consilij auctore, & hortatore. Iam de panibus propositionis cognouerat quidem Dauid, quod postea Paulus prophetam imitatus scripsit, nihil esse reijciendum, quod cum gratiarum actione perciperetur, sanctificari enim per uerbum, & orationem. sic.n.Dauid dixerat, cum Abimelech panes sanctos apponeret, quos non nisi sacerdotibus licebat comedere, esse quidem uiam illam pollutam, id est, non esse legitimam rationem comedendi, cum sanctos panes laici comedunt, tamen ipsam uiam sanctificandam esse in uasis, ijs scilicet, quę Dauid, & pueri eius possedissent in sanctificatione abstinẽtes a mulieribus ab heri, & nudius tertius propter orationem sanctificantem, sicut postea ab Apostolo scriptum est, ut sciat inquit, unusquisq; uas suum possidere in sanctificationem, s. abstinens ad tempus ex consensu propter orationem, quæ sanctificat, & in honorem non se cum aliena miscens, ubi corpus uiri efficitur corpus meretricis, quod est turpissimum. aut quod fere in eandem sententiam redit, sanctificandam esse dixit uiam illam in uasis. s. psalmi, ut idem propheta in alio loco dixit. i. per uerbum Dei, & orationem, siue grãrum actionẽ. sciebat.n.Dauid ꝙ qui oẽm creaturam bonã fecisset, & omnia dedisset ad comedendũ, & necessitati naturæ seruiendum tanquam olera uirentia, sicut scriptum est, i. ita ut utile ab inutili, & incommodo separaretur, ut fit in oleribus, sic enim beatus Basilius interpretatus est, sciebat inquam, ꝙ œconomice, & dispensatorie permittebat in illa necessitate naturæ cum reuerentia, & gratiarum actione panes illos edere, & legem

illam de panibus propositionis a solis sacerdotibus comedendis extrinsecus secundum literam uiolare, non tamen secundum spiritum legis, & idcirco sine crimine esse, quæ quidem œconomia, & dispensatio iustissima erat causa uitæ conseruandæ. Iam de Hebræis, qui uasa Aegiptiorum asportauerunt, respondemus non quidem fuisse œconomiam, & dispensationem legis diuinæ in furto faciendo, absit, tametsi non ignorem, sic sancto Bernardo, & alijs fortasse uisum esse, sed potius œconomiam iustæ mercedis ea uia, & modo recuperandæ, idq; iudice Deo, & omnium domino præcipiente, mercedem dico, qua fuerant Hebræi a Pharaone defraudati post tot sudores, atque labores ædificationis urbium, & agriculturæ, & post opera dura luti, & lateris; sic enim Greg. Naz. & alij patres interpretati sunt. Similiter quod de Osea opponunt, non fuit dispensatio legis diuinæ in fornicatione facienda, ut idem quoq; Bernardus existimauit, absit, quin potius, ut in comentarijs eius prophetæ Hiero. Cyrill. Theodoritus Theodorus Antiochenus, & alij ueteres interpretes tradunt, uxorem eam duxit ex postribulo, ut typus esset fornicariæ synagogæ, quam Deus ex Aegypto tanquam ex postribulo idolorum eductam sibi desponsauerat, ut cum alij prophetæ, tum copiosissime, & elegantissime Ezechiel toto illo c. 16. descripsit. itaque ut Esaię præcepit Dominus prodire nudum in publicū, quod alioqui erat indecorum, neque tamen eum puduit, idq;, ut ea nuditate habitum proximæ, & iam imminentis captiuitatis ostenderet, & exprimeret, cōuerteretur q; populus nouitate rei magis excitatus, sic Oseæ præcepit meretricem accipere in matrimonium honorabilē, pudicitiamq; docere illam, ut eius coniugij nouitate synagogam de fornicatione sua spirituali cū idolis admoneret, conuerteretq; eam ad Deum bonum, & misericordem, quod ipsa scriptura prophetæ declarauit, statim enim subiunxit, quoniam fornicans fornicabitur terra à domino, positum enim est futurum pro præterito consuetudine prophetis familiari, ut Cyrillus in eo loco annotauit. Vt igitur nulla cadit dispensatio in furtum, & fornicationem, & alia huiusmodi, nunquam enim licuit, neque licebit, furtum facere, neque fornicari, sic nulla dispensatio cadere potest in residentiam Pastorum extra ecclesiam propriam, aut commendatam, nunquam enim licuit neque licebit extra ouile residere Pastores. Qui enim extra ecclesiam suam residet, & se ecclesiæ suæ subducit, se dico non

iam suum, sed ecclesiæ, an non furtum spirituale longe grauius committit? & qui constitutus est a Domino super familiam suã ut det illi mensuram tritici in tempore tanquam bonus, & fidelis dispensator sua solicitudine, & studio, ac fidelitate, & mensura metiens cum iudicio, si extra ecclesiam residens id alteri man det, an non auertit solicitudinem istam suam, suum studium, pru dentiam, iudicium, ac fidelitatem, quæ ecclesiæ suæ debebat? & qui auertit de eo quod alteri debet, & iam alterius, idest ecclesiæ factum est, quemadmodum non teneatur furti, imo sacrilegij? Præterea Apostolus, qui bene inquit, præsunt presbiteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in uerbo & doctrina, duplici inquit, honore scilicet honore apud Deum, qui est illa immarcescibilis gloriæ corona, quam beatus Petrus ait percepturos esse bonos pastores, & honore apud homines, digni inquam, quos populus iustis decimis, & primitijs honoret, unde subiungit, dicit enim scriptura, non alligabis os boui trituranti, dignus est operarius mercede sua. hunc.n. duplicem honorem apud Deum, & homines obseruaret Apostolus apud ecclesiasticum.c.37.in eo, qui populum suum erudit, qualis esse debet Episcopus, doctorem enim eum esse oportet. Ergo qui extra eccle sias suas resident, idest, qui pessime præsunt, quemadmodũ non se sacrilegio obligant, cum honorem decimarum ac primitiarum non suum, sed alienum, idest, bonis pastoribus, & operarijs ecclesiæ dicatum a populo ferunt? quod si sacrilegium committunt, quæ dispensatio cadere in id potest? in otiosos inquit Apostolus, qui non laborat, ne manducet, imitatus est enim prouerbiũ Salomonis de otioso, qui abscondit inquit, manum in sinu, ne ad moueat illam ori, & rursus de eodem otioso, qui non curat inquit, seipsum suis operibus, frater est eius, qui sui est interfector perinde atque diceret, qui non uult laborare, quantum in se est, se fame enecat, indignus est enim cibo. cum ergo huiusmodi sint pastores extra ecclesias suas residentes, idest, cum manum in sinũ abscondant, neq; operari uelint, ac proinde se hac ratione quodammodo enecent, dum, se præstant indignos, qui manducent, quia non laborant, quemadmodum dispensatio in eos conueniat, qui non solum oues suas mactant, & perdunt, sed se ipsos enecant? an eis licere possit opus non facere, & mercede iniqua uiuere? si rogentur pastores, omnes, utrum absentes possint be ne preesse, credo conscientiæ testimonio conuictos continuo

responsuros non posse, ergo se iudicant indignos duplici illo honore Pauli, idest, honore apud Deum, & honore apud homines, at quem Deus non honorat, imo illum de ore eius iudicat, quę illum dispensatio honorare, aut absoluere poterit? aut ad honorem, unde deturbatus est, referre, ac reuocare, quamdiu in crimine perseuerat Sacrilegij, adde etiam perfidiæ, & proditionis? quodquidem clarissime potest intelligi, uel ex illa historia, quam Clemens Alexandrinus de beato Ioanne Apostolo memoriæ traditam esse testatur non solum ad exemplum mirificũ pænitentiæ, ut Clemens admonuit, sed ut mihi uidetur, ad doctrinam, & exemplum pastorum, ut cogitent, quid sibi commissum sit, & qua fide custodiendum, ac quanto id periculo negligatur, & si quid per negligentiam peccatum fuerit, qua ratione emendetur. Narrat itaque Clemens, quemadmodum Ioannes post Domitiani mortem cum Ephesum uenisset, & uicina loca ordinandi Episcopos, & ecclesias constituendi causa circumiret, forte adolescentem, cui diligentiore custodia opus esse, credo diuinitus cernebat, Episcopo unius loci quãto potuit studio, christo & ecclesia testibus commendasset, hunc tamen paulatim studio, & cura Episcopi remittente, usu æqualiũ suorũ tandem corrumpi, & dissolute uiuere cœpisse, deinde aliquanto post reuersum Apostolũ his uerbis Episcopum conuenisse, redderet depositũ, quod Apostolus, & Christus ei commisissent, ecclesia, cui præesset, teste, Episcopum uero cœpisse mirari dubitantẽ ne pecunias quas minime accepisset per calumniã Apostolus repeteret, itaq; ancipite, & dubio Episcopo, adolescentẽ, inquit Ioãnes, repeto, & animã fratris, ad hæc Episcopum ingemuisse, cũ lacrimis mortuũ Deo esse respondisse. Erat ille quidem mortuus, & perierat, sed redire ad uitam, & inueniri rursus poterat, ut quidem reuixit & inuentus est multis, ut Clemens narrat, precibus, & ieiunijs Apostoli adiutus, & uarijs sermonibus permotus. itẽ flebat Episcopus, cui tamen spes lætitiæ relinquebatur, quid uero ubi erit fletus perpetuus? ubi anima Episcopo credita, quę semel perierat, recuperari amplius non poterit? comparet se ergo aliquis istorum, qui extra ecclesias resident, cum Episcopo illo negligente, uideat utrum unius adolescentis studium, & curam, ut ille, remittat, an totius populi, & ecclesiæ sibi commissæ, utrum de deposito unius animę, secum agatur, an de multarum, utrum suspiret, & lacrimetur, quia frater fidei suæ creditus pereat, an

potius absens nihil uideat, neque sentiat,& an habeat is in ecclesia alterum Apostolum Ioannem,qui ouem negligentia pastoris ammissã, multis precibus,ieiunijs, & multo sermone recuperet. Quare ut ad propositum redeam, quæso, qui committit, ut depositum, quod suæ fidei commissum est, uel omnino pereat, uel uitium non leue capiat,an is non fidem proidt? in proditionem uero fidei quæ dispensatio cadere unquam potest?sunt autem depositum animæ a Pontifice, & Christo commissæ Episcopo coram tota ecclesia, ne inficiari liceat depositum quod quidem Apostolus Timotheo commendans, bonum inquit, depositum costodi, cuius boni depositi fidelis custodia bonum illud opus est,quod Apostolus ab eo ait desiderari,qui Episcopatum desiderat,custodiendi uero ratio in eo sita est,nequid studij,& vigilantię custos prætermittat, quominus in fide, & bonis operibus usque ad extremum permaneant, qui in custodiam traditi sunt,alioqui fidem prodat. Iam qui ecclesiam suam ceu sponsam dimittit,& extra eam residet,an non facit eam mœchari? & si eã mœcari facit, tribuens iniustam occasionem mœchandi cum peccatis illis, quæ ex residentia pastoris extra ecclesiam suam prouenire solent, quæ sunt infinita, an non mœchiæ reus erit? multo itaq; minus licere potest residere extra ecclesiam, quàm furtum facere,aut fornicari,quanto grauius est spirituale furtũ, quàm corporale, & fornicatio spiritus, quàm carnis, & si in illa dispensatio, & œconomia, vt licite fiant, cadere non potest, multo minue in hæc. Potest quidem œconomice, & dispensatorie pastor abesse ad agendum de rebus ad ædificationem necessarijs, quibus conclusis celeriter illi redeundum sit, sed aliud est necessario propter ædificationem abesse negotio ædificationis, diligenter transacto statim rediturum, aliud residere extra ouile. residere enim extra ouile, & ecclesiam suam,quamuis breue sit, intelligatur pastor, ne quis hic cauilletur, quoties non abest œconomice ex charitate propter necessitatem aliquam ad utilitatem animarum pertinentem,transacta necessitate celeriter rediturus. atque hoc quidem habitantis sit, siue commemorantis,illud uero peregrinantis,& diuertentis,hoc inquilini,illud hospitis,deniq; illud charitatis,& salutaris œconomiæ,hoc charitatẽ primã deserẽtis,& homicidæ,illud fidelis dispẽsatoris,& fideliter commodato utentis,hoc furis, & latronis alienum per insidias,uel per uim rapiẽtis,illud uiri pudici,hoc mœchi,& adulteri

in illud cadere poteſt diſpenſatio,& œconomia,in hoc nullo mo do poteſt,quia in altero iuſta cauſa œconomicę abſentiæ eſſe po teſt,in altero iuſta cauſa peſtiferæ extra eccleſiam reſidentiæ eſſe non poteſt. Ergo quia aliud eſt extra eccleſiam reſidere, aliud abeſſe, poteſtq; hoc œconomice fieri,illud uero nunquam, expli cemus deinceps ſubiectis exemplis totam rationem diſpenſatio- nis.& uim uerbi,ſic enim magis conſtabit ratio œconomiæ, & diſpenſationis in abſentia paſtoris ab eccleſia ſua,& quando, ac quomodo,Ergo diſpenſationem latini patres appellarunt,quam græci patres œconomiam,eſt autem œconomia,ut eſt in Clemen tis Romani diffinitionibus a ſancto Anaſtaſio patriarcha Anthio cheno collectis,quando quod ſimpliciter & abſolute fieri nō de- bet,fit tamen,& fieri oportet propter Syncatabaſim,ideſt, con- deſcenſum ſpiritualem ex aliqua ſcilicet iuſta cauſa, ut cum Pau- lus Timotheum circuncidit,ut iudæos alliceret,non quidem fuit euangelicæ legis præuaricatio ſpiritualiter diiudicāti, ſed potius diſpenſatio,& œconomia miniſtri,& fidelis diſpenſatoris myſte- riorum Dei ſpiritum Chriſti in ſe habentis. item cum neophyti ordinati ſunt Epiſcopi in eccleſijs Dei Thalaſſius Cæſarienſis, Ne ctarius, Taraſius Nicephorus, Flauianus, Ambroſius,& pri- mus omnium Cyprianus, ut Pontius eius diaconus, idemque martyr, in uita eius ſcripſit, diſpenſatio quidem, fuit, & œconomia in diuina, & Apoſtolica lege de Neophyto non ordinando. cuius rationem idem Ambroſius lib. 10. Epi- ſtol.82. ſatis explicauit ſic de ordinatione ſua loquens, quæ cum crimine uiolati præcepti Apoſtolici,& diuini facta eſſe falſo ab ijs putabatur,qui cauſas preceptorum, & ſpiritum legis non in- tuerentur,quem aliquando intueri neceſſe eſt non literam tan- tum in nouo teſtamento,ut cum alij,tum S.Athan. in lib.de com muni energia trinitatis admonuit,quam inquit,reſiſtebam,ne or dinarer,poſtremo cum cogerer,tamen ordinationem meam oc- cidentales iudicio probarunt,orietales uero exemplo, & tamen neophytus prohibetur ordinari,ne ſuperbia extollatur, ſi dilatio ordinationi defuit,uis cogentis eſt,ſi non deeſt humilitas compe tens ſacerdotio,ubi cauſa non hæret,uitium non imputatur. ha- ctenus Ambroſius. Sic ille modeſtiam ſuam defendebat, qui ſe paſſus eſſet epiſcopum fieri alioqui neophytum,quia inquit, uis cogentis fuit, ſic interpretabatur Apoſtoli præceptum de non ordinando neophyto non fuiſſe uiolatum,non quidem extrinſe-
cus.

cus, & secundum litteram præcepti, sed secundum spiritum eius, & interiorem sensum, quia scilicet neophytum prohibuisset ordinari, ne sicut statim idem Apostolus subiunxit, superbia elatus in opprobrium, & iudicium incideret diaboli. quare ubi hæc causa præcepti, & legis non extiterit, ibi neque uis pręcepti, & legis fuerit, atq; ita recte, & sine crimine, quia hæc causa defuit, hac dispensatione & œconomia in Ambrosio neophyto ordinando, ex causa humilitatis in eo satis spectatæ, & perspectæ usa est ecclesia occidentalis. Simile est de unius uxoris uiro, prohibetur enim sacro ordine, qui plusquàm semel uxorem duxerit, aut etiam semel uiduam, aut non uirginem, ut meretricem, uel uiolatam, scilicet propter præiudicium futuræ incontinentię, ut ex sancti Innocentij Primi epist. 2. intelligi potest, is enim sanciens, ne clericus uiduam ducat, ne inquit, hoc præiudicio impeditus non possit ad sacerdotium peruenire. Rursus in eadem epist. clarius, unius uxoris inquit, uirum dixit Apostolus non permanentem in concupiscentia generandi, sed propter futuram continentiam. ut iam si quis existat talis, ac tam raræ pudicitiæ, tantaq; spes sit futuræ eius continentiæ, ut merito haberi possit tanquàm unius uxoris uir, quamuis duas duxerit, aut uiduam, is profecto sine crimine iam uiolati pręcepti ordinetur, quia ut sanctus Ambrosius de ordinatione sua dixit, ubi causa non hæret, uitium non imputatur. Hęc igitur esset præcepti apostolici, & diuini de unius uxoris uiro ordinando dispensatio, & œconomia ex causa futurę cōtinentiæ recte præiudicatę, tametsi nescio, utrum expedire unquā possit, ut non unius uxoris uir in ordinem sacrum dicandus sit, certe ut hoc obiter dicam, cum nullum uetus exemplum ordinationis huius legerim, facile credam iudicasse patres, præstare non fieri hic, quod alioqui iure tunc possit, cum causa incontinentiæ præiudicatæ non existat. Huiusmodi dispensatio, & œconomia optima præceptorum diuinorum interpres frequens est in uotis, quæ si legitima sint, iure diuino sancita sunt omnia, & omnino persoluēda, ne irridere Deum, & infirmum facere uideamur, quasi non possit is, qui terribilis est, & aufert spiritum principum, repetere quod suum fecit nostra sponsione, & fide in eum, quare cum aliquid est, quod lege uoti liberare possit, idest, aliquid causæ existit, cur non suum fecerit, aut ex genere, aut ex uerbis conceptis, aut ex ijs, quæ accidūt uerbis conceptis, aut ex animo uouentis, hæc enim quatuor in uotis obseruanda esse puto, quę in iuramen

tis

cis obseruanda esse magnus Basilius docuit canone decimo, tunc, dispensatio, & œconomia est, ne uoto obligati teneamur. hæc autem diiudicare non ad omnes pertinebit, sed ad Pontificem, aut ad eum, qui auctoritate eius huic iudicio œconomico, & dispensatorio præerit. quod ualde etiam œconomice, & prudenter mihi factum uidetur, quo scilicet consideratius uota suscipiantur, & non temere, ac passim. commutatio uero uoti œconomica, & dispensatoria, quamuis causa uoti persoluendi nō existat, eo etiam spectat, ne quis inconsiderate uotum faciat, & ut ex parte aliqua compensetur id boni, quod ex uoto eius extitisset, si eo obligatus fuisset. huiusmodi est ratio dispensationis in uotis, quod si nihil extiterit, quod ex aliquo horum quatuor uoto liberet, reus fuerit uoti, qui non soluerit, neque enim ulla in eum cadet œconomia, siue condescensus spiritualis, & dispensatio, quin potius simpliciter, & omnino faciendū erit, quod uoto facto promissum fuerit. Similiter in iuramentis, quibus licet controuersias dirimere, & cauere aduersus mutabilitatem, & incōstantiam humanam, ac dubitationem, cum eadem sint obseruāda, quę in uotis, similis erit ratio dispensationis, siue œconomię, & cōdescensus spiritualis ex iusta causa. Seruanda enim sunt iuramenta, ne Deum, qui uerax est, mendacem more hominum faciamus, & ut iustificetur in sermone suo, idest, ut fiat quod dixit, suum enim iam sermonem nostrum fecit, cum iuramentum adhibemus, perinde atque ipse iam dicat, quod iuramento quasi eius testimonio confirmamus. Quare cum aliquid erit ex illis quatuor, unde Deus non fecerit suum sermonem, neq; mendax a nobis statuatur, tunc œconomia, & dispensatio fuerit in iuramento, ut sine crimine non seruetur. huiusmodi est ratio dispensationis in iuramentis diuino iure sancitis. Similis œconomia, & dispensatio cadere potest in absentiam pastoris ab ecclesia sua ex causa charitatis necessariæ. Cum.n. Pastor lege charitatis erga ecclesiam suam, cui præest, residere teneatur, profecto cū charitatis ratio necessaria paulisper abesse postularit, ad œconomiam, & prudētem dispensationem, condescensumq; spiritualem pertinebit abesse, donec illius charitatis ratione necessaria transacta, celeriter redeat. neque enim qui sic aberit, a charitate prima erga gregem suum exciderit, at residere extra ecclesiam suam, quia non potest non esse id ecclesijs pestiferum, & ad furtum, atque adulterium spirituale pertinere, nihil aliud fuerit, quam a charitate illa prima excidere, quod

nulla

nulla ratio charitatis secundæ ferre potest, idcirco nulla in huiusmodi residentia extra ecclesiam, suam œconomia canonica, & ecclesiastica, atque legitima dispensatio cadere potest. Hac œconomia, siue dispensatione usa est semper ecclesia in absentia Episcoporum ab ecclesijs suis, cum synodus habenda esset bis quidem prouincialis singulis annis, ut a principio fuerat constitutum, postea uero semel, idque ut Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus affirmat in Epistola ad Episcopum Sardēsiū, ne oues propter crebram absentiam Pastorum facile a lupis inuadi possent. Idem quoque Athanasius ad Imperatorem sui temporis de residentia episcoporum, & eorum œconomia, & ecclesiastica absentia sic scripsit, Si uerum est inquit, quod dici solet, qui gregem Pastore priuat, utrique periculum creare, profecto graue supplicium manet eum, qui pastorem arcet ab ouili, debetque qui Pastor est vsque ad sanguinem pro grege nō derelinquendo labores perferre, nisi cum opus fuerit in synodo singulis annis ad agendum de rebus necessarijs paulisper abesse, quibus conclusis, celeriter illi redeundum sit, si credit se redditurum rationem summo Pastori Christo, & si dignus est nomine Pastoris, nisi forte etiam propter necessitatem ad utilitatem animarum pertinentem ab Imperatore, aut a Patriarcha statim rediturus uocetur. huiusmodi causas œconomicas, & ecclesiasticas breuis absentiæ Pastorum ab ecclesijs suis didicerat uir sanctus in scripturis, & sanctorum patrum sanctionibus eruditus Athanasius, qui commendatas ecclesias suo etiam tempore nouit. de quibus ad Episcopum Apameæ scribens, ad quid (inquit) necesse est ad suam quemque diœcesem ire propriam, uel commendatam, nisi ut lupos inde arceatis? quod si fortassis huc uos, id est, Constantinopolim incitat, & trahit tum studiū, atq; desiderium consulendi multorum saluti, idque uobis propositū est, tum scientia tam multa, vt ex hac urbe possitis etiam, quæ extra fines uestrarum diœceseon posita sunt, gubernare, ad extinguendam sitim istam, istiusque studij uestri ardorem ueniat in mentem illius, cui plurimæ sanctarum literarum scientia theologi cognomentum dedit, illiusq; paruæ Sasimorum diœceseos, ita ut uel propter reuerentiam illius excellentissimi uiri, uel propter ęqualitatē honoris, quo contenti esse debetis, quisq; uestrū intra suos se fines contineat. Quaobrem existima frater deberi a te hoc, usque ad sanguinē, ut cū ouibus tuis sis, & uiuas, & quæ

HH sequuntur

sequuntur diuine omnia scripta, & ad id quod nobis agitur, & ad id quod Romæ fieri uidemus, mirabiliter accommodata. Sed cum satis iam supra responsum sit ad ea, quę opponere soleant, qui uolunt in residentiam Pastorum extra ecclesias suas posse cadere dispensationem, satisq; distinxerimus pestiferã istã extra ecclesias residentiam ab absentia iusta, & œconomica uelut furtum a commodato, explicata deinde tota ratione dispensationis in præceptis diuinis ad extremam partem quæstionis tã dem respondeamus, in huiusmodi commendatione ecclesiarum uacantium, ut Reuerendissimi modo habent commendatas, immo in cætera omni residentia extra ecclesias siue proprias, siue tanquam proprias Pontificis dispensationem non reddere turũ coram Deo dispensatum, his.n. uerbis quærebatur, non magis quàm tutum reddat dispensatio in furto faciendo, deposito negando, adulterio patrando, aut nefario parricidio suscipiendo, deniq; in iugulando, mactando, & perdendo. non ego, sed dominus est, qui dicit, qui non intrat per ostium in ouile ouium, fur est, & latro, fur autem non uenit, nisi ut furetur, mactet, & perdat. rursus ille non intrat per ostium, qui residet extra ouile suũ, auertens præsentiam suam dicatã gregi, qui in uobis est, inquit, item auertens oculos, quos gregi debet ad inspiciendũ eum, & auertens cor non iam suum, sed gregis, quod idcirco gregi applicare debet, sicut Salomon præcipit, applica, inquiens, cor gregibus tuis, tum auertens charitatem, quam debet gregi. pasces non coacte, sed uoluntarie secundum Deum, ut Petrus ait, idest, secundum Christi exemplum, & doctrinam quam, quo maiore studio, & attentione eam pastores audirent, in ænigmate prouerbiali tradidit, cum dixit eum, qui intraret per ostium, idest, secundum euangelium Iesu Christi pasceret, nominatim uocare oues proprias, eas educere, & ante eas ire, quæ omnia præsentiam, & uoluntatem pastoris erga gregem, ac studium animi in pascendo, applicationem cordis, sedulitatem, fidelitatem, & promptitudinem declarant, quæ, ut dixi, cum debeat gregi, & residens extra ecclesiam auertat, & surripiat, profecto fur est, & latro, non intrans per ostium ad ouile. quod si non intrat per ostium, ergo non saluabitur, ego, inquit dominus, sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. rursus si non saluabitur, quomodo igitur tutus coram Deo? quem Deus non saluet, quemadmodum dispensatio tutum reddat? quæ

quæ dispensatio facere potest, ut sit spes salutis non intranti per ostium? Si qui per angelos dictus est sermo, firmus factus est, & omnis præuaricatio iustam accipit mercedis præuaricationem, irritam enim quis faciens legem Moisis sub duobus, aut tribus testibus, sine miseratiõe moriebatur, quemadmodum effugiat, qui euangelium salutis, quod Deus pater per filium suum annunciauit, non coram duobus, aut tribus, sed coram tota ecclesia negligit? aut quemadmodum non negligit, qui aliunde intrat, qui per mercenarios, & suam in alio loco residentiam cõtra euangelium intrat in ouile sibi creditum? Iam si dominus in euangelio legis peritis exprobrat, quòd tulissent claues scientiæ, & neque ipsi intrarent scilicet per ostium, & eos, qui introibant, prohiberent, & eosdem cum pharisæis in euangelio fures, & latrones appellat, quotquot, inquit, ante me uenerunt, fures sunt, & latrones, quid iam episcopis non residentibus, & Reuerendissimis istis exprobret? equidem dicam in domino, quod sentio, non enim ambulabo in astutia, sicut quidam, sed in manifestatione ueritatis, non adulterans uerbum Dei, uereor, ne idem quod illis legis peritis exprobet, tum Reuerẽdissimis Cardinalibus, qui ecclesias uacantes occupatas tenent, tum ceteris Episcopis extra ecclesias suas residentibus, Episcopos enim legis diuinę peritos, & doctores oportere esse docuit Apostolus, in quas neque ipsi per ostium intrant, & eos, qui introirent, prohibent. Præterea si qui soluerit unum de euangelicis mandatis Christi minimis, minimus uocabitur in regno cœlorum, sicut dominus dixit, idest, non resurget in resurrectionem gloriæ, quam regnum cœlorum scriptura sancta solet appellare, in quod quidem ingredientur magni, illi, inquam, qui per fidem, & dilectionem creuerunt in uirum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, qui maximum mandatum soluerit, dicant quæso nobis Reueredissimi, quemadmodum ulla Pontificis dispensatione coram Deo tutus esse poterit, ne minimus sit in regno cœlorum, idest, ne non pereat resurgens in resurrectionem iudicij? est autem primum, & maximum mandatum, quod soluit de dilectione, in quo uerbo omnis lex impletur, sicut scriptum est. Idcirco cum uellet Dominus Petro, & in eo tanquã in forma cęterorũ ceteris pastoribus cõmendare ouium, & agnorum rationalium curam, & gubernationem spiritualem, idest firmorum, & infirmorum in fide, de charitate eum prius & quidem ter admonuit, quo doceret, qua se lege obligaret, qui ascendi

scendi opus capesseret, & susciperet, nempe lege charitatis, & in eo maxime cernit charitatem, cum Pastor gregem commissum diligenti studio pascit, & fideliter, prompte, uigilanterq; custodit, & pro eo ad imitationem principis pastorū Iesu Christi animam, si oporteat, ponit; contra uero charitatis perfectæ nihil prorsus habere, qui illum deserit, ac derelinquit lupis, & quasi ad eum nihil de ouibus pertineat, ita omnem laborem per se regendi, extra ouile residens fugit. cui esto, dici possit, quod in reuelatione beati Ioannis angelo Ephesi, idest, Episcopo illius ecclesię dictum est (septem enim angeli septem ecclesiarum, septem Episcopi sunt, & hi septem ceteros omnes, quorum eadem fuerit causa, designant, ut de similibus similiter iudicetur) scio opera tua & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, illud tamen quod sequitur profecto eidem exprobrabitur, sed habeo, inquit, aduersus te, quòd charitatē tuam primā reliquisti, illam inquam, de qua Dominus in euangelio, hoc, inquit, est mandatū primum, diliges dominum Deum tuum, &c. & aliud simile huic, diliges proximum sicut te ipsum, in quo sermone sicut Apost. ait, omnis lex impletur. credo, hæc erant illa, quæ spiritus aduersus episcopum Ephesi habebat, & quæ habet aduersus omnem episcopum, quicunque charitatem suam relinquit, relinquit autem qui non uiuit cum ouibus suis uocans eas nominatim, educens, & ante eas uadens, idest, illis oculos, & cor applicans, tradensq; illis præsens, uigilanter, & prompte quęcunque ad ædificationem, consolationem, & exhortationem pertinent, quod est educere oues in pascua, idq; præeundo, idest forma illis, & exemplum bene ac beate uiuendi factus ad imitandum, ut tanquàm Christi imitator, faciat, & doceat, quæ facere, & scire debent subditi. qui uero hoc non facit, quia iam charitatem nō habet, tametsi multa mala pro Christi nomine perpetiatur, quamuis tradat, sicut Apostolus ait, corpus suum, ita ut ardeat, nihil ei prodest. Ponamus aliquem Reuerendissimū Cardinalem ex ijs, qui commendatas habent ecclesias, ut modò habent Romæ, qui distribuat omnem substantiam suam in cibos pauperum, qui loca sancta martyrum deuote uisitet, memorias sanctorum pie agitet, ieiunet quotidie, defendat, & iudicet pupillos, & uiduas, maleficos ne patiatur uiuere, sit Pontifici assiduus monitor, hortator, adiutor, ardeat zelo, & studio ecclesię catholicæ Romanæ, sudet semper in sedis Apostolicæ ma

gnis

gnis rebus,& causis,dicam,sicut Apostolus ait,nihil sibi est, quia charitatem primã suam relinquit, quandiu ecclesiam uacantem tenet occupatam iniquo titulo commendationis perpetuæ extra eam residẽs,neq; ipse intrans,neq; aliũ intrare sinens, quia inquã, bonum opus,& primũ charitatis pastoralis,cuius lege se obligauit,deserit. hoc est n. opus illud bonum,quod Apost. ait desiderari ab eo,qui desiderat episcopatum,quo se uelut uinculo arctissimo obstringit,quod rumpere fas non est ei,qui episcopatum recipit,quod quidem rumpit,qui extra ecclesiã suam,residet. Idcirco cũ spiritus Dei episcopũ Ephesi monet,ut agat pœnitentiam, subiungit,& prima opera fac,illud inquam bonum opus, & primum dilectiõis,quod inest in ministerio episcopatus bene gerẽdi. Verum quia hic locus de charitate prima ab eo episcopo relicta,qui pluribus alijs alioqui preclaris uirtutibus preditus erat, eos magnopere arguit,& urget,qui sibi,tametsi procul ab ecclesijs suis resideant,tamen in tuto esse uidentur, quòd in alijs optimis fortassis operibus occupati sint,idcirco,ut me etiã quidã valde doctus admonuit,fortasse calumniabuntur aliqui,quasi nõ potuerit episcopus Ephesi,tot alioquì laudibus ab spiritu Dei ornatus operum,laboris,patientiæ,non sustinendi malos,tentandi, & coarguendi falsos Apostolos a prima charitate alienus esse,præsertim cũ patiẽtiã haberet,charitatis uero sit patientẽ esse. unde Abr. Ansb. uetus auctor locũ hũc interpretãs,absit,inquit,ut primã charitatẽ reliquisse credatur,quẽ in præcedẽti uersiculo tãta laude prosecutus est sermo diuinus, & paulo post, alius est ergo qui dilectionẽ deseruisse inchoatã,alius qui propter nomẽ Dei circa malos quoq; seruasse patientiã perhibetur. Vni deniq; dicitur, patientiã habes,& sustinuisti propter nomẽ meũ,& nõ defecisti, alteri aũt,habeo aduersus te,ꝙ charitatẽ tuã primã reliquisti. Sed cur hoc dificile uideatur,quod liceat nõ solũ in scriptura legere, sed etiã in nostris interdũ episcopis,& pastoribus cernere? quis quæso crederet,posse aliquẽ tantã fidẽ habere,ut montes transferret,tanta patientia,& tolerantia esse,ut corpus suũ traderet, ita ut arderet,esse tã largũ in pauperes, ut oẽs suas facultates in cibos pauperũ distribueret,& tamẽ charitatẽ nõ habere? at hoc Pau. docuit,quodqdẽ in eo tũc eueniret,qui hæc inani gloria,aut alio quopiã malo cõsilio faceret. Sũt.n. suscipiẽdæ uirtutes,vt Doroth. abbas in lib. de ædificatiõe uirtutũ tradit,quo nos deo assimilẽt,qđ mihi perinde eẽ uidet,atq; diceret, colẽdas esse uirtutes

propter

propter deo qui hoc uelit,& pręcipiat,ut qui hominē ad similitu dinē suā nēpe secūdū uirtutes a principio fecerit, sicut dominus ait estote misericordes,sicut & pater uester cœlestis misericors est similiter intelligatur in ceteris uirtutibus.Pręterea cū olim in ecclesijs,ut ueteres tradunt, peracto sacro mystico, una omnes tum diuites,tum tenues,ac pauperes epulari,& comprandere solerent,quod magnopere pauperes ipsos recreabat sumptu diuitum mensas communes extrui,& pauperes ob fidei communionem,ac necessitudinem ad conuiuium adhiberi,quod quidem ad eorum omnium inter se beneuolentiam conciliandam non parum ualebat,essetq; in ea consuetudine paulatim a recto, & honesto deflexum, iamq; diuites in conuentu ecclesiæ seorsum neglectis pauperibus compranderent,aggressus est Apostolus hoc uitium per literas corrigere, illud laudans ꝙ in ecclesiam diuini cultus,& sanctæ commuuionis gratia conuenirent,hoc non laudans,ꝙ in deterius ad præsumendas cœnas couenirent,neque uero leue erat quòd in diuitibus non laudat, imo reprehendit, & accusat,si quidem indignos eos communione corporis Christi contemptus ille pauperum in cœnis faciendis efficiebat. Sic ergo mihi cogita,quasi dictū Episc. Ephesi sit,laudo te,in hoc laudo. Rursus,qui iuxta sententiam beati Iacobi fratris domini totam legem seruarit,in uno autem offendat, sitq; in eo omnium reus,an nos is laudabilis est vel ea ratione,quòd totam legem vt cunq; seruet? licet de eo accusandus,imo damnandus sit, quod in vno alioqui offendens,legem non perfecte, sed inchoate seruet? interpretaatur autem græci auctores illud uuum,in quo iste offendit,charitatem esse,quæ est omnium uirtutum caput, & uita,quod autem de ea accipiendum sit, ex antecedenti ratione perspici potest,quæ erat de lege seruanda secundum charitatem absolutam, ex qua totius legis obseruatio constat. Præterea Ioan.perfecta, inquit,charitas foras mittit timorem,scilicet,nō castum,cuius causa,& origo,ut sanctus Maximus interpretatur, peccatum est,quo inquit,per pœnitentiam deleto eijcitur huiusmodi timor,peccati in quo aliquis erat. certe perfectam charitarem nunquam Ioannes dixisset,nisi alteram inabsolutam,& inchoatam nosset, eam scilicet, quæ cum peccato, & cum timore peccati coniuncta est, & idcirco imperfecta est, & ut ita dicam, cassa,& inutilis quæ tamen sit,& dicatur charitas, sicut fides imperfecta,& ut Iacobus ait, mortua, fides quidem est, & dicitur,

similiter

similiter patientia expers charitatis patientia est, licet non perfecta, neq; integra, item iustitia, & ceteræ omnes uirtutes a charitate seiunctæ, ac separatæ uirtutes sunt, & dicuntur, licet inchoatæ sint, & imperfectæ, adde etiam inutiles, & inanes. Sic loquitur scriptura sancta, sic sancti patres loquuntur, & tradunt cũ charitatem perfectam dico, non omnem perfectionem requiro, alia.n. alia perfectior est ut Christi quidem charitas summa, & perfectissima, sed eam dico perfectam, quæ peccatum omne graue expulerit. Præterea sponsus, qui dixit ordinate in me charitatem, sic enim est in septuaginta, an non nouit charitatem aliquam non ordinatam? certe nouit, eam scilicet de qua Petrus Damianus, monachus, & Chardinalis in scripturis sanctis ualde eruditus hunc locum in commentarijs suis interpretans, nonnulli inquit, in principali sui cordis loco habent uxores, filios prædia, uel honores, in secundo autem quodã modo dominum ponunt, dum eum minus diligunt, quiquidem non seruant ordinem charitatis, quem Deus posuit, cum dixit, diliges dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & quę sequuntur, hoc est maximum, primumq; mandatum, secundum autem simile huic, diliges proximum tuum, sicut te ipsum, deinde subiunxit hic auctor, non ergo se iactet, qui charitatem habet si non ordinata est, sicut neq; etiã fidem si sine operibus est, ac per hoc otiosa est. Ad hæc dominus in euangelio, nisi inquit, abundauerit iustitia uestra, plusquã scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, quem locum explicans Sixtus Secundus in libro de operibus fidei, multis uerbis probat, iustitiam scribarum, & pharisęorum hoc loco iustitiam legis esse accipiendam, quæ non falsa iustitia esset, sed uera, licet imperfecta, ad quam implendam se dominus uenisse dixerat. quod si falsa iustitia dicatur ista scribarũ, & pharisæorum, idest iustitia legis, uide, inquit, Sixtus, quam impietatis blasphemiam hic sensus incurrat, ut falsæ abundantiam iustitiæ suis dominum asserat prædicasse discipulis, nunquam.n. nisi similia cum similibus comparamus hactenus ille. aliud itaq; est aliquid falsum esse, aliud uero non esse perfectum. Solet autem scriptura sancta nominibus perfectorum afficere imperfecta, ut cum fidem alioqui mortuam fidem uocat est.n. ea fides non quidem falsa, sed uera, quamuis imperfecta, & inutilis. Quare ut ad Episcopũ Ephesi redeã, potuit ille virtute patientiæ pditus esse, vt quidem fuit, tum iustitiæ seruator, imo multis alijs virtutum

gene-

generibus abundare, a charitate perfecta alioqui alienus, ut spiritus Dei testatus est, ac proinde illius patientia erat quidem imperfecta, patientia tamen, item iustitia imperfecta, tamen iustitia re, & nomine, sicut fides eiusdem fides erat, quamuis charitatis expers, ac proinde mortua. erat autem ille a charitate alienus siue quia sua recte facta, & officia, quæ spiritus Dei laudaret, ad inanem gloriam fortasse referret, siue quod mihi probabilius uidetur, quia in ijs occupatus esset, & quidem cum summo labore, & patientia, ac studio, quæ tamen ad munus suum pastorale, & ad ecclesiæ suæ proprium studium non pertinerent, ut interdum in nonnullis nostrorum Episcoporum cernere licet. & quamuis nihil refert, utrum Episcopus iste extra ecclesiam suam resideret, an uero præsens negligenter eam regeret, quia tamen difficile mihi uidebatur, si pastor tot alioqui, tantisque uirtutibus præditus, cum in eccl. sua adesset in eam charitatem, quam ecclesiæ suę debebat, peccaret, hoc autem facile est euenire, imo necesse, si absit pastor relicta ecclesia, & mercenarijs commendata, idcirco eam partem de charitate prima relicta ad absentiam illius Episc. retuli, unde totum locum ad absentes pastores pertinere interpretatus sum, præsertim cum exempla mihi coram cernere uiderer, quæ non latuerunt spiritum sanctum, qui omnia prouidit. Quid si Episcopus Ephesi totus erat occupatus ἐν τῷ φιλοπευστεῖν apud alias ecclesias? Semper enim fuit in ecclesia ut ex libro Origenis contra Cels. tertio didicimus, ordo τῶν φιλοπευστούντων, idest, eorum, qui in aliorum uitam, & fidem inquirebant ad emendandum, & corrigendum, quale est hodie nostrorum Inquisitorum, quod quidem munus ita suscipiendū est, ut proprium non deseratur. Sed uideamus, quid deinde sequitur in reuelatione Ioan. dictum Episcopo Ephesi ab spiritu & in illo ceteris omnibus Episcopis, quorū una sit causa, uenio, inquit, tibi, & mouebo cādelabrū tuū de loco suo, nisi pœnitentiā egeris perinde ac diceret, ꝙ per Ezechielē propheta similiter minatus est malis pastoribus, & ego, inquit, auertā, siue mouebo eos, ne pascant oues meas, & non pascent ultra pastores eas. Similiter Salomon postquā præcepit pastoribus uidere oculis suis gregē, & cor apponere, subiungit ueluti minaciter in eos, qui hoc non fecerint, quoniā non in sæculū uiro robur, & fortitudo, neq; tradit a generatione in generationem, quasi diceret, breui defiturum esse pastorem, cū de adhibitis, pascuis, & grege credito, ac

ministerio suo pastorali rationem reddet. quare dum licet, & dum pastor in hac uita est, tempus esse bene, & legitime pascendi, in altero enim sæculo iudicij tempus esse, & rationem tantũ anteactæ uitæ reposci. Ad hunc modum in reuelatione beati Ioannis, uenio, inquit, tibi. uenire. n. dicitur dominus, cum hora mortis aduenit, sicut scriptum est, uigilate, quia nescitis qua hora Dominus ueniet. Deinde sequitur, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, candelabrum appellat corpus, sicut scriptũ est in euangelio, lucerna corporis tui oculus est, cum oculo. n. mentem comparauit, & Dominus Apostolos, & eorum nomine episcopos omnes appellauit lucernas positas super candelabrũ ad lucendum. Apostolus quoque dixit, luminaria mundi uerbũ uitæ continentes, est autem luminare lux in corpore, sicut scriptura, postquàm Dominus lucem primo die factam corporibus indidit, ut sancti patres tradunt luminaria dixit, cum prius lucẽ dixisset, ac moto quidem candelabro mouetur lucerna, quia tamen anima non interit, sed corpus, mouebo, inquit, candelabrum de loco suo, id est, morieris, post mortem uero quid superest, nisi, sicut Apostolus ait, manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore siue bonum, siue malum, & prout fuit in candelabro siue lumen siue tenebræ? aut certe candelabrum uocat ecclesiam, in qua tanquam lucerna positus est Episcopus, ego mouebo, inquit, candelabrum tuum, idest, tradam alteri ecclesiam, morieris inquam. Audiat ergo Reuerendissimi Cardinales, & Episcopi omnes, quicunq; charitatem primam erga greges suos reliquerunt, quid eis in Angelo, siue Episcopo Ephesi dicat spiritus, uenio uobis, & moriemini, cum stabitis ante tribunal Christi, ubi unusquisque, sicut ait scriptura, pro se rationem reddet, mercenarius pro se, pastor proprius, aut tanquàm proprius pro se. Quomodo igitur tutus coram Deo fuerit ulla ratione dispensationis, cui spiritus Dei exprobrat, quòd charitatem primam reliquerit, & cui aduentus sui, & mortis minas proponit? fateor molestissimum esse, & laboriosissimum pascere præsentem, concedamus hoc, ecclesias uero proprijs pastoribus dimittere, item difficillimũ ijs præsertim, quibus oculus non est simplex, i. mens ab auaritię sordibus pura, quibus, inquã, cor est, ubi thesaurus eorũ est, sed quid in eodẽ loco dicit scriptura per Ioannis reuelationẽ post mortis, iudicij minas, uincenti, inquit, dabo edere de ligno ui-

tæ, quod est in paradiso Dei mei. opus ergo est uincere, & pro sternere spiritum auaritiæ. Sciebat princeps Apostolorum Petrus laboraturos hoc malo pastores, idcirco ad Episcopos Ponti, Galatię, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ scribens, Episcopantes, inquit, non coacte, sed uoluntarie secundum Deum, deinde subiungit, neq; turpis lucri gratia, sed prompte, neq; ut dominantes in cleris. tolle habendi, & dominandi cupiditatem, facile patietur, qui in eccclesia sua residere non vult, aut non potest, alteri eam tradi qui possit, & uelit cum ouibus suis uiuere, & inter eas esse, ut debet, & easdem cum iudicio pascere secundum Deum. Qui ergo non uicerit uoluntatem carnis suę, quæ pastorem facit extra ecclesiam suam residere, aut eam alteri non tradere canonice, & quæ facit curam, atque studium ouium suarum charitatem, inquam, primam relinquere, & ab ea excidere, hic non de ligno uitæ, quod est in paradiso Dei, comedet, id est, uitã æternam non participabit. Christus.n. qui est sapientia patris, lignum uitę est apud Salomonem, & uita æterna apud euangeliũ Ioannis, non inquã, comedet de hoc ligno uitæ, sed de ligno mortis sempiternæ in inferno cum diabolo, & angelis eius. Quemadmodum ergo uiuere poterit, & ulla ratione dispensationis tutus esse coram Deo, cui cibum ligni mortis minatur Deus non uincẽti? esto ergo, præter illas virtutes, quas supra commemoraui, habeat Pastor, & Episcopus quod Angelus Ephesi, oderit facta Nicolaitarum, quæ Deus odit, sit inquam continentissimus, ut erant incontinentissimi Nicolaitę, ita ut post manus impositionem dicerent, non licere absq; uxore esse, uide tamen, quid spiritus ueritatis dicat, uincenti, id est, redeunti unde exciderat uictus, sic enim prius dixerat, memor esto, unde excideris, dabo edere de ligno uitæ, exciderat autem a charitate prima, quam erga ecclesiam suam reliquerat, uitam hoc loco uincere sit pro eo quod est nunq̃ cadere, aut certe redire, unde exciderit. Qũo ergo fingi põt tutus corã Deo, quem diuina sñia excidisse dicit? qũo stat, si uictus cecidit, & iacet? Heli summus sacerdos arguebat quidem, & increpabat filios suos, ut sacra historia testatur, ꝙ cum mulieribus, quæ ad ostium tabernaculi obseruabãt, dormirent, & populum domini transgredi facerent, qui tamen cõtra legem Deuterono. de filio contumace monita patris non audiente, reprehensionibus tantum, non supplicijs agendum esse putauit, & non uerbis, sed manibus parcẽdum, idcirco dominus ecce

inquit,

inquit, dies ueniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua, & quæ sequuntur, perinde quasi diceret, ut quidam uetus, & ecclesiasticus auctor interpretatus est, quia ego per pastoralis officij dignitatem contra inimicos meos brachium tibi fortitudinis contuli, sed tu ad eorum ultionem illud extendere noluisti, iam brachium a te præcidam, idest, uigorem, tibi sacerdotalis culminis auferam, ut qui manchus fueras ad pugnandum pro me, iam neque manum habeas ad tuendum te. An hoc propter Heli tantum scriptum est, ac non etiam propter eos Episcopos, & pastores, atque abbates, quicunque eum imitati fuerint? quibus diuina sententia non solum brachium præcidendum esse minatur], quia exemplo Heli malos filios de medio ecclesiæ suæ potestate sua non tollant, ut iuxta scripturam per quæ quis peccat, per ea torqueatur, sed & oculos eruendos, & linguas præcidendas minari etiam interpretanda est, quia iuxta exprobrationem Esaiæ sint cæci speculatores, & canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes, & armantes somnia. Quemadmodum enim non cæci, qui uidere uultum pecoris sui uolunt? aut quemadmodum non muti, cuius uocem oues non audiunt? Vt uero hæc de auaris pastoribus dicta acciperemus, & inde uitium proficisci, quòd non sponte secundum Deum, sed turpis lucri gratia pascerent, subiunxit statim propheta, canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Quæ igitur dispensatio pontificalis incolumem, & saluum seruarit, cui diuina sententia in Heli sacerdote brachium præcidendum esse minatur? & qui Heli summo sacerdoti, seni honorato, annis uiginti populum cum magna laude, & gratia moderato, tum filios suos increpanti, quia de medio etiam non sustulit, non pepercit, parcet is pastori suos, & ecclesiæ suæ filios ne increpanti quidem, cum peccant, & fortasse etiam conniuenti? parcet inquam culpa sua neq; uidenti, neq; loquenti? & quemadmodum filios habebit subditos cum omni castitate, qui eos non solum neq; punit peccantes, neq; increpat, sed neq; uidet, neq; audit? an hoc de filijs tantū secundū carnem præcepit Apostolus, ac nō potius Episcopū domui suæ bene præesse uoluit, ut sicut idē dixit, ecclesiæ Dei diligentiā haberet? Sed iam quia iuxta parabolam domini sicut seminato bono semine uenit inimicus eius, & superseminauit zizania, quæ tunc cœperūt apparere,

cum herba illius boni seminis creuerat, sic nunc post semen sanæ doctrinæ, & eius qui secundum pietatem est, fidelis sermonis satum in cordibus piorum, & ueritatem Christi amacium aliæ rursus spinæ oriuntur ad suffocandum sementē, quę tunc magis apparent, & cernuntur, cū iam hæc doctrina sana radices egisse, & rationibus scripturę sanctæ satis fortasse firmata esse videatur, id circo, & quidem paruo conatu, & cito, si dominus per miserit, ita euellam eas, ut nihil fortasse zizanij remaneat. quemadmodū ergo inquiunt, summa est in terris potestas, & autoritas pontificalis, aut quemadmodum non est frustra summa, & frustra supra omnes ecclesias, & ecclesiarum Episcopos, si non eis potest ad uoluntatem suam uti in ministerio præsertim utili, & necessario, ita ut extra ecclesias suas apud se resideant, si ita malit? uno uerbo respondebo, non quid facere possit, sed quid, & quatenus facere debeat, quærendum esse. Omnia, inquit, Apostolus, mihi licent, sed non omnia expediunt, scilicet erant tunc, qui dicerent ut, ne nunc quidem desunt, qui dicant, frustra facta esse omnia, nisi omnibus uti liceat, quibus Apostolus, omnia, inquit, mihi licent, perinde atq; diceret nostra in se transfigurans, ut solet, possem scortari, potare, ludere, si quæ facere possem, non quę debeo essent mihi facienda, possem quidem omnibus uti, at non omnia inquit, ad possidendum regnum Dei expediunt; non inquam, omnia facere debeo, neq; omnibus uti, si regnum Dei possidere uelim. omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem, hoc, inquit, in omnibus tenendum est, ut quamuis omnia possimus, tamen discernamus quænam fieri non debeant, & si possint tamen. omnia enim nostra sunt, & omnia sunt sub pedibus nostris subiecta, ut tamen in illis utendis, & dominandis legem Dei seruemus, uirtutem ostendamus, & operemur, illaq; nobis, idest legi mentis, non autem nos illis subijciamus, quod est in potestatem eorum redigi, sicut scriptum est, qui facit peccatum, seruus est peccati. itaq; utendum est, inquit, cibis non ad seruiendum uentri, & gulæ, quod quidem possumus, si uelimus facere, quatenus possumus secundum carnem ambulantes, non quatenus debemus ratione utentes ad seruiendum, ut debemus, uentri ad necesſitatem naturæ, item corpore utendum ad seruiendum Domino, non autem fornicationi. ad hunc modum utendum Pontifici potestate sua, non quatenus potest, sed quatenus debet. non itaque in huiusmodi, quæ in scriptura sancta sancita

sunt,

sunt, ulli est de eo præsumendum, aut gloriandum, quod illi Pontifex potuit utcunq; concedere, sed de eo, quod debuit, sic enim ut cum Apostolo dicam, gloriam habebit in semet ipso. non in quam, in his tutum reddit coram Deo, quicquid Pontifex facit sed quod canonice, & ecclesiastice, ac legi Dei conuenienter facit, in eo enim, ut quidam ueterum patrum dixit, sita est uirtus, de qua sola præsumendum est in Domino, & gloriandum, ut omnibus secundum Dei obedientiam utamur, siue serui, siue domini, siue diuites; siue pauperes, siue subiecti, siue potestates, probantes, sicut Apostolus ait, quæ sit uoluntas Dei, beneplacens, & perfecta. Si Pontificis potestas summa Pastoralis alioqui supra firmitatem fidei fundata, euangelica lege de pascendis ouibus constituta, & sancita est, quemadmodum, aut qua ratione legem diuinam, qua ipsa potestas constituta est, destruere debebit? aut quemadmodum legem de pascendis ouibus uniuersis, & charitatem diuinæ huius legis fundamentum, rectamque rationem pascendi non destruat, si dispensare possit, ut Pastor, & Episcopus, siue proprius, ecclesiæ, siue tanquam proprius extra ecclesiam suam resideat? idest, ut non per ostium Christi principis Pastorum, & Episcopi animarum nostrarum, neque per ostium euangelij eius intret in ouile, sed aliunde, ut sit fur, & latro, mactet, & perdat? liceat dicere de Pontifice, quod Paulus de se dixit, nihil potest aduersus ueritatem, sed pro ueritate omnia, non accepit charismata pontificatus, & dispensationis ecclesiasticæ mysteriorum Dei aduersus iustitiam, sed pro iustitia, non aduersus rectam rationem pascendi, sed pro ratione pascendi moderata, denique non ad destructionem accepit, sed pro ædificatione, accepisset autem ad destructionem, si posset auctoritate sua tutos reddere coram Deo extra ecclesias suas residentes. etenim si posit tutos reddere, quid obstarit, quo minus, posit etiam canonicè cogere, ut extra ecclesias apud se in curia resideant? Sed Deo gratias, quòd neque ad hoc accepit charisma, neque eo utitur ad hoc, neminem Pontifex cogit extra ecclesiã suã residere, & non eam saltẽ relinquere proprio pastori, aut tanquã proprio cõmendatam, qui possit, & uelit residere, neq; coegit unquã. Sic Paulus ad destructionẽ, ut ipse ait, accepisset charismã uirtutis, quali usus est in Elyma mago excæcando, & Corinthio Satanę tradẽdo in interitum carnis, si ad punien-

puniendos,cogendosq; beneuiuentes, & ad ueritatem euangelij ambulantes illo sibi unquàm utendum fuisset. Sed rursus aiunt, esto,facere hoc non debeat, quod tamen facit Pontifex, de hoc ipse uiderit,quid,& qua ratione dispenset,ipse rationem reddet, ut est in uetere prouerbio,aliena insania frui,sic ego alieno peccato,& errore fruar. At alia ratio est dispensationis eorum, quæ non sunt diuino iure sancita,alia eorũ quæ sunt,in hæc enim cum non poterit œconomia,& dispensatio cadere,quia nihil causæ de esse uideatur,quominus quis diuina illa sanctione teneatur, ut in legitimis uotis,& iuramentis,tunc dispensatus tutus non erit coram Deo,similiter in residentiam extra ecclesiam suam quia nulla œconomia ecclesiastica,& canonica cadere potest, ut satis supra demonstratum est,idcirco neq; dispensato licebit errore dispensantis frui sine crimine,& malo quoque suo. Liceret autem, si ut in milite,& duce terreno, sic cogitandum esset in Pontifice hierarchiæ ecclesiasticæ duce,ac principe,ceterisq; pastoribus,siue proprijs,siue tanquàm proprijs, qui sub pontifice, tanquàm principe duce militant Deo,pręsidio animarum præpositi. miles enim sæculi,ut apud Greg. VII. lib.7. registri ad principes Britaniæ scriptum est,pro tuenda iustitia sua,uel domini,uel amici,seu etiam pauperum,necnon pro defendendis ecclesijs,neque tamen sine religiosorum uirorum consilio, qui æternę salutis consilium dare consueuerunt,iuste militat,scilicet ueniens huc, aut uadens illuc,in hac, aut illa statione residens ad nutum eius potestatis, sub qua est,si tamen ut est in eodem euangelio,contentus suis stipendijs neminem concutiat, neq; calumniam faciat, quare arx, aut castrũ,quod is miles custudiebat,si absentia eius, quem dux extra custodiam residere uelit, amissum fuerit,non fuerit fraudi militi,neque culpæ eius assignabitur,sed ducis, aut principis. at non sic in militia spirituali hac, nõ enim dux sæculi,siue terrenus, sed ut Apostolus presbyteris Ephesijs dixit,spiritus .s. posuit episcopos,ceterosq; pastores spirituales regere ecclesias Dei,ut uigilarent pro animabus tanquam rationem reddituri, & si quid propter absentiam Pastoris iniquam idest, neque ecclesiasticam, neque œconomicam,qualis est residentia extra ecclesiam suam, commissum fuerit,uel non Pontifex, uel certe non pontifex solus,sed ipse in primis rationem reddet, qui est pastor proprius, aut tanquam proprius. non enim rex terrenus, sed Deus,cœli & terræ Christus Iesus dixit Petro,& in eo ceteris omnibus spiri-

tualibus pastoribus, pasce oues meas, Dei uox est, non hominis. Quare si isti Dei oues sunt uocem eius audiant, & nō uocem alienorum, qui peruersa loquuntur, & ut Apostolus ait, abducunt discipulos post se auocantes eos, qui peruerse tradunt, licere aliquando Episcopis, ceterisq; pastoribus extra ecclesias suas residere apud Pontificem. Cum enim episcopi sint oculi in corpore Christi, quod est ecclesia, sint forma gregis, lucerna, sal, si potest Pontifex facere, ut corpus sine ducibus oculis dirigatur, & si facere, ut informetur grex sine eo, qui a Deo positus est, ut fiat forma gregis, & si prętare potest, ut sine sale saliatur populus, & sine lumine illuminetur, ne sit fraudi oculis, si non uideant, neque formæ, si nunquam informet, neque sali, si non saliat, neque lumini, si non luceat, & illuminet. Sed si hæc non potest efficere, neque iste dispensatus tutus fuerit coram Deo. Sed ecce aliud ex alia parte zizanium apparet, si non licet, inquiunt, neque licere potest œconomice, & dispensatorie, ut pastor extra ecclesiam suam residens, per alios, ut per uicarios, & uisitatores diligentissimos, & optimos regat ecclesiam, quemadmodum Pontifex, cui omnes ecclesiæ commissæ sunt ad regendum, hoc ipsum per alios facit, quia scilicet per se non possit in omnibus ecclesijs residere. an non liceat cuique episcopo, quod primo episcopo, cuius forma omnibus proposita est? satis copiose in meo de residentia pastorum iure diuino scripto sancita libro docui, unam eandemq; esse pastoris spiritualis rationem, quicunque ille esset siue maior, siue maximus, & princeps ceterorum, ut est Pontifex, datamq; esse Petro principi Apostolorum potestatem pascendi cuncti orbis illis uerbis, Pasce oues meas, eidem primum & singulariter dictis, ceteris uero pastoribus dictis in Petro communiter. itaque per Petrum ex eadem lege diuina de pascendis ouibus sancita manasse ad ceteros alios pastores priuatos pascendi singulas ecclesias potestatem. quare non minus teneatur residere in diœcese sua Pontifex, quàm ceteri pastores, ut unusquisque pastor rationi Pastoris respondeat, quæ una est omnium, sicut una est ratio hominis, esto, non sit unus omnium hominum gradus, & ordo. est autem diœcesis Pontificis una, ut ex Calcedonen. concilij can. 9. perspici potest, si clerico, inquit, cum suo, aut cum altero episcopo lis fuerit, iudicetur ea lis in synodo prouinciæ, sin autem cū prouinciæ Metropolitano uel episcopus, uel clericus litiget, adeat principem diœceseos, uel ad sedem regiam Constantin. hunc canonem

Nicolaus

Nicolaus Primus interpretans in epiſtola ad Michaelem Impera tore quem, inquit, principē, ſiue primatē dioeceſeos ſancta Syno dus dixerit, præter Apoſtoli primi uicarium nullus penitus intelli gitur. itaq; uniuerſarum dioeceſeon principem intelligi uoluit, uelut unius dioeceſeos, hoc eſt unius ouilis, ut ſit, ſicut dominus ait, & inſtituit, unum ouile, ſicut unus primus paſtor in terris. Vt ergo Pontifex, cuius forma omnibus propoſita eſt, in dioeceſe ſua perpetuo reſidet, neq; ab ea unquam recedit, in quacunque enim eccleſia eſt, in dioeceſe ſua eſt, ſic ceteri paſtores debēt quiſque in dioeceſe ſua priuata reſidere, & ut Pontifex in dioeceſe ſua reſidens per nullos mercenarios eccleſias regit, ſed aut per ſe, ut ciuitatem, cui non præeſt alius epiſcopus præter ipſum, aut per proprios Epiſc. ſiue tanquam proprios ut ceteras ciuitates, ſic ceteri epiſcopi quiſq; in dioeceſe ſua reſidentes non per mercęna rios, ſed per proprios compaſtores, & parochos, aut tanquàm proprios idem facere debent. Quid igitur in Pontifice reperiunt iſti ad defendendam reſidentiam extra dioeceſes, ciuitatesq; ſuas, & eccleſiarum per mercenarios adminiſtrationem? imo quanquam Pontifex ubicunque ſit, in dioeceſe ſua ſit, habeantq;, ſi ita ponamus, prouinciæ epiſcopos ſuos præſentes, uide tamen quid Greg. VII. Pont. lib. V. reg. ſui de munere ſuo, ideſt, Pontificis dicat, quoniam propter multas occupationes ad peragendum noſtrę ſolicitudinis debitum ſingularum prouinciarum eccleſias per noſmetipſos uiſitare non poſſumus, neceſſarium ualde eſt, ut exigente ratione, uel tempore aliquem modo ad has, modo ad illas partes mittere ſtudeamus, per quem commiſſa nobis ſecundum uoluntatem Dei repreſentetur auctoritas, & dominici gregis ſalus, atq, communis prouideatur utilitas. Scimus enim quoniam ſine detrimento, & magno animarum periculo eſſe non poteſt, cum illius diligentia, ad quem ſumma negotiorum, & curę neceſſitas præcipue ſpectat, diu ſubditis, ac commiſſis ſibi fratribus deeſt. Quid igitur reſpondebunt epiſcopi extra eccleſias, & dioeceſes ſuas reſidentes, ſi hoc Pontifex, qui nunquam extra dioeceſem ſuam reſidet, de ſe profitetur? Audiui alium, nō mentior, ne quis a me fingi putet, cum mihi diceret, quid? ſi malus epiſcopus ſit, imo peſſimus, & uerius lupus, qui auare, coacte, & tyrannice præſit non ſecundum Deum, ſed ad libidinem, & arbitrium ſuum, factus non forma gregis, ſed ſcandalum, & ruina, an nō præſtarit abſentem eſſe hunc? quaſi hac ratione uideri uellet, non

ſſe reſidentiam iure diuino ſancitam.& ſi nihil erat iſtis reſpondendum, qui legem Dei malitia hominum infirmari putant, aut poſſe tolli, tamen reſpondebo, quod Athanaſius patriarcha cõſtant, quem ſupra iterum memini, Epiſcopis ad diœceſes ſuas proficiſcentibus ſcripſit, ſi mali paſtores eſſet, ut meminiſſent, non iam licere ſibi pręſentibus munere paſtorali fungi, id enim ſummæ eſſe irreuerentiæ, & ſcandali plenum, præſtareq; abſentes eſſe, at tunc reos quidem eſſe uacationis ſuę, & abſentiæ. ita que non licet præſentes eſſe, ſi mali ſint, & abſentes non erunt impune, quia ſcilicet ipſi in culpa ſint, cur non liceat præſentes eſſe ut quidem eſſe debent, ita fit, ut præſtat eos mori,& ex hoc mundo exire, quam furijs cõſcientiæ exagitatos nuſquam abſq; peccato miniſterij ſui alioqui ſanctiſſimi conſiſtere. idcirco de iſtis mouebo, inquit, dominus, paſtores, ne ultra paſcant gregem. Rurſus fit, ut cum abſentem eſſe non liceat, neq; præſens extra culpam, & crimen ſit, mouendus omnino ſit epiſcopatu, qui ſic eſt, & in locum eius alius ſubſtituendus, quare quod paſtores in eccleſijs ſuis adeſſe uolumus, idq; lege diuina conſtitutum eſſe, quæ ſolui non poſſit, contendimus, eo ſpectat, ut bene preæſſe poſſint, quodquidem abſentes pręſtare non poſſunt. Si qui autem alioqui præſentes male præſunt, uiderit de eis, qui eccleſiæ princeps eis in eccleſia parcit. interim populi fuerit cauere, ne ſi ſe in caput ſuum iactet, aut admurmuret, non in hominem, ſed in Deum admurmurare, & Deum abijcere uideatur. Sed rurſus alius, quid inquit? ſi quod ipſe in diœceſe facturus ſum, multo id melius, ac diligentius mercenarius faciat? imo quid? ſi Epiſcopus ſim ineruditus, ęger, ſenex, odioſus, mercenarius uero doctus, robuſtus, gratioſus, promptus, adde etiam, omni genere uirtutis præditus, non liceat mihi extra eccleſiam reſidere præſertim uoluntate Pontificis, qui omnibus præeſt? & tali ac tanto vicario licet mercenario, in utranque aurem dormire? dicere mihi uidetur iſte, an non liceat mihi furari, ſi miniſtrum habeam domi fidelem? an non liceat adulterare, ſi uxor mea pudice, & diligenter a meis cuſtodiatur? ſi euangelizauero, inquit Apoſtolus, non eſt mihi gloria, quia ſcilicet cum id perfecerimus, quod mandatum eſt, ut fiat, ſeruos nos inutiles ſecundum euangelium exiſtimare debemus, tantum abeſt, ut gloriari debeamus. deinde ſequitur, neceſſitas enim mihi incũbit, ue enim mihi, ſi non euangelizauero, quòd ſi non licet gloriari

riari de eo, quod nos per nos secundum Dei legem agimus, quẽ admodum liceat gloriari de eo, quod alter pro nobis agit? qđ per alium legitime licet agere, ut cum Episcopus œconomice abest ab ecclesia ut in synodo, aut in alio negotio ad ædificatio nem necessario, celeriter rediturus, tunc quod per vicarium in terim agit in diœcese sua, per se quidem agere censetur, ita ut præsentia vicarij, Episcopi sit præsentia, neque tam uicarius ꝓ Episcopo tunc in ecclesia residet, quam ipse Episcopus per uica rium. Longe enim inter se hæc differunt, ut mox ostendam, atque ita illius interim bona gubernatio in gloriam redit Episcopi, mala uero, si culpa, & uitio Episcopi mala est, redit quoque in malum Episcopi, siquidem ipsius est gubernatio, & in malũ uicarij tanquam cooperarij. Quod uero non licet per alium legitime agere, ut cum Episcopus extra ecclesiam suam residet quod nulla ratione licet, tunc quod per vicarium suum mercenarium agit in ecclesia sua, non per se agere censetur, atque ita illa uicarij præsentia, siue residentia, non est Episcopi residentia, sed residentia uicarij pro Episcopo, siue loco Episco pi, quem idem Episcopus deseruit. longe enim hæc duo inter se distãt, ut in baptismo infantis intelligi potest, legitime enim per alium credit, & abrenunciat, non autem alius pro eo, ut sanctus Dionisius Areopa. tradit. quare si bonus est uicarius residens loco Episcopi residentis extra ecclesiam suam, non redit in gloriam ipsius Episcopi, qui locum suum dereliquit, at si malus, redibit etiam in malum ipsius Episcopi, cuius culpa factum est, ut mercenarius resideat pro eo, quod quidem legitime, & ecclesiastice fieri non potest. Vt ergo mulier non est gloria ministri sui, sed uiri sui, sic ouile non est gloria & corona mercenarij, sed ipsius Pastoris proprij, uel tanquam proprij, cui necessitas incumbit residendi in ecclesia sua, ut ibi fieri possit forma gregis sui, & ue illi est, si resideat extra eam, ne itaque Episcopus, aut Pastor alius de bono vicario, & mercenario præsumat, nõ.n. de vicarijs, & mercenarijs scriptũ est, ipsi enim uigilant pro animabus uestris tanquam rationem reddituri, unusquisq; inquit, Apost. reddet rationem pro se, reddet quidem pro se mercenarius rationem de ouibus tanquam mercenarius, & pastor pro se rõne de eisdẽ ouibus tãq̃ pastor. ne inq̃ glorietur Episc. de bono mercenario, neq; se de il lius fideli ministerio cõmẽdari putet, quin potius opus suũ ꝓbet,

sicut

sicut Apost. ait, intueaturq; in testimoniũ conscientiæ suæ, quod est se secum metiri, ut idem Apost. in alio loco dixit, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in alio, idest, in bona gubernatione, & administratiõe mercenarij, quæ aliena est, idest, quæ non est episcopi residẽtis extra ecclesiam, ut paulo ante dixi. Sed age, si talis, tantusq; est bonus iste mercenarius, & tu episcope, aut tu Reuerendiss. non potes, uel non uis in ecclesia residere tua, cur non pateris in locum tuum ordinari? aut cur si fieri potest, non petis adiutorem tuum canonice cõstitui? Sed rursus sunt alij, qui eos saltem episcopos excipiendos esse putant, qui sunt publico, & generali munere apud Pontificem occupati, ut enim in toto partes, & in genere singulas species, sic in munere aliquo commu ni, idest, in omnes mundi ecclesias pertinente priuatam cuiusque ecclesiæ curam contineri, ex hoc numero aiunt esse Reuendissimos Inquisitores, & Reuerendos Rotæ auditores, illos enim in cunctos cuncti orbis homines inquirere, hos item cuncti orbis causas audire, & iudicare. item Reuerendissimos utruisq; signaturæ præsidentes, & Reuerendos Referendarios, & si qui alij sunt huiusmodi, non itaq; uitium esse sic ab ecclesijs suis abesse, non magis quàm episcopos ad Synodum conuocatos. Diximus supra de absentia episcoporum in Synodis, quo illa modo & ratione œconomica esset, & quomodo in eam prudens, & iusta, atque utilis dispensatio caderet, quæ quidem absentia, si diuturna esset, ne ipsa quidem posset non esse pestilens, cũ qua quid quæso commune habet istorum, quos exceptos uolunt, episcoporum absentia? an breuis illa est? & ad constituendas res ecclesiasticas, & canones communiter de concilij sententia sanciendos ad breue tempus commodata, quibus omnibus celeriter perfectis celeriter redeundum sit? Fateamur pernecessarios eos esse ecclesiæ catholicæ Romanæ omnium ecclesiarum parenti, eidemq; commodissimos, sed nunquid iuxta scripturam Deus, aut certe sponsa eius castissima peccatis nostris indiget? an faciamus mala, ut eueniant bona? an non eorum qui sic putant, iustam esse damnationem pronũciat Apostolus? satis ille episcopus Ephesi in Apocalypse beati Ioannis ab spiritu laudatur, scio, inquit, opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos, & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. conueniunt quidem hęc, ac magna etiam

riari de eo, quod nos per nos secundum Dei legem aginius, quẽadmodum liceat gloriari de eo, quod alter pro nobis agit. & qđ per alium legitime licet agere, ut cum Episcopus œconomice abest ab ecclesia ut in synodo, aut in alio negotio ad ædificationem necessario, celeriter rediturus, tunc quod per vicarium in terim agit in diœcese sua, per se quidem agere censetur, ita ut præsentia vicarij, Episcopi sit præsentia, neque tam uicarius pro Episcopo tunc in ecclesia residet, quam ipse Episcopus per uicarium. Longe enim inter se hæc differunt, ut mox ostendam, atque ita illius interim bona gubernatio in gloriam redit Episcopi, mala uero, si culpa, & uitio Episcopi mala est, redit quoque in malum Episcopi, siquidem ipsius est gubernatio, & in malũ uicarij tanquam cooperarij. Quod uero non licet per alium legitime agere, ut cum Episcopus extra ecclesiam suam residet quod nulla ratione licet, tunc quod per vicarium suum mercenarium agit in ecclesia sua, non per se agere censetur, atque ita illa uicarij præsentia, siue residentia, non est Episcopi residentia, sed residentia uicarij pro Episcopo, siue loco Episcopi, quem idem Episcopus deseruit. longe enim hæc duo inter se distãt, ut in baptismo infantis intelligi potest, legitime enim per alium credit, & abrenunciat, non autem alius pro eo, ut sanctus Dionisius Areopa. tradit. quare si bonus est uicarius residens loco Episcopi residentis extra ecclesiam suam, non redit in gloriam ipsius Episcopi, qui locum suum dereliquit, at si malus, redibit etiam in malum ipsius Episcopi, cuius culpa factum est, ut mercenarius resideat pro eo, quod quidem legitime, & ecclesiastice fieri non potest. Vt ergo mulier non est gloria ministri sui, sed uiri sui, sic ouile non est gloria & corona mercenarij, sed ipsius Pastoris proprij, uel tanquam proprij, cui necessitas incumbit residendi in ecclesia sua, ut ibi fieri possit forma gregis sui, & ue illi est, si resideat extra eam, ne itaque Episcopus, aut Pastor alius de bono vicario, & mercenario præsumat, nõ.n. de vicarijs, & mercenarijs scriptũ est, ipsi enim uigilant pro animabus uestris tanquam rationem reddituri, unusquisq; inquit, Apost. reddet rationem pro se, reddet quidem pro se mercenarius rationem de ouibus tanquam mercenarius, & pastor pro se rõne de eisdẽ ouibus tãq̃ pastor. ne inq̃ glorietur Episc. de bono mercenario, neq; se de illius fideli ministerio cõmẽdari putet, quin potius opus suũ ꝓbet,

sicut

ſicut Apoſt. ait, intueaturq; in teſtimoniũ conſcientiæ ſuæ, quod eſt ſe ſecum metiri, ut idem Apoſt. in alio loco dixit, & ſic in ſemetipſo gloriam habebit, & non in alio, ideſt, in bona gubernatione, & adminiſtratiõe mercenarij, quæ aliena eſt, ideſt, quæ non eſt epiſcopi reſidẽtis extra eccleſiam, ut paulo ante dixi. Sed age, ſi talis, tantusq; eſt bonus iſte mercenarius, & tu epiſcope, aut tu Reuerendiſs. non potes, uel non uis in eccleſia reſidere tua, cur non pater is in locum tuum ordinari? aut cur ſi fieri poteſt, non petis adiutorem tuum canonice cõſtitui? Sed rurſus ſunt alij, qui eos ſaltem epiſcopos excipiendos eſſe putant, qui ſunt publico, & generali munere apud Pontificem occupati, ut enim in toto partes, & in genere ſingulas ſpecies, ſic in munere aliquo communi, ideſt, in omnes mundi eccleſias pertinente priuatam cuiuſque eccleſiæ curam contineri, ex hoc numero aiunt eſſe Reuendiſſimos Inquiſitores, & Reuerendos Rotæ auditores, illos enim in cunctos cuncti orbis homines inquirere, hos item cuncti orbis cauſas audire, & iudicare. item Reuerendiſſimos utriuſq; ſignaturæ præſidentes, & Reuerendos Referendarios, & ſi qui alij ſunt huiuſmodi, non itaq; uitium eſſe ſic ab eccleſijs ſuis abeſſe, non magis quàm epiſcopos ad Synodum conuocatos. Diximus ſupra de abſentia epiſcoporum in Synodis, quo illa modo & ratione œconomica eſſet, & quomodo in eam prudens, & iuſta, atque utilis diſpenſatio caderet, quæ quidem abſentia, ſi diuturna eſſet, ne ipſa quidem poſſet non eſſe peſtilens, cũ qua quid quæſo commune habet iſtorum, quos exceptos uolunt, epiſcoporum abſentia? an breuis illa eſt? & ad conſtituendas res eccleſiaſticas, & canones communiter de concilij ſententia ſanciendos ad breue tempus commodata, quibus omnibus celeriter perfectis celeriter redeundum ſit? Fateamur perneceſſarios eos eſſe eccleſiæ catholicæ Romanæ omnium eccleſiarum parenti, eidemq; commodiſſimos, ſed nunquid iuxta ſcripturam Deus, aut certe ſponſa eius caſtiſſima peccatis noſtris indiget? an faciamus mala, ut eueniant bona? an non eorum qui ſic putant, iuſtam eſſe damnationem pronũciat Apoſtolus? ſatis ille epiſcopus Epheſi in Apocalypſe beati Ioannis ab ſpiritu laudatur, ſcio, inquit, opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. conueniunt quidem hęc, ac magna etiam

cum laude tum in Reuerendiſſimos Inquiſitores, qui miro ſtudio & labore, & incredibili zelo Dei, & animarum in eos inquirunt, qui ſe dicunt tenere, ac profiteri Apoſtolicam doctrinam, & non eſt, tum in Rotæ Auditores, qui ſingulari patiẽtia actiones litium calumnijs, & innumerabilibus fallacijs, & artificioſis cauillis implicatas ſuſtinent, & explicant ſuum cuiq; ius tribuẽtes. Sed quid poſt tot illius epiſcopi laudes ſequitur in Apocalypſe, ſed habeo, inquit aduerſus te, quòd charitatem primam reliquiſti, at quæ alia potius quæſo intelligenda eſt prima charitas epiſcopi, & paſtoris, quàm illa ipſa erga oues ſuas tanquàm erga primos proximos, quorum curam paſtoralem ſuſcepit, charitas? quàm quidem qui prꝑſtarit, legẽ impleuit, qui uero non præſtarit, factus eſt reus totius legis uiolatæ, ita ut nihil illi ad ſalutem cetera oficia, ac virtutes prodeſſe poſſint, niſi redeat, unde exciderit, & acta pœnitentia, primum opus ſuum, ideſt, epiſcopatus ſui bene gerẽdi faciat. Iuſtiſſima itaq; ſunt illa, & ſanctiſſima, ac toti eccleſiæ perneceſſaria, quæ a Reuerendiſſimis Inquiſitoribus, qui eccleſias tenent, curantur, & geruntur, itẽ quæ ab Auditoribus Epiſcopis, quæ tamen ipſa non eſt iuſtum, ut ab his curentur. ſcriptum eſt enim in Deut. quod iuſtũ eſt iuſtæ eſſe exequendum, quod Dion. Areop. accomodatiſſime ad id quo de agitur, multis exemplis ſubiectis, & grauiſſimis in epiſtola ad Demophilũ monachũ elegantiſſime, & ualde copioſe interpretatur. Nemini. n. licet quod ſui ordinis, ac gradus propriũ eſt, deſerere, ut quod propriũ nõ eſt, ſuſcipiat, omnia, inquit, Apoſtolus, ſecundũ ordinẽ fiant in uobis. ordinis. n. ut idẽ Dionyſius ait, turbatio uiolatio legis eſt, illum uero qui perturbat, exiſtimans alioqui ſe ſic Deo ſeruire, Deũ diuidit, & ſe cum diſſentientẽ facit, quaſi utroq; gaudẽtẽ, & ordine, & ordinis perturbatione, ꝙ ſi Deus diuiditur, quomodo inquit Dionyſius regnũ eius ſtabit? Obijciunt præterea ſanctum Paulinũ Nolanæ urbis epiſcopũ, qui, ut. S. Greg. lib. 3. Dialogorũ narrat, in Africam cũ uidua profectus ſit, ut ubi pro filio uiduę captiuo ſponte ſeruiret, quod diu feciſſe ſcribitur, quod ſi extra eccleſiam reſidere a Deo prohibitum eſſet, quemadmodũ aiunt, ita diu ſanctus epiſcopus ab eccleſia ſua abſuiſſet? neq; aduertũt iſti prohiberi quidẽ abſentiam paſtaris, quia pernicioſam ouibus ſuis, ex quo fiat, ut ſi qua abſentia utilis eiſdem ſit, ſit illa quidem iuſta, & ſancta, ut fuit ſancti Paulini profecto in Africam, & illa in Africa mora diuturna, ut plurimos eccleſiæ ſuæ illic captiuos liberaret, & ſecum

cum

cum reduceret,quodquidem effecit, qua fuit gratia apud generum regis Vandalorum, ut idem quoque Gregorius in eodem loco narrat. Quid ergo ad istorum causam sanctissimi huius episcopi exẽplum facit,qui animam suam pro ouibus suis ut bonus pastor posuit cœlestem illum pastorem magnum, & episcopum animarum nostrarum imitatus, qui relictis nonaginta nouẽ ouibus,unam,quæ perierat,iuit quęsitum? Audiui alios,qui dicerẽt, arduam esse hanc de residentia quæstionem, & difficilem, atque nouam causam,quare consilij determinatione opus esse. Hoc facere solent, qui metuunt causam perdere, iudicium prorogari uellent,& id curant,cum possunt,præiudicio quidem conscientiæ suæ iam damnati,quorum sermo sicut cancer serpit. Proxime ad hos accedunt, qui dissimulandum, & ferendum esse aiunt hoc tempore,non aliter quàm Deus tum hoc,tum alia dissimulare,& ferre uideatur,sic enim interdum puniri peccata,de quibus nihil dicam aliud nunc,quàm quod uideo probari istis magis misericordiam Saulis,& clementiam Achaz,& illius prophetæ humanitatem,qui prophetam noluit percutere,quàm Phineis, aut Matthatiæ zelum,aut quàm Petri,& Pauli seueritatem, aut Esaiæ, & Ioannis Bap. audaciam,sed disperdet dominus, ossa eorum, qui ut hominibus placeant,ut cum apostolo dicam,in astutia ambulant,quorum sermo est in adulatione, & non in manifestatione ueritatis. Postremo iam ne quid relinquam zizanij, aut spineti in medio tritici,si qui sunt ex Reuerendissimis,qui de dispensatione ista Pontificis adhuc præsumentes quærant, si ita sit, ut hactenus docuimus,quemadmodum non hoc iam diu uiderit ecclesia catholica Romana,qualis scilicet,& unde profecta sit ordinaria, & publica ista commendatio perpetuæ administrationis, & qualis in ea dispensatio? dixi supra uidisse hoc, & prouidisse ecclesiam, cum sæpe alias, tum postremo cum tempore Clementis V. facta est reuocatio,ut loquuntur,huiusmodi commendationis ecclesiarum, ordinariæ quidem, & publicæ, sed non legitimæ, quam hoc tempore IVLIO III. Pontifice, renouare ut magnopere necessarium est, ita renouandam esse confidimus, & propediem speramus. Sed unde profecta sit, quo magis ijdem intelligant, rursus ego ab eis quæro, licet fortasse importuna quæstio esse uideatur, sed tamen grauisſima, & momenti maximi, similis, atque illa magni Gelasij Pont. Romani in tomo de uinculo anathematis, fingebant enim Petrum Alexandrinum patriar-

patriarcham, qui hæreticorum communione fuerat pollutus, non solum fuisse ab Imperatore absolutum, & si ille absolui ee non poterat, sed Pontificem fuisse postea assensum, & ab eo tandem absolutum. Gelasius uero respondens, ut qui sciret dispensationes Pontificum canonicæ, atque ecclesiasticæ quales esse deberent, si secutus, inquit, est pontificum assensus, adulationis potius fuit, quàm legitimæ sanctionis, si præcessit, doceatur a quibus, & ubi ille sit gestus, si secundum ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, ubi proculdubio requirendum est, si synodali congregatione celebratus, quia in receptione damnati, & expulsione catholici, quia noua causa est, fieri certissimum est, hæc Gelas. Quæro ergo similiter, cum noua & grauis, imo grauissima sit hæc causa, ubi, & quando dispensatio ista perpetuę administrationis ecclesiarum cum ministerio Cardinalatus apud Pontificem obeundo a pontificibus cum collegio fratrum ecclesiastice deliberata, est & canonice decreta, si secundum ecclesiæ regulam celebrata, si paterna traditione profecta, si maiorum more prolata, si competenti examinatione deprompta, denique si synodali, siue consistoriali, ut modo loquũtur, congregatione sancita, an uerius dici possit, quod Gelasius dixit, adulationis pontificũ potius fuisse quàm legitimæ sanctionis. non dicam hæc omnia importune in omni dispensatione requirenda esse, absit, sed tunc, cum noua causa est, aut cum dispensatio œconomica, & ecclesiastica non est, sed peruersa, & pestifera, & cum scriptura sancta discrepans, quæ coram Deo neque tutum reddat dispensatum, neque de ea liceat dispensato præsumere, ac sibi blandiri. Certe si quis canonicarum dispensationum ortus, & origines quæreret, & quæsitas reperire posset, non dubito quin fuerint omnes a principio, cũ noua causa, & grauis fuit ut Gelas. dixit competenti examinatione depromptæ secundũ ecclesiæ regulam celebratæ, maiorum more prolatę, & paterna traditione profectæ. Neque dubitandum esse puto, quin si hæc omnia, quæ Gelas. Pontifex in absolutione illa requirebat, adhibita fuissent, quæ ad maturitatem nouæ, eiusdemque grauissimæ causæ decernendę necessaria esse uidebantur, nunquam huiusmodi dispensatio decreta fuisset. Audebo itaque in domino, & in uerbo scripturæ sanctæ, audebo dicere, non licet tibi Pater sancte sic dispensare, non licet, inquã, habere apud te pastores extra

ouilia

omnia sua residentes in curia, ubi publica omnium ecclesiarum gubernatio, ac reformacio Pontifici curanda est, est autem caput, & summa totius reformationis præsentia bonorum pastorum in ecclesijs suis. non licet tibi non præcipere illis, imo coge te, ut redeant ad ecclesias suas, neque rursus licet inde eos abducere, & accersere, nisi œconomice propter charitatem, statim ut necessitati, & legi charitatis utrinque satisfactum fuerit, quod breue esse necesse est, redituros celeriter. Quare, ut iam tandem finiam, cum non possint Reuerendissimi Cardinales habere ecclesias commendatas, ut modo habent, neq; dispensatio tutum reddat coram Deo dispensatum, superest, ut quid illis agendum esse iudicem, postremo hoc loco dicam, quod iterum in eo libro quem de residentia pastorum primum emisi, scripsimus, nempe simile aliquid ut in Lateranensi concil. Innoc. III. Pont. decretum est de dignitate, cui annexa est parochia, ut scilicet seruiat in maiore ecclesia, & in parochia uicariũ ponat perpetuũ canonice institutũ. idẽ arbitror Cardinales facere debere, seruire in quã semper in maxima ecclesia, & ecclesiarũ omnium parẽte ecclesia catholica Romana, & renunciatione perpetuæ istius administrationis facta sublegere, ac substituere perpetuos pastores auctoritate Pontificis canonice electos, & institutos, ac probatos primum, qui sint proprij Episcopi ecclesiarum titulo, & ministerio, qui per ostium ingrediantur ad ouile, proprias oues uocent nominatim, educant eas ad pascua uiridia, & ante eas uadant. Quod si hoc non fecerint, dicam iterum, uereor, ne illis exprobretur in die domini, quod in euangelio legimus legis peritis exprobratum, Episcopum enim oportet esse doctorem, ue uobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. Vt uero suppetat, unde alantur, hoc enim excusare solent, cum de his monentur, & quidem ut magnifice alantur, quod tanti ordinis splendor, & dignitas fortassis hoc tempore postulare uideatur, alia ratio & quidẽ honesta atque liberalis excogitari poterit, dicam hic quoq;, ꝙ optarim, utinam ecclesiæ ampliores, & opulentiores pro portione bonorum suorum symbolum darent ad eos alendos, quos omni tempore necesse est, præsto adesse Pontifici tanquam consiliarios, & adiutores eius in onere sustinendo. Quod si pergant, ut hactenus fecerunt, ecclasias uacantes retinere, inopiã istã, & sumptus suos magnos excusantes, quid iam clarius in eos dici

potuerit,quam quod per prophetam Ezechielem dictum est, ue pastoribus Israel,qui pascebant semetipsos,non ne greges a pastoribus pascentur? lac comedebatis , & lanis operiebamini, & quod pingue erat,occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, & quæ sequuntur. hi enim sunt qui iuxta beatum Petrum coacte,& non uoluntarie secundum Deum, sed turpis lucri gratia non quidem pascunt,sed quod multo peius est, ecclesias sine pastore retinent,qui mercedem accipiunt,& opus non faciunt, quibus alioqui dispensatio credita est, non autem mercenarijs eorum. Sed hic rursus urgent meliores,da,inquiunt,unde uiuamus,& ecclesias libentissime relinquemus, quibus & si respondere possem, ut relinquerent, fides enim, ut quidam uetus autor dixit,famem non timet, esto tamen,putetur fortasse dissimulandum esse furtum infamie ista,ut leuius crimen, sicuti in prouerb. scriptum est,non mirum si deprehendatur fur aliquis,furatur.n. ut impleat animam esurientem,si uero captus fuerit,soluet septuplum,& cum dederit omnia bona sua,liberauerit se. Sed quid quòd ad furtum,& latrocinium residentis extra ecclesiam suam accedit homicidium animarum, imo & mœchia? de qua idem sapiens in eodem loco subiungit, at mœchus propter inopiam sensus perdit animam suam, & subit dolorem, & dedecus, tunc ignominia eius non delebitur in seculum, animus enim uiri mulieris illius zelo plenus non parcet in die iudicij, non commutabit ullo prætio inimicitiam,neque dissoluetur illa multis muneribus. Quanto ergo satius fuerit fame perire, quàm oues perditas de manu requiri? & a derelictis,neglectis,& direptis in die nouissimo iuxta euangelium sugillari,cũ faciet Dominus uindictam electorum suorum? quanto inquam melius a fame, & siti interire, quàm iuxta Apocalypsem beati Ioannis in stagno ardenti igne,& sulphure cum timidis,& incredulis,& homicidis,& fornicatoribus reperiri? Iam de his qui satis esse putant, si æstiuis temporibus,aut grauibus autumnis tanquàm hospites ad ecclesias suas boni cœli credo,& mitis eant, retro in urbem aspicientes, commodum pro arbitrio post pauculos menses,si forte menses sint in eam redituri,vbi domos,& bonam familiæ partem interim relinquerunt, de his inquam nihil aliud modo dicam, nisi q Dominus in euangelio,non esse aptos ad regnum cœlorum,qui respicientes retro mittunt manum ad aratrum,neq; saluos esse posse,si cum vxore Lot respiciant post se,vt pro statua salis euadant

dant sal infatuatum. Quod quidem in eos Episcopos, ac Pastores in primis conuenit, qui cum docti sint, & literas sacras didicerint, quæ eos possint instruere ad salutem perfidem, quæ est in Christo Iesu, tamen ne ipsi quidem in ecclesijs suis resident, alioqui opinione hominum sapientes, qui facile exemplo suo cęteris persuadeant residentiam non esse necessariam, atque ita nō solum pusillos scandalizent, sed ut alter Balaam, alios quoque sapientes doceant mittere simile scandalum coram filijs Israel, & fieri item sal infatuatum, & euanescens in cogitationibus suis, quod neque ualeat in terram, id est, ut utilitatem e suo sale capiant ipsi, nihil enim prodest homini sapientia, si non operatur iustitiam, sunt uero huiusmodi sapientes iuxta Ecclesiasticū inutiles animis suis, si quidem sapiens, ut ait idem, erudit plebem suam, neque rursus ualeat in sterquilinum, ut enim stercus dat robur solo macro, sic iustitia dat uim, ac potestatem uerbis, ut Paroemiastes ait, a qua iustitia cum recedit sapiens, & magister ac doctor, doctorem.n.esse oportet Episcopum, uertitur eius sal in stercus alijs inutile. Quare ut non potest hic alium iuuare, quia nō potest dare robur uerbis suis factus exemplum boni magistri, & pastoris, qua ratione neque in sterquilinum ualet, sic neque in terram ualet, id est, neque sibi prodesse possunt, inutiles inquam sibi, & alijs, imo pestiferi omnibus sunt, quibus expediat iuxta euangelium, ut suspendatur mola asinaria de collo eorum, & demergantur in profundum maris, quia sit hęc pœna multo leuior, quàm ea, quæ istos manet æterna apud inferos, ubi iuxta sapientiam Salomonis potentes potenter punientur, quoniam iudicium, inquit, durissimum ijs, qui præsunt, fiet. hi enim sunt, qui non minus exemplo, quàm peccato nocēt, qui quidem pastores omnes tum maiores, tum minores scandalizent. quando enim cum minoribus pastoribus de residentia agimus, hi episcopos continuo nominant, & cur illi non resideant, quęrunt, quasi quod exemplo maiorum pastorum faciant, iure hoc minores facere uideantur. rursus cum illitteratis Episcopis si de eodem agimus, hi contra episcopos doctos proferunt, & cur illi item non resideant, rogant. licere enim sibi putant ineruditis, quod facere uident eruditos, ita fit, ut pereant fratres in scientia eorum. hi enim sunt qui percutiunt conscientias fratrum uicissim errantes, & in errorem mittentes, qui-

bus si quando legem residendi diuinam, aut proponimus, aut explicamus, horum qui doctores sunt, continuo Cardinales maiore, & doctrinæ, & sanctitatis opinione nominant, quasi pars salutis sit naufragij societas, & communio. ipsi ergo uiderint, quid Deo responsuri sint, qui exemplo suo alios in gehennam ædificant. In duobus, inquit ecclesiasticus, doluit cor meum, & in tertio ira mihi uenit, uir bellator deficiens propter indigentiam, hic est enim qui apud Lucam iturus ad committendum bellum aduersus alium regem, non sedit prius, & cogitauit, si posset cum decem millibus occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit ad se. deinde sequitur, & uiri intelligentes si fiant stercus, hi rursus sunt, quos idem Lucas in eodem loco appellauit sal euanescens, & inutile etiam in sterquilinium. Sequitur postea qui redit a iustitia ad peccatum, scilicet hoc est illud tertium, non solum dolore, sed ira dignum; cum quis sic aut a proposito officij sui desistit, aut sic existit inutilis, quibus alioqui exemplo, & scientia sua utilis, & fructuosus esse debeat, ut a iustitia ad peccatum transeat; ut est Episcopus extra ecclesiam suam residens, quem doctorem esse oportet suos in primis docētem, quod cum non agit, neque iuste, neque legitime agit, is inquam, a iustitia transit ad peccatum. constitutus enim a Deo super familiam eius, ut tanquam fidelis dispensator det ei in tempore mensuram tritici, hoc se putat agere posse per alienos, qui mercenarij sunt, & ad quos iuxta parabolam euangelij non pertinet de ouibus. sed uideamus quid in eodem loco ecclesiastici sequitur. Gladium, inquit, præparabit dominus in eum, nempe ut diuidat eum, & iuxta euangelium cum infidelibus merito ponat partem eius, qui infidelis dispensator fuit. Iam uero ex his, quæ de Reuerendissimis Cardinalibus dixi intelligi potest, quid de ijs episcopis, ceterisq; pastoribus, quos curatos uocant, & quid de alijs præpositis spiritualibus, ut prioribus, & abbatibus sentiendum sit, abbates enim pastores sunt, ut declarat uel illa ecclesiastica formula abbates constituendi, accipe, inquit, potestatem ad regendum monasterium, pascere autem regere est, quid item sit de his sentiendum, qui suis ecclesijs, & stationibus derelictis, munera curialia, aut pontificalia tum publica, tum domestica obeunt, & administrant. Quod si accersit Pontifex, & te uult ab ecclesia, aut abbatia abducere,

cere; & reuocare; excusa, obsecra; si non audit, & omnino imperat, parendum omnino est patri patrum; & principis Apostolorum Petri successori, cui cura totius orbis commissa est. Sequendum in Christo, quocunque uocet, & quandocunque. Sed si celeriter, confecto eo, ad quod accersitus es, vt œconomia, & ecclesiastica, atque canonica ratio proprij gregis regendi, atque pascendi postulat, redire non liceat, quia te velit in curia residere, iterum dico, gere morem pontifici summo, sed trade alteri solicitudinem, & curas ouilis Christi. depone episcopatum, aut abbatiam, non deerit proprius pastor, aut abbas, & fortasse melior, quem Deus nouit, tu nescis. Si caperis titulo, & honore nominis, & qui Episcopus appellabaris, appellari uis vsque ad extremum vitæ, esto, reserua tibi titulum, & honorem nominis vsque ad extremum spiritum, cura vt designetur Episcopus, cui tanquàm proprio pastori canonice, & ecclesiastice commendetur ecclesia, aut perpetuò, aut quoad ipse expeditus & liber redire possis. Habes SERIPANDE sententiam nostra illa disputatione magna concordia conclusam, a me quidem tunc breuius peroratam, ut ratio loci, & temporis ferebat, nunc uero copiosius, & prolixius explicatam. nec vero ignorabam, nam difficilem esse huius mali curationem quàm est id quidem graue, dispersum, & inueteratum. præclare enim, & verissime sanctus Hilarius in principio sexti libri de Trinitate scripsit, grauis, & periculosus est error in plurimis, & multorum lapsus etiam si se intelligat, tamen exurgendi pudore auctoritatem sibi præsumit ex numero, habens hoc impudentiæ, vt quod erat, prudentiam uelit existimari, & quod cum multis erat, prudentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis, verum, & charitas gratiæ Dei præsidēs omnia, sicut apostolus ait, sperat, & illa nos domini sententia mirifice recreat, quod apud homines hoc impossibile est apud Deum autem omnia sunt possibilia. cetera uero, quæ fortasse de re hac desiderabis, non quòd illa nescias, qui in sacris, & ecclesiasticis litteris tam eruditus es, sed ꝙ a me illa fortasse iudicandi gratia requires, ex primo meo de residentia libro, & ex altero, quam Antapolegeticum inscripsimus, petes, illis enim duobus alteros duos contra residentiam scriptos satis credo refellimus. Contra residentiam enim scribit quisquis illā iuris humani facit, cum diuini sit, ut in scriptura clarissime cernitur. ꝙ qui adhuc affirmabunt, ne post tam multa quidē

de re hac ſcripta, & diſputata ſe id poſſe uidere, quod eis demo-ſtratur, ut quoſdam audio dicere ſolitos, qui proprie diuinum ius eſſe dicunt, quod eſt expreſſum in euangelio, aut quod clare, & prompte inde elicitur, uerbis ſapientiæ Salomonis moneamus: & obſecremus, ut in ſimplicitate cordis quęrant dominum ueri-tatis, inuenitur enim ab ijs, qui non tentant illum, tentant uero, qui ſibi, ſuisq; ingenijs, & falſis rationibus confiſi exiſtimant ſe eſ-ſe ſapientes, ceteros uero omnes contradicentes errare. monea-mus item ſimilibus uerbis Oſeę prophetæ, illuminate, inquit, uo-bis lumen cognitionis, quærite Dominum. illuminabunt autem ſe, ſi credere uoluerint, niſi enim crediderint, ſicut ſcriptum eſt, non intelligent, contra uero ſi crediderint, dabit eis Dominus intellectum, cui unà cum filio ſapientia patris, & cum paracleto ſpiritu ueritatis gloria, & honor in ſæcula ſæculorum Amen.

FINIS.

DOMINI LEONARDI VENETI, ORDINIS REGVLARIVM CANONICORVM

TRACTATVS DE RESIDENTIA EPISCOPORVM, AN SIT DE iure Diuino.





VR DE his quæ clara sunt copiosius dicere plerunque necesse sit, Augustinus de ea re in lib. 2. de ciuitate Dei rationem reddens, sic ait. Si rationi perspicuæ ueritatis infirmus humanæ consuetudini sensus non auderet obsistere, sed doctrinæ salubri languorem suum tanquam medicinę subderet, donec diuino adiutorio fide pietatis impetrante, sanaretur, non multo sermone opus esset, ad conuincendum quemlibet vanæ opinionis errorem, his qui rectè sentiunt, & sensa uerbis sufficientibus explicant. Nunc vero quoniam ille est maior, & tetrior insipientium morbus animarum, quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur siue nimia cecitate, qua nec aperta cernuntur, qua & ea quæ cernũtur, non feruntur, tanquam ipsam rationem, ueritatemque defendunt, fit necessitas copiosius plerunque dicendi, res claras, ueluti eas non spectantibus, intuendas, sed quodammodo tangendas palpantibus & conniuentibus offeramus. Hæc illæ.

Materia itaq; quedã nobis tractanda est, in qua plurimi, nostris præcipuè temporibus dissident, quæ talis est. An episcopi in suis ecclesijs, iure diuino, residere teneantur. Qua de re, licet multi longiores sermones, atq; etiam libros ediderint, ipse tamẽ quàm breuissimè potero, argumentum hoc absoluam. Veritas nanq; ipsa paucis uerbis contenta est. Neq; enim fieri potest, ut super aliqua materia multum loqui aut scribere possimus, quin

multa extra propositam rem, dicamus. Ordo autem, qui in hac tractatione mihi tenendus est, talis erit, Primum locos tantum ex sacro canone, & summorum pontificum, atq; conciliorum, citare satis erit, eos inquam canones, quibus episcopi residere astricti sunt, id quod ouibus ipsis, ac pastoribus, optimum esse ecclesia non existimauit solum, sed etiam iussit, pœnam ijsdem statuens, ac præscribens, si id facere recusassent. Non defuerunt uiri grauissimi, ac undequaq; doctissimi, qui non solum locos citarent, uerumetiam integram sententiam, in suis tractatibus, referrent. Satis meæ Lucubrationis lectoribus fuerit, me fidelē scriptorem inueniri, nec quemquàm in citandis patrum, ac ecclesiæ, sententijs fallere. Quia uero, an de iure positiuo episcopi residere teneantur, nemo ambigit, ideo in hoc non multum differendo insistam. Secundo ex sacræ scripturæ dictis esse ostendam. Tertio ex sacrorum Theologorum dictis, sacras scripturas piè interpretantibus, demonstrabitur.

Primum itaq; ex sacro iure, episcoporum ambitio prohibetur & ut contenti sint bonis ecclesiæ. 23. quæstione. 8. cap. Quo ausu. 90. dist. quæst. prima quæst. prima cap. Nullus itaq; & quæst. 7. Sicut 15. & quæst. 7. Sancimus. Beatus quoq; Cyprianus lib. primo Epistola. 9. ab antecessoribus suis episcopis statutum, ne quis presbiterum actorem rerum suarum, testamēto relinqueret, alioquin pro eo, post mortem, sacrificium altaris non offerretur, quia nemo (inquit in ea epistola) militās deo (ut inquit Apostolus) implicat se secularibus negocijs. Hinc leuiticæ tribus, quæ templo & altari, & ministerijs diuinis uacabat, nihil de diuisionis portione, cum terra diuideretur, percepit, quod totum fiebat autoritate, & dispositione diuina, ut qui operationibus diuinis insistebant in nulla re auocarentur, nec cogitare, nec agere secularia cogerentur, quæ nunc ratio & forma, in clero tenetur. Multa in hanc sententiam ibi inuenies, quibus id quod nobis propositum est, confirmatur. Sequentia uero iura præcipiunt ab episcopo gregem pasci debere, neq; propriam ecclesiam derelinqui. 8. quæst. prima. In scripturis & cap. Sciendum. & cap. Qui episcopatum desiderat. Dist. 7. quæst. prima Sicut uir. & cap. Qualiter, ibi ne diutius. & cap. Quamuis. Ne uerò languescente pastore. Dist. 92. cap. si quis episcopus. & de hoc multa alia in sacro canone expressa habentur. De episcoporum residentia cano. 7. Apostolorum. & . 52. pœnam statuunt non residentibus episcopis. 24. cap.

Statuit.

Statuit. Quod Metropolitani non per suffraganeos diuina officia, & letanias & alia, quę ad suum ministerium pertinēt sed per seipsos agant.

Clemens etiam in epistola ad Iacobum, Petrum sibi dixisse affirmat, dum eum sibi successorem substitueret, Neq; enim iudicem (inquit Petrus ad illum) aut cognitorem te cōstitui, uoluit hodie christus ne prouocatus præsentium hominum curis, non possis uerbo Dei uacare. Et multa alia ad propositum ibi uide. Quamuis aliqui de epistolis illis an sint Clemētis dubitent, cum dicant Iacobum octauo anno antę Petrum mortuum fuisse.

Concilium Antiochenum cano. 17. excōmunicat non residentes. Concilium Laodicense cano. 8. 9. 10. & 14 Sacri nanq; canones, & summorum Pontificum decreta, atq; sacro Sancta. Generalia concilia hoc decernunt, id quod ratio, honestas, & ouium atque ecclesiarum ędificatio, persuadebat, & quæ euangelio, & sacris canonicis scripturis, & potissimum apostolico præcepto, decernebant. Sardicense concilium cano. 14. Quis non uideat longe melius esse episcopos, modo idonei sint, ad erudiendas atque ędificandas ecclesias suas, in ecclesijs suis residere, quàm absentes esse. Hoc inquam multis de causis uerū esse conuincitur.

Primum, maiori certe autoritate & reuerentia per se ipsum suo fungetur officio episcopus quàm per alium. Des mihi etiam episcopum ex antiquioribus patribus, & sanctis uiris, qui spiritu Dei agebantur, qui modo possent residere, unq̃ pretermiserint. Percurras deinceps singulos, ab ecclesiæ nascentis exordio, usq; ad plurima secula quæ postea consecuta sunt. Neminem profecto inuenies tam ex græcis quam ex latinis, immo maxima imminente tribulatione firmi manebant, ut de Beato Thoma Archiepiscopo legitur. Videbat enim quid episcopū facere oporteret, & quæ essent sui muneris partes, atque apostolos imitabatur. In hoc enim incumbebant apostoli, in quorum locum successerunt episcopi, ut uidelicet ecclesiam sibi creditam curarent. Paulus instātia (inquit) mea quotidiana sollicitudo omniū ecclesiarum. Et alibi Qui præest in sollicitudine. Quam etiam sollicitudinem à Christo habere didicerat, qui semper quæ mundo forent salutaria quæsiuit, & in ea intendebat, aut prædicando, aut sanando, aut orādo, & similia faciēdo occupabatur. Tertiò magis quoq; oues proprium uerētur pastorem, quàm extraneum, maioremq; supra se sentiunt autoritatem episcopi, quàm alterius, eumque magis

timent. is etiam liberius arguere poteſt, & pœnam comminari. Vicarius enim ob indigentiam, ne temporalia perdat, non caſtigat, nec repræhendit, quod proprio paſtori non ita accidet, ad quem eccleſię redditus pertinent, & abundantius ad ſibi neceſſaria ſuppetunt facultates.

An ſit de iure diuino epiſcopos reſidere.

SVNT quidam è recentioribus, adhuc ſuperſtites, qui materiam hanc, noſtro tempore, & potiſſimum in concilio tractatam uidentes, in hanc ſententiam ipſi ſuo ſtudio deſcenderunt, ut epiſcopos reſidere non eſſe de iure diuino defenderint, ſed ſolum poſitiuo, decretum eſſe ſentientes, ius diuinum id tantum eſſe aſſerentes, quod immediate Deus ipſe iuſſiſſet, uel per ſeipſum uel per ſcripturas, Quo poſito propoſitũ ſuum ſic probare nituntur.

Primo. Quid aliud à paſtoribus Deus ſeu chriſtus princeps paſtorum requirit, quàm ut oues paſcant uerbo, & exemplo, & ut ouibus bene conſultum ſit? ſed hoc (inquit iſte Doctor) per ſe uel per alium commode fieri poteſt, igitur &c. Patet enim quòd reperiri poteſt aliquis uicarius, qui ſit uir probus, & diuinarum literarum peritia doctus, is certè idoneus erit, qui gregem paſcere poſſit. Sicut etiam uidemus in multis eccleſijs, in quibus ſunt epiſcopi reſidentes, qui tam cum minus docti ſint, quàm par eſſet, tempore quadrageſimæ cõcionatores ad ſuas eccleſias deſtinant, ſeu uocant, nec in hoc ueniunt reprehendendi, ſed melius eſſet ut hoc ipſi facerent, & ſe dignos redderent, & idoneos ut hoc ipſum facere poſſent, tamen epiſcopus tunc ſuum munus exercere etiam dicitur, & uigilare pro ouibus, & paſcere eas. Sicut chriſtus non minus uigilare pro nobis nunc dicitur, præſentia corporali à nobis abſens, uultui Dei aſtans, interpellans pro nobis, & per epiſcopos paſcens gregem ſuum, ut in præfatione de apoſtolis dicitur, quàm ſi præſens eſſet licet uirtute ſua, & beneficijs eccleſiæ ſuæ ſemper aſſiſtat.

Regula etiam communis eſt, qua dicitur, qui per alium facit per ſeipſum facere uidetur, à qua reglua nec epiſcopi excipiuntur.

Nec ualet quod à quibuſdam dicitur, quòd Vicarius eſt mercenarius, cuius non ſunt oues propriæ. quia iuxta chriſti ſẽtẽtiam, omnis qui non quærit quod ad utilitatem ouium ſpectat, mercenarius

narius dicendus est. Augu. de uerb. Domini. ser. 49. Quis merces cenarius, uide uerba August. etiam homelia de Pastorib. diffuse Aduersus quos malos rectores Apostolus clamans dicit, omnes quærunt quæ sua sunt non quæ Iesu Christi. Sic tam episcopus q̃ Vicarius mercenarij nuncupandi sunt. Sic contra, qui zelum dei habent, & ouium Christi dignam, & frequentem sollicitudinem adhibent, uerè pastores dici possunt, siue ille episcopus sit, siue Vicarius, & quo ad rem ipsam, licet non quo ad dignitatis prærogatiuam Vicarius Episcopus dici potest, quod etiam ex nominis interpretatione uidere licet. episcopus nãq; superintendẽs interpretatur, teste Ambro. de dignitate sacerd. & illud dictum Pauli in Actis, Attendite uobis & uniuerso gregi. in quo uos spi spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam suam, illud insinuare uidetur. Ad hunc præfatum etiam sensum facile trahi potest illud Petri in sua Cano. 1. cap. 5. cũ dicit, Pascite qui in uobis est gregem, &c. Et consimiles scripturæ autoritates simpliciter intelligi possunt.

Sed his non obstantibus oppositum mihi tenendum uidetur, idq; sacris scripturis magis consentaneum esse credo, licet illud uti probabile sustineri posse putarim, oppositum tamen uerius esse existimauerim.

Tamen multi hanc conclusionem ex conditionibus qua per metaphoram episcopis conueniunt probare nituntur. Episcopus nãq; caput ecclesiæ dicitur, tantum autem conuenit episcopum esse sine sua ecclesia quantum caput esse sine corpore. Insuper episcopus ecclesiæ oculus dicitur, oculus autem sine corpore nequit. Similiter episcopus lux dicitur, & lumen ecclesiæ, episcopus sponsus ecclesiæ appellatur. Et uidetur sententia Apostoli ad Ephe. cap. 5. Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo, & in ecclesia. Quos autem Deus coniunxit homo non separet. Nequit igitur episcopus à sua ecclesia abesse. Vide Ambrosium de Digni. Sacer. cap. 6. Multa alia dicuntur de episcopo, & ecclesia per metaphoram.

Sed certe tales probationes ad id quod propositum illis est probandum non mihi satis esse uidentur. Quemadmodum nãq; Dyonisius de Diuinis nominibus habet, Theologia mistica nõ est disputatiua, nec argumentatiua. Transferentes namq; secundum aliquam similitudinem transferunt, & plerũque maior in his dissimilitudo quàm similitudo reperitur. Non enim se habet

in corpore mistico, sicut in corpore naturali, alioquin multa in conuenientia sequerentur. Nam sicut papa transferet episcopũ de una ecclesia ad aliam, sic uirum uxorem suam dimittere, & aliam ducere liceret, & multa alia inconuenientia sequerentur, si ex similitudinibus liceret semper arguere. Verum est, quòd Apostolus aliquando ex allegoria argumentum traxit, & argumentatus est, ut patet in epistola ad Galath. capitu. 4. Vbi differentiam ueteris, & noui testamenti ex allegorico sensu deduxit ex duobus Abrahæ filijs, uno de libera, & altero de ancilla genitis.

Alij uerò ex dictis apostoli Pauli in diuersis locis præcipue in prima ad Thimo. 3. & ad Titum primo, propositam conclusionem probare conantur. In supradictis nanque locis apostolus conditiones episcopi tangit. Oportet (inquit) episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum, & quæ sequuntur. Quæ conditiones seruari nequeũt omnes, nisi episcopus resideat, alioquin non omnes ut necessariæ positæ essent. Oportet etiam (inquit Paulus) episcopum scire bene præesse domui suæ, alioquin ecclesię Dei diligentiam non habebit, Docet etiam Thimotheũ quomodo oporteat eum bene conuersari in ecclesia Dei. Quæ quidem conditiones uanæ essent, nisi ad earum obseruantiam episcopus teneretur. Multa alia loca tam Pauliq; aliorum canonicorum sanctorum adduci possent, sed hæc in præsentia sufficere uolo, quibus quidam probant, episcopum de iure diuino residere debere in sua ecclesia.

Sed ad talia argumenta ex dictis apostoli desumpta quidam respondent, dicentes, Verba illa supra allegata Pauli non esse præceptiua, aut si sunt præceptiua (ut Augustinus tenet) ius diuinum non faciunt, quia si ius diuininum facerent, nullus in præceptis apostolicis dispensare posset, cuius contrarium uidemus, nam multa ordinauerunt apostoli, ut patet in concilio Hierosolimitano de legalibus celebrato, quę tamen modo non seruantur. Similiter Paulus præcipit mulierem non loqui in ecclesia, nisi uelato capite, uirum orare raso capite debere, tamen modo inter gentes non seruatur. similiter de matrimonio infidelium, quando unus ad fidem uenit, altero nõ ueniente, & consentiente habitare cum eo, nunc ecclesia separat, & liberum est homini.

Nec est ut quisquam existimet, non licere ecclesiæ, ut apl'orũ decreta mutare possit. Quicq̃d. n. apostoli, & illorũ successores statue-

statuerunt ad hoc statuerunt ut inde magna utilitas ad ecclesiam perueniret. Non enim apostolorum animus aut consilium tale fuit, ut ipsorum decreta perpetua forent siue profutura siue obfutura illa essent, multa enim temporis, multa personarum caussa ab illis decernebantur. Hæc qui nolit admittere abstineat (iuxta concilium Hierosolimitanum) à sanguine & suffocatis, & Idolothitis, aperto & raso capite oret, in ecclesia faciat ut sexus muliebris nunquàm abijciat uelum, post cęlebrationem synaxeos ferat cibos in templum, ad sustentationem pauperum, faciat bona sua cunctis fidelibus communia, hæc enim partim ab apostolis sunt præcepta, partim uerò a christianis in primitiua ecclesia obseruata.

Sed ad pleniorem intelligentiam distinguendum est, de duplici apostolico præcepto. Nam apostolos aliquid præcepisse duobus modis potest intelligi, Vel quod apostoli hoc à se ipsis præciperent obseruandum, uidentes id tunc ecclesiæ expedire, Paulus enim aliquando suum pręceptum á Domini præcepto distinguebat, ut primę ad cor. 7. Dico ego non Dominus. Talia aũt præcepta propriè traditiones apostolicæ appellantur, Vel quod apostoli illud præciperent, non à se ipsis sed quod Dominus reuelaret, aut ipsis iussisset, ut hoc ecclesiæ præciperent. Tale autem pręceptum non proprie apostolicum diceretur, sed domini. Plura credo fuisse talia præcepta, sicut illud de extrema unctione Iacobi in sua cano. cap. 5. præcepit & promulgauit, quod à christo didicerat ut sancti, & communiter expositores tenent. Et hoc modo intelligi potest etiam illud christi matth. ult. ite docete. &c. docentes eos seruare omnia quæ mandaui uobis Super prima præcepta non est dubium, quin ex iusta & congruente aliqua causa ecclesia uel summus Pontifex possit dispensare, Maior est enim summi Pontificis authoritas iurisdictiõis quàm cuiuslibet fuerit apostoli. Super secunda præcepta minime dispensare potest. Constito tamen summo Pontifici quod apostolus illud ut præciperet à Domino habuisset, Solennis Doctor Henricus quolib. 5. q. 36. diffusè. Iudicare autem an hoc apostoli pręceptum primi uel secundi generis sit, difficile est uidere. Tamen Augustini uerba hoc prætendere uidentur.

Videndum est an ex uerbis ipsius christi id haberi possit, uide licet quod sit de iure diuino. Aliqui deducunt, immo expressum uolunt esse mandatum Ioan. 21. cum ter interrogasset Petrum,

num se diligeret,& cum ter illum se diligere respondisset,pasce,in quit,oues meas. Sed quidam dicunt rem ponderando, dictum hoc omnino diuersum concludere.Nã(inquiũt) christi uerba de solo petro intelligẽda esse,nam ex eo loco primatum petri theo logi concludere uolunt,quod non concluderent,si de alijs etiam episcopis intelligeretur. Si igitur (inquiunt)de solo Petro intelligitur, des quomodo Papa pascat per seipsum uniuersas oues, quæ sunt in ecclesia,nonne pascit illas per episcopos? Non igitur ex illis uerbis personalis residentia probari facile potest.

Sed certè Aug. & Ambrosius ea christi uerba de omnibus etiam episcopis intelligenda esse affirmant. Ambrosius namq; de Digni. Sacerd. cap. 2. Vt patrio(inquit) iure plæbium multitudinem episcopus tueatur,præceptis imperatum est euangelicis.Sic certè a Domino ad beatum Petrum dicitur,Petre amas me? Augustinus quoque de Agone christiano cap.30. Ecclesię (inquit) claues regni celorum datæ sunt,cum Petro datę sunt, & cum ei dicitur amas me,pasce oues meas ad omnes dicitur. ecce secũdum istos Doctores non solum de Petro intelligenda sunt, uerba christi,sed de alijs congruenter intelligi possunt,uerumtamen præcipuè de petro intelligi posse non inficior, sed ex consequenti de alijs etiam intelligitur.

Cum etiam dicitur quòd Petrus non residet in tota ecclesia uniuersali,facile est respondere, quia non est proprius omnium ecclesiarum pastor, per immediatam administrationem, sed solum communem ecclesiæ.Omnium autem curam habet, sed mediatè. Etiam dicitur quòd pontifex Romæ residendo, quæ est caput aliarum ecclesiarum,in uniuersali ecclesia residere dicitur, Sicut etiã episcopus, nõ residet nisi in uno loco,& principali suæ Dioecesis,cum tamen plures priuatas ecclesias habeat, tamen in sua ecclesia residere dicitur,sic de summo Pontifice cẽsendum est. Extra ecclesiam esse,& in ecclesia nõ residere Pontifex diceretur, si apud infideles degeret,& idcirco admodum reprehensibilis esset,si tutò etiam ibi esse posset,sic episcopus non residere dicitur quando cum ouibus suis non commoratur. Idcirco esse de iure diuino crediderim episcopum residere, nisi urgẽte causa quæ per alium non facile suppleri posset.

Ius uerò diuinum multis modis sumi potest. Primo modo est ius diuinum præceptiuum,& hoc continet omnia præcepta affirmatiua. Secundo modo est ius diuinum quod uetat,& hoc om-

nia

nia præcepta negatiua continet. Tertio modo est permissiuum, & sub hoc continentur omnia bona indifferentia.

Notandum etiam quòd ius diuinum alio modo distingui potest. Ius diuinum reuelatum ante legem, scriptum, & traditum, primo modo sanctis patribus cum nondũ esset lex, erat ius diuinum reuelatum, postea scriptum fuit, & tertio traditum cæteris successoribus sine scripto, & ex ãtiquo usu robur accepit, ut baptismus paruulorum, orationes pro defunctis & multa alia. Sicuti Paulus etiam multa mandauit seruari quę non sunt scripta.

Neq; enim est dubium apostolos in suis ecclesijs multa ordinasse, quæ scriptis nõ sunt mandata, sed quasi per manus posteris tradita. Hinc toties inueterum monumentis legimus illa uel illa ab apostolis tradita. Sic quæ instituit Petrus clemens tradidit. Quæ Ioannes instituit Ignatius & Policarpus uiderunt, Quæ Paulus instituit, commendauit Dionysius ille Areopagita, sicut hactenus creditum est. Eo pertinet quod Origenes lib. 5. in epistola ad Romanos testatur, ecclesiam baptismum paruulorum ab apostolis accepisse. Similiter dicit Chrisostomus de memoria in cęlebratione venerandorum misteriorum pro his qui decesserunt faciẽda. Basilius etiam magnus in lib. de spiritu sancto de his quę traditionibus non scriptis in ecclesia seruantur, multis uerbis & doctè disseruit. Item Epiphanius aduersus hæreses. Quæ omnia nemo nisi hæreticus calumniari potest. Hoc potest etiam intelligi esse expressum præceptum, ut primæ ad Thim. cap. 3. patet.

Certum esse crediderim non esse de iure diuino expressè scripto aut tradito, sed sic deductũ ex iure diuino tradito uel scripto. Patet hoc, quia si esset de iure diuino expressè scripto, nulla accideret inter Thæologos expressa discordia, sed quia hoc non est expressum, oritur difficultas, apud scriptores.

Quòd uerò deduci possit facile est uidere. Certum est Christum in euangelio Matth. 25. diuersis hominibus diuersa talenta contulisse, alijs unum aliquibus duo quæ quidem non nisi diuersa spiritus sancti dona, aut gratias diuersas significant secundum aliam & aliam mensuram Secundo manifestum illud, est, christum præcepisse, ut nõ absconderent homines gratiã hanc, siue talentum, sed negociarentur, atque exercerent, dicit enim se austerum esse, & cum fœnore talentum exacturum. Vult igitur nos non ociosos esse debere, Quod & Petrus dicit. Gratiam quam habemus in alterutrum administrantes. Inter

quas

quas gratias spiritualis potestas commemoranda est, sicuti spiscopalis dignitas, De qua apostolus ad Thimotheum scribens ait. Noli negligere gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum præsbiterij, sed suscita in te illam. Et idem de apostolatus gratia loquens ait. Gratia Dei sum id quod sum & gratia eius in me uacua non fuit, sed plus omnibus laboraui. Oportet igitur episcopum operari ea opera quæ illi dignitati conueniunt, quæ non sunt nisi spiritualia opera, nomen, enim episcopi est nomen operis (vt refert Aug.) non dignitatis & honoris, iuxta illud Apostoli p. ad Thimotheũ cap. 3. Qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat, Quod patet ex sequentibus uerbis. Oportet, inquit, episcopum irrepræhensibilem esse &c. Sed si episcopus non resideat deductis causis necessarijs quale nanque opus, quod ad episcopum pertineat, operari potest? cuius præcipuum est, docere, arguere, & ex hortari in doctrina sana: sicut apostolus 2. ad Thimotheum cap. 4. Predica, inquit uerbum, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Et p. ad eundem. cap. 4. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in uerbo & conuersatione & ad Heb. 13. Obedite præpositis uestris & subiacere eis, ipsi enim peruigilant pro uobis. Glosa in uerbo peruigilant, prædicando, bonum exemplum dando, temporalia prouidendo. Omnia namq; opera præter hæc quæ agit non residens episcopus, non sunt episcopi quatenus episcopus est, per consequens episcopus ut sic, nullam habebit rationem episcopi, consequens est ut ociosus dicatur, inquantum episcopus est. Quo fiet ut talentum episcopalis dignitatis absconditum sub terra iaceat & Dominus in nouissima hora exigat, querens quid negociando lucratus fuerit. Isti sunt fideles serui quos dominus constituit super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Beatus, inquit, ille seruus quem cùm uenerit Dominus inuenerit sic facientem. Maledicus inquit etiam scriptura Hieremiæ. 48. qui facit opus domini negligenter. Sed maiori maledictione dignus erit, qui non solum negligenter agit, sed omnino præterit.

Præterea, episcopi apostolis successerunt, Aug. ps. 44. super illud propterea nati sunt tibi filij, sed Apost. quod per seipsos facere poterant, alteri non commitebant. Quamdiu, inquit Paulus,

lus, sum gentium apostolus ministerium meum honorificabo Et Xps illis dixit: Ego mitto vos vt eatis, & fructum afferatis.

Sed dicunt aliqui quòd Apostolis episcopi successerunt, in eo quod episcopi erant, non in eo quòd apostoli. In eo enim quòd apostoli habebant per seipsos populos pascere, non in eo quòd episcopi, & maxime quia tunc erat alia temporum conditio, alia uerò nunc. Tunc enim erat fides prædicanda, plātanda, defendenda contra paganos, Iudeos, hæreticos, schismaticos, modo non est tanta necessitas.

Sed certe duo uidentur uoluntariè dicta, & sine aliqua euidenti ratione, cum magis residentiam, & apostolorum præsentiam ea tempora requirerent, quia apostoli erant, quàm quia episcopi, nescio qua ratione id muniant. Secundum quod etiam dicunt uidetur leuissimum, quia & modo sunt infideles, Asia, Africa, & bona pars Europæ, ad quas gentes si opus esset predicare, episcoporum munus esset. Sunt etiam omni tempore hæreses, & schismata nostro maxime tempore, quas extirpari maxime necesse esset. Sed demus non esse infideles, schismaticos, hæreticos, & superstitiosos an non sunt corruptissimi & perditissimi hominum mores, in Prælatis, in principibus, in plæbe & in omni statu, ac hominum genere? Consequens igitur est, ut non minus his præsertim temporibus spiritalis gladius sit necessarius, quod est uerbum Dei, quàm olim fuit. immo forsitan longe magis illo est opus, quo uitia altius radices egerunt, nec sine labore magno exrirpari possunt.

Nec ualet si dicatur, satis hoc fieri nunc per Vicarium, quia multi sunt, nunc uiri idonei, & ad id opus subeundum apti, quòd non erat ab exordio nascentis ecclesiæ. Dicas quòd si & hoc ouibus sufficeret, quia etiam quòd nullum in terris haberent pastorem, Deus, inquit Aug. de Pastoribus, non desereret oues, hoc tamen conscientijs episcoporum non sufficit, nec illos corā Deo excusat, sed mali pastores penas luent, & tamen oues promissa accipient. cap. 4. etiam diffusè. Pastores enim panem ocio si comedunt, & qui non laborat manducare non deberet, eum presertim panem qui pro spirituali, non carnali, & seculari opere ecclesiæ ministris à pijs hominibus relictus est.

Hec tamen negamus quin episcopus vicarium habere debeat cùm Diocesis latitudinem habeat, nec omnia quæ ad curam

ouium

ouium pertinent,perſeipſum facere ualeat; ſed quod ipſe per ſe facere poteſt illud facere tenetur.

Præterea non paſcere oues cùm poſſint epiſcopi euidentiſsimum ſignum eſt quòd Chriſtum non diligant,quod dominus in uerbis ad Petrum ſibi reſpondentē dictis, facile demonſtrauit. Cū enim ter quæſiuiſſet ab eo nū ipſum amaret,reſponderetq;, tu ſcis domine quia amo te, dixit Chriſtus, paſce oues meas. Super quibus uerbis dicit Auguſ. de uerbis domini ſerm. 62. Amas me,in hoc ſcilicet oſtende paſce oues meas. Sermo.etiā de tempore. 149. Quid inquit Chriſtus retribuis quia diligis me? dilectione oſtende in ouibus. Quid mihi præſtas quia diligis me, quando ego tibi præſtiti, ut me diligeres? habes ubi talem dilectionem exerceas,paſce agnos meos,etiam uſq; ad mortem ſubeundam pro illis. Quam mortem pro ouibus, quomodo ſuſtinebit Epiſcopus qui longè ab ouibus commemoratur?

Domini etiam temporales circa populos ſibi creditos, quod ſibi ex officio facere conuenit,agere tenentur.Vide forma a Dauid propheta,pſ.100. Reges etiam paſtores dicuntur.

Aug.Tomo x.Fo.252. In Petro uno omnium paſtorū unitas figurabatur,ſed bonorum qui ſciant oues Chriſti paſcere, Chriſto non ſibi. Hęc ille. Non eſt enim pręlati terrenis diſtractionibus occupari,neque ſemper inherere contemplationi. Chriſtus non perpetuo inter populares turbas eſſe uoluit,ſed frequēter in deſerta,orationis gratia,ſeceſſit,ſemper tamen ad erudiendos apoſtolos,ac cæteras turbas opportuno tēpore rediјt. Idē apoſtolos feciſſe,legimus,& eorum legitimos ſucceſſores. Si ita fieret eccleſiæ optimè conſultum eſſet.

Nec obſtat ꝙ ſanctiſſimus Paulinus Epiſcopus Nolanus, (ut narrat beatus Greg. Papa in libro Dialogorum.3.)pro una ex ouibus ſuis, quę captiua in Pirratharum manibus erat detenta, redimenda,ſe captiuum fecerit. Quod quantum ex ſe erat, ab ouibus eum perpetuo ſeparabat. Quod (dices) ſi de iure diuino erat, talis ac tantus epiſcopus,cum tanto reliquarum ouium periculo,ſe ſeruum non feciſſet. Ad hoc poſſet facile reſponderi, ſicut ad multa alia quæ abſurda uideri ſolent,& contra Dei mandatum facta, quod ex ſpeciali quadam reuelatione id factum ſit,quod facile fuiſſe ex eo conijci poteſt, quod poſt hac accidit. Conſideremus quòd non modo ouicula illa redempta

est, sed multi alij captiui qui apud illos erant, & ipsemet liberati fuerunt. Quemadmodum enim inquit August. de ciuita. Dei lib. j. cap. 21. Non est mirandum si sanson & multæ aliæ uirgines sibiipsis mortem consciuerant quorum tamē solemnia celebrat ecclesia, cum tamen Dominus homicidium interdicat. Speciali quadam reuelatione idcirco factum esse dicit Augu. Ipse enim legis Dominus est, & cum iubet contrarium eius quod alias mandauit statim obtemperandum est.

Adeo Christus Apostolos solicitos esse uoluit pro ouibus ut ne in uia remorarentur, quò opus Dei impediatur neminem in uia salutandum esse præceperit: Quod & trina illa de ouibus Petro cura commissa significat? nempe ea significatum est quam studiosè oues suas Petro pascendas commiserit.

Insuper quid si pastor ad officium episcopi exercendum nō sit idoneus? Nonne deponendus uenit? iuxta id Christi Matth. 5. Vos estis sal terræ, quòd si sal (inquit) euanuerit, in quo salietur? audi quæ sequuntur, ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus Oseæ etiam c. 4. dicitur; Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. & Christus nisi abundauerit iustitia uestra plusquam scribarum, & pharisæorum, &c. Sed & pastoribus ueteris testamenti comminatur Dominus, q̄ non pascebant gregem, in montibus & collibus errare permittebant, Vide August. De Pastoribus multa dicentem. Quid igitur pastores noui testamenti facere debent in quibus iustitia præ illis abundare debet? Marcellinus Papatui renunciauit, cùm se tanto muneri parem non esse cognosceret.

Etiam status Episcoporum est status perfectorum secundum Theologos præcipue Henricum, quolib. xij. fo. 510. & secundum aliquos, illorum est longè profectior status, quàm Monachorum, hinc monachus ad episcopatum assumitur, econtra uerò non ita. Non est autem status perfectorum nisi ratione officii & boni operis, quod ad maximam ouium, & ecclesiæ utilitatem pertinet, qđ est spirituale munus, qui inquit Paulus militat Deo, non implicat se secularibus negocijs. Quod etiam de Gentiliū sacerdotibus uerum fuit, quibus ut seruirent Deo, ex ære publico prouisum fuit Gene. cap. 47. Ordinauit etiam dominus his, qui Euangelio seruirent, de euangelio ut uiuerent, quia dignus est operarius mercede sua. Augustinus Homi. 7. & de uerbis Do

mini. 16. Terret me apoſtolicum præceptum, &c. Nullam aliā curam apoſtolorum eſſe uoluit Dominus, niſi prædicandi, & alia ſpiritualia miniſtrandi: Nolite inquit portare neque ſaculum neque peram.

Neq; his quæ dicimus aduerſatur ꝙ legimus Timotheum qui erat epheſiorum Epiſcopus ab apoſtolo ad Corinthios miſſum, atque eodem apoſtolum ſæpe uſum fuiſſe; quia licet ex urgenti aliqua cauſa epiſcopum aliquando non reſidere, ſicuti quando maiori bono iucumbit, ſicut Epiſcopi tempore concilii Generalis ab eccleſia ſua recedunt, ſicut in cōcilio Tridentino ferè omnes epiſcopi ex hiſpania, ſeptennio a ſuis eccleſiis abſentes fuerunt, tunc enim maius bonum procuratur eccleſiæ, ſic etiam eccleſiæ ſuæ proſunt. Timotheus igitur ad tempus abeſſe potuit, ut cæteras eccleſias confirmaret, & noua etiam dogmata, quæ Paulus iniungebat prædicabat ſicut habetur primæ ad Corinth. cap. 4. Idcirco (inquit) miſi ad uos Timotheum fratrem. &c. qui uos commone faceret uias meas, &c. Paulus nanque tunc præſens eſſe non poterat, qui infidelibus pręḍicabat, quod erat magis neceſſarium, quàm iam conuerſis prædicare. CHRISTVS etiam aſcendens in cœlum, ut eccleſiæ res melius procurandæ eſſent Vicarios reliquit ut habetur in præfatione Apoſtolorum. Nam dicebat, niſi abiero paraclitus non ueniet ad uos, ſi autem abiero mittam eum ad uos: Vado etiam inquit pa rare uobis locum. & Paulus dicit quòd nunc aſtat uultui Dei interpellans, pro nobis. Hæc ſunt quæ mihi epiſcopum ad reſidentiam iure diuino teneri ſufficienter probare uidentur, licet multa alia afferri etiam poſſent ad præſens tamen hæc ſufficere volo.

An Officium Cardinalatus & Epiſcopi ſint compatibilia.

SED hoc poſito quærendum eſt an officium Cardinalatus & epiſcopi ſine compatibilia. Cui quidem quæſtioni, ex prædictis facile eſt reſpondere. Si epiſcopus iure diuino reſidere tenetur, & Cardinales abeſſe tenentur, cum ex officio, eis ſummo Pontifici ſemper aſſiſtere conueniat, & de rebus ad uniuerſam eccleſiam pertinētibus, Papam conſulere, iam apertum eſt, hæc incompatibilia eſſe.

Quod

Quod si dicas pro bono uniuersali licet episcopo abesse, ut propter concilium igitur & Cardinales pro alio bono publico. Dicunt quidam non congruere similitudinem, quia determinare quæ ad fidem spectant, in concilijs ex officio, episcopis conuenit, qui in concilio suam ecclesiam representant, sicut totum concilium uniuersam ecclesiam. Ideo pro eo tempore eos non residere conuenit, immo necessarium est. Quod quidem est ad tempus, & non semper non residere. Non autem Cardinalibus conuenit ad tempus si consideretur quare sint instituti, & propter quid, ideo nunquàm residere possunt, cùm sint Domini Papę consiliarij Ideo ex eo ꝙ Cardinales perpetuo summo Pontifici assistere debent, & hoc ipsum officium cômodè per alios sapientes uiros quàm per episcopos fieri potest, hinc est ꝙ hęc duo officia incompatibilia esse uidentur & sunt. Sed infra ostendetur hoc motæ difficultati non satisfacere.

An Papa cum Cardinalibus Episcopis dispensare poßit.

POTEST vlt. quæri, Num Papa cum Cardinalibus episcopis dispensare possit, Ad quod dupliciter responderi potest, Primum quòd de facto Papa dispensat, cum aliquando Cardinalem ad episcopatũ promouet uel ecôtra, ut patet ex promotione ad Cardinalatum.

Si uero quęritur de potentia iuris, an pro aliqua necessitate uel totius ecclesiæ utilitate dispensare possit, dicendum est secundum aliquos quòd nulla subesse potest causa, cur dispensare debeat, quia omnis utilitas, & omnis necessitas, quæ accidere potest per aliam personam procurari potest, ut supra dictum est, satis constat, & conclusionis huius ueritas hoc ipso innititur, quia episcopum residere est de iure diuino, non potest autem Papa supra ius diuinum dispensare. Videtur sententia Aug. in epistola ad Ianuarium. 18. cap. 6. Dicit namq; ibi Aug. Quod si Christus eucharistiam post cœnam sumi debere monuisset, credo inquit quòd eum modum nemo mutasset. quòd si dicas summum Pontificem in uoto solemni cum monacho dispensare, & dispensasse inuenitur, tamen uotum reddere est de iure diu: ps. Vouete, & reddite domino Deo uestro. Quere à Theologis solutionem maxime ab Henrico Gandauen. Doctore solenni, qui diligentissime hanc materiam pertractat. quolib. 5. q. 28.

Eo Papa dispensare dicitur quòd in tali & tali casu uotum id non tenere declarat, quia in uoto excipiuntur casus necessitatis & communis ecclesiæ utilitas. Sed dices hæc communis utilitas quæ per Cardinales habetur dum de rebus ecclesiæ Papæ cõsulunt, per alios haberi potest, Episcopi igitur non essent assumẽdi ad Cardinalatum, uel Cardinalibus non essent episcopatus conferendi, sed permittendi essent suum munus exercere. Dicas quod non semper ad melius agẽdum tenemur, alioquin consilia etiam euangelica seruari oporteret quæ sunt de melioribus quàm præcepta sed satis est quòd fiat compensatio alicuius maioris uel equè boni.

Quædam namque sunt secundum se mala ut consecrare non uirgines, vt virgines, conferre ordines seu beneficia indignis, quia actus cadit super materia repugnante, Negligere curam animarum, quia perniciosæ infidelitatis est manifestè, ecclesiasticos prouentus dissipare, & cætera huiusmodi. Quedam non sunt mala propter aliud, hoc est propter mala quæ inde nata sunt sequi, ut non residere non visitare & huiusmodi, Hæc enim omnia mala pro tanto sunt, pro quanto ouium utilitas tollitur, aut minuitur, aut impeditur. Si igitur ouibus per idoneum uirum optime consultum fuerit, quod fieri posse non dubitamus, excusandns est Episcopus, potissimum si in rem aliquam publicæ utilitatis incumbat. Cæteros autem episcopos excusari posse non video, etiam quod ouibus optime consultum sit per alios, ipsis tamen non est bene consultum, qui tunc nisi priuato commodo incumbunt.

Nonne regulæ omnes suas exceptiones habent? etiam quòd aliqua sint de iure diuino. Nam summus Pontifex prælatus est ecclesiæ de iure diuino, vt communiter tenetur, tamen si essent omnino inuariabilia talia nullo casu pontifex deponi posset, quandiu uiueret, cuius contrarium patet, ex ecclesiæ statutis.

Neq; enim tot & tantos pontifices culpare audeo quòd has dispensationes tam temere fecerint, non enim hæc dispensatio conditionibus quibus licita est dispensatio repugnare, immo eas habere uidetur.

Si non potest summus Pontifex dispensare cum cardinalibus episcopis, est aut propter ouium suarum detrimentum, aut propter episcopi damnum, non primum quia commodè per aliquem

quem Vicarium idoneum prouideri potest ut multi faciunt, Non propter damnum suum, quia fit hic, ut supra dictum est, compensatio uel maioris uel saltim equalis boni.

Crederem itaq; scrupulum deponendum esse, modo cardinalatus munere sincerè ac legitime fungantur, neq; in rebus agẽdis quæ ad uniuersam ecclesiam pertinent, ad dexteram uel ad sinistram declinent sed ad id tãtum quod utile & honestum est agendum fratres suos adhortentur ac si opus fuerit etiam rogent.

Omnis dispensatio à potestate apostolica manans in ecclesiæ ædificationem cultus diuini incrementum, ac salutem animarum tolleranda est, quæ autem præter hæc conceditur, cassa est & inanis. Neq; personæ utilitas in dispensatione attendenda est principaliter sed ecclesię, Dicẽte apostolo primæ cor. 10. omnia in gloriam Dei facite, sine offensione estote iudæis & gentibus, & ecclesiæ Dei sicut & ego omnibus per omnia placeo, nõ quærẽs quod mihi utile est, sed quod multis ut salui fiant.

Vnde & beatus Bernardus in lib. de consideratione ad Eugenium Papam, Non sum, inquit, tam rudis ut ignorem uos positos dispensatores in ædificationem, non in destructionem. deniq; quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas urget excusabilis est Dispensatio, ubi utilitas prouocat dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis non propria, nam cum nihil horum est, non dispensatio sed crudelis dissipatio est concordat idem in epistola ad Thæobaldum comitem, Honores, inquit, & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui dignè secundũ Deum ministrare uelint & possint. Neq; cuiquàm plures in pluribus ecclesijs licet nisi dispensatio quidem, ob magnam, uel ecclesiæ necessitatem uel utilitatem non propriam sed communem. Hæc ille.

Dispensatori igitur opus est fidelitate & prudentia, Luc. 12. Fidelis seruus & prudens quem constituit dominus super familiam suam. Fidelitate opus est ut bonum in communem utilitatem ordinet, prudentia ut rationem dispensandi agnoscat. Bernardus ad Eugenium. Quomodo, inquit, non indecens est tibi uoluntate pro lege uti? Tu ne es maior domino tuo, qui ait, non ueni facere uoluntatem meam? quod quàm non minus deiecti quàm elati animi est, ueluti rationis expertis, non pro ratione, sed pro libito agere, nec iudicio agi sed appetitu. Quid tam bestiale? Hæc ille. Quæ Bernardi dicta sententiæ nostræ fauere ui-
den-

dentur, propterea quòd quando dispensatio fieri licitè possit, exponat.

Sic etiam Rotæ auditores & clerici camere excusati ueniunt, licet non resideant, cum causis publicis sunt occupati, modo de Vicario uiro idoneo suis ecclesijs prouideant, & quid circa oues sibi creditas agatur scire curent, nonnunquàm etiam exploratorem aliquem mittere debent qui audiat, & intelligat, si quæ sint de Vicarijs suis quærelæ & murmurationes, tunc de alio prouidere studeant.

Si aliqua est in proposito difficultas de urbis Gubernatore & & clæricis cameræ erit, qui ea tantummodo tractant, quæ non uniuersam respiciunt ecclesiam sicut Reuerendissimi Cardinales, & Rotæ auditores qui omnium causas audire possunt, & terminare.

Hæc sunt quę de residentia episcoporum, ea ueritate, qua sentio, charitate autem qua debeo scribere uisum fuit, Quod si scribendo ueritatem inueni, Deo optimo Maximo, à quo omne donum optimum, gratias ago qui aperuit mihi sensum, ut hanc ipsam perciperem ueritatem, quam si nondum percepi, Deo tamen Duce, ad eam me aliquando peruenturum spero. Hæc omnia & me ipsum censuræ sanctæ catholicæ Romanæ ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum ueritatis tanquàm humilis filius subijcio.

FINIS.

DIVERSORVM ILLVSTRIVM VIRORVM DE PLVRALITATE PRAEBENDARVM, AC BENEFICIORVM SENTENTIAE.

DIVI THOMAE AQVINATIS DE PLVRALITATE BENEFICIORVM SENTENTIA.

Vtrum habere plures præbendas sine cura animarum sit peccatum mortale.



D HOC, sic proceditur. Videtur, q habere plures præbendas sine cura animarum absq; dispensatione sit peccatum mortale. Quicunque enim facit contra statutum concilij peccat mortaliter. Sed qui habet plures præbendas facit contra statutū concilij generalis. ergo peccat mortaliter. Probatio mediæ. dist.vij. dicitur in quodam decreto Vrbani Papæ, quod incipit. Sanctorum canonum. Omnino aliquē in duabus ecclesiis titulari non liceat. Sed vnusquisque in qua titulatus est in ea tantum canonicus habeatur. licet enim episcopi dispositione vnus diuersis præesse possit ecclesijs canonicus tamen præbendarius nisi vnius ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet. P.15.q.j. dicit quoddam decretum septime sinodi. Clericus ab instanti tempore in duabus non connumeretur ecclesijs, negociationis enim est hoc, & turpis lucri cōmodum, & ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum, & sic idē quod prius. P. Chriso. dicit. Quod tenebra erubuit lumen erubescat, quod figuræ non fuit concessum, rei reor esse illicitum, figuræ autem non fuit concessum q inter leuitas qui capiebat in Betleem caperet in Hierusalem, qūo cū perfectiores esse debeamus, qui capit in tyro, non capit in Damasco. P. Bern. dicit Qui non unus sed plures est in beneficijs, nō vnus, sed plures erit in suppli-

ſupplicijs. Sed qui habet plures, p̄bēdas, plures eſt in beneficijs er go plures erit in ſuppliciis. & ſic grauiſſime peccat. P. quicunque cōmittit ſe diſcrimini, & periculo peccati mortalis peccat mor taliter. Iſte eſt huiuſmodi, quia recipiendo plures præbendas iu rat ſtatuta utriuſque eccleſiæ, in quibus præbendatur, quæ aliquando non poſſunt ſimul ſeruari, utpote ſi eodem tempore vo cetur ad electionem in utraque eccleſia, uel ad aliqua eccleſiæ negocia peragenda, & præcipue ſi ſit cauſa inter duas eccleſias cū vtriq; teneatur. ergo videtur ꝙ peccet mortaliter.

Sed contra eſt, quia illud vergit in commune periculum, non eſt ab eccleſia ſuſtinendum. Sed eccleſia ſuſtinet vt aliqui communiter habeant duas prębendas, ergo in hoc non eſt periculū peccati mortalis. P. licitum eſt alicui patrimonium habenti præbendam accipere. Sed maior eſt conuenientia inter eccleſiaſtica beneficia, quàm inter patrimonium, & prębendam. ergo etiā licet habenti vnam præbendam accipere aliam.

RESPONDEO dicendū, quòd omnis quæſtio in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe ueritas habeatur, periculoſe determinatur, quia error quo non creditur eſſe peccatū mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto. Error vero quo creditur eſſe mortale ꝙ non eſt mortale ex conſcientia, ligat ad peccatum mortale. Præpue autem periculoſum eſt ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit. Cum enim hæc quæſtio ad theologos pertineat, inquantum dependet ex iure diuino, uel ex iure naturali. & ad iuriſtas inquantum dependet ex iure poſitiuo, inueniuntur in ea theologi theologis, & iuriſtæ iuriſtis contraria ſentire. In iure nanque diuino non inuenitur determinata expreſſe, cum in ſacra ſcriptura expreſſa mentio de ea non fiat, quamuis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus ſcripturæ forte adduci poſſint, quæ tamen non lucide veritatem oſtendunt. Determinando vero eam ſecundum ius naturale, ſic uidetur ad præſens de ea dicendū, quòd actionū humanarum multiplex eſt differentia. Quędam enim ſunt quę habent deformitatem inſeparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia huiuſmodi, quæ nullo modo bene fieri poſſunt, de numero talium non eſt habere plures præbendas. aliàs in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet, quod nullus dicit. Quædam uero ſunt actiones, quæ de ſe indifferenter ſunt ad bonum uel malum, ut leuare feſtucā de

terra,

terra, uel aliquid huiusmodi. inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas dicentes. Ita licitum est habere plures præbendas, sicut habere plura poma. Sed hoc nõ uidetur esse verum, cum hoc quod est habere plures præbendas plurimas in se inordinationes contineat, utpote quia nõ est possibile aliquem in pluribus ecclesijs deseruire, in quibus est præbẽdatus, cum præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus diuini, dum vnus loco plurium instituitur. Sequitur etiã in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona ecclesijs contulerunt vt certus numerus Deo deseruiẽtium ibi esset. Sequitur etiam inequalitas, dum vnus pluribus beneficijs abundat, & alius nec unum habere potest. & multa alia huiusmodi quæ de facili patent. unde non potest cõtineri inter indifferentes actiones, & multo minus inter eas, quæ sunt secundum se bonę, ut dare eleemosynam, & huiusmodi. Sunt uero quędam actiones, quæ absolutæ consideratæ deformitatem, uel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circunstantijs aduenientibus bonæ efficiuntur, sicut occidere hominem, uel percutere, in se deformitatem quandam importat, sed si addatur occidere malefactorem propter iustitiam, uel percutere delinquentem causa disciplinæ, nõ erit peccatum, sed uirtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas. Quamuis enim aliquas inordinationes contineat tamen aliæ circunstantię possunt superuenire, ita honestantes actũ ꝙ prædictæ inordinationes totaliter euacuantur, utputa si sit necessitas in pluribus ecclesijs eius obsequio, & possit plus seruire ecclesię, uel tantundem absens, quam alius pręsens. & si qua alia sunt huiusmodi. & tunc istis conditionibus superuenientibus cũ recta intentione non erit peccatum etiam nulla dispensatione interueniente, si consideretur tantum secundum ius naturale, quia dispensatio ad ius naturale non pertinet, sed solum ad positiuum. Si uero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius viuat, & ut facilius ad episcopatum perueniat in aliqua ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictè deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione, & unũ beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum ius naturale etiam nullo iure positiuo superueniente. Nunc autem certum

est per antiqua iura hoc esse prohibitum. patet etiam huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa iura esse abrogata. Nam per contrariã consuetudinem iura humana abrogantur. Quidam uero dicunt per hanc consuetudinem antiqua iura non abrogari, eo quædã decretalis, &c. multa per patientiam tolerantur quæ si in iudicium fuerint deducta, iustitia cogente cassarentur. & hæc controuersia iuristis est relinquenda, quãuis hoc uideatur esse probabile, quòd quantum ad hoc quòd iura illa antiqua continent ius naturale abrogari non possit per contrariam consuetudinem vtpote irrationalem. Quantum autem ad hoc quòd solum de iure positiuo cõtinent, possunt esse abrogata, præcipue si simulantes hanc contrariam consuetudinem in quorum potestatem est ius positiuũ mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua iura mutare. Si ergo antiqua iura quæ hoc prohibent in suo robore maneant contraria consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione etiã illis circunstantijs superuenientibus, quæ secundum considerationem iuris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua iura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circunstantijs superuenientibus etiam sine dispensatione licitũ est plures præbendas habere, sine quibus circunstantijs licitum nõ est, quantumcunque dispensatio interueniat, eo quòd dispensatio humana non aufert ligamen iuris naturalis, sed solum ligamen iuris positiui, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

De pluralitate beneficiorum Cardinalis Caietani Explicatio.

BENEFICIVM ecclesiasticum quo ad multiplicationem considerandum est quando est peccatum & quantum. Ad quod discernendum nosce oportet, quod multiplicare in uno beneficia, non est ex suo genere peccatum, quia si esset ex se peccatũ nulla unquam ratione liceret habere plura beneficia. Neq; est ex suo genere bonũ, aut indifferens moraliter, quia sonat quãdam dissonantiam, scilicet plura stipendiam dari uni. Regulare quippe est, ut unum uni detur. Sed est de genere nociuorũ, quæ ex adiuncta ratione possunt honestari, sicut per cutere hominem,

mine,quod nec ex se peccatum, nec bo num, nec indiferens mo raliter est, sed sonat malum hominis, quod potest ex adiuncta iustitia propter bonum publicum et honestari. Accipere quidē plura beneficia, sonat quid nociuum ecclesiæ, & diminuēdo mi nistros cultus diuini, & occupando quod multorum deberet es se, & animarum quandoque curam debitam, impediendo. Hæc nocumenta constat ex beneficiorum pluralitate inferri sanctæ ecclesiæ. Posset tamen talis necessitas, aut ratio superuenire, quæ aut tolleret huiusmodi nocumenta, aut efficeret non esse in conuenientia, & sic redderet beneficiorum pluralitatem licitā. Et hæc ratio maxime ex parte ecclesiarum pensanda est, non.n. propter bonum personæ, sed propter bonum ecclesiarum tollū tur huiusmodi inconuenientia.

Mortale autem peccatū in huiusmodi pluralitate interuenit, quando non propter rationabilem causam obtinet quis multa beneficia incompatibilia. & unus &c. quia huiusmodi pluralitas est iniusta contra æqualitatem iustitiæ distributiuæ. Nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa, quoniam dispensatio Papæ cadit supra ius positiuum, & non super ius diuinum aut morale. Pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa, est contra ius diuinum, & morale, quo communia ecclesiæ bona distribui iuste debent partibus ecclesiæ. Nec obstat quod beneficio plura dicuntur licite dari uni, quoniam in omni genere propter imperfectionem actus nimia excusantur. Beneficium siquidem adeo tenue quod non sufficit ad sustentandum ministrum, non est beneficium, nisi imperfecte; quoniam non potest sana ratione institui, ut unum sit in unius stipendium. Et propterea de his minimis fit, ut melius fieri potest, quousque minister habeat sufficienter unde uiuat, quoniam propter ministros sunt beneficia, & non econtra.


Siste tamen hic confessor pedem circa iudicium illius qui iam cum dispensatione sine rationabili tamen causa habuit & possedit plura incompatibilia, ne præceps neges absolutionem, oportet, enim discernere, an iste teneatur de necessitate salutis renūtiare reliqua reseruato sibi uno, quod non facile est quando beneficijs bene prouidetur per uicarios. Vbi scito duo esse in hoc potissimum pensanda. Primum est damnum ecclesiarum. Secundum est inæqualitas distributorum beneficiorum. Et quidem damnum ecclesiarum quantum ad temporalia, & reparationem

oportunam,siue templi siue paramentorum &c. & munerum mi nistrorum diuini cultus.& ipsum diuinum cultum,& ministratio nem sacramentorum facile cognosci potest,quoniam hæc subia cent sensibus. Sed quantum ad curam animarum, si beneficia sunt curata,oportet hominem nõ se ipsum fallere, quia cum iste det operam rei illicitę,scilicet conseruationi plurium incompa tibilium absq; rationabili causa,non excusatur ex illa causa illi cita a resid ndo,ad uacandum curę animarum, ac per hoc sibi imputatur coram Deo,etiam leuis culpa,in damno animarum. Et propterea & si possibile est,difficile tum ac rarũ uidetur quod absq; notabili damno ecclesiarum huiusmodi pluralitas continue tur. Et quando sic accidit, neganda esset absolutio,quoniam no tabilis damni ecclesiæ conseruatio uoluntaria absq; rationabili causa,non est absq, peccato mortali.

Ex parte autem iniquæ distributionis aduertendum est, quod non est idem iudicium de distributione quãdo fit,& post factum. Nam quando fit, clarum est iniuriam fieri dignioribus qui post ponuntur, & peccatum iniustitiæ distributiuæ committi. Post quam autẽ distributio,licet mala,facta est, & episcopatus datus est minus digno,non periclitatur amplius distributio, sed res di stributa,puta episcopatus. In cuius signum constat non teneri istum minus dignum ad renuntiandum episcopatum sed ad benę regendum &c. Ex hoc autem quod non ad distributionem,sed ad beneficia distributa spectandum est post factum,pensanda ue niunt tria. Primo damnum ecclesiarum quas habet,de quo dam no iam diximus. Secundo damnum clericorum bene meritorum in illis partibus ubi sunt hæc beneficia,qui deberent ex his benefi cijs & honorari & pasci. Tertio scandalum bonorum uirorum qui uident huiusmodi exorbitantes distributiones conseruari ab his qui in formam gregis christiani dati sunt. Inde enim alij si milia audent,& sic in præceps ruit ecclesia Christi. Et propterea qui hæc paruipendit,quia sic communiter a tot fit, & quia forte Papa dissipando dispensauit, non esset absoluendus ut absq; ulla probatione clare patet. Qui uero hæc æstimat,prouideat ope re & ueritate,ut hæc mala non sint, alioquin tepidus est & euo mendus.

FINIS.

DOMINICI SOTO, DE PLVRALITATE BENEFIÇIORVM EXPLICATIO.



Vtrum beneficiorum pluralitas sit iure permissa.



NON est his temporibus absurdum de beneficiorum pluralitate disputare, & quęrere utrum sit quoquo pacto iure permissa? Pugnant enim a parte negatiua Canones plurimi, tam conciliorum quàm sanctorum patrum. In primis est decretum Synodi vij. Constantinopolitanæ, ut refertur xxj.q.j.cap.clericus. Clericus ab instanti tempore non cõnumeretur in duabus ecclesijs, negociationis enim hoc est, & turpis lucri proprium commodum, & ab ecclesię consuetudine alienum. Vbi citatur verbum Domini, Nemo potest duobus dominis seruire. Et lxx.distin.cap.sanctorum ait Vrbanus, Omnino in duabus ecclesijs aliquẽ in titulare non liceat, sed vnusquisque in qua intitulatus est, in ea tantùm canonicus habeatur. unde extra, de præbend.cap. quia perhibetur præbendarum multitudinem canonibus esse inimicam. Secundò allegantur à sancto Thoma quolib.ix. artic. xv. sanctorum dicta. ait enim Chrysostom. Quod tenebra erubuit, lumen erubescat, quod figuræ non fuit concessum, rei reor esse illicitum, figuræ autem, hoc est, legi veteri, non fuit inter Leuitas concessum ut qui capiebat in Bethlehem, caperet in Hierusalem. cum nos ergo perfectiores esse debeamus, qui capit in Tyro, non capiat in Damasco. Hæc Chrysostomus. & Bernard. Qui non vnum, sed plures est in beneficijs, non vnum, sed plures erit in supplicijs. Item id esse videtur contra rationem, & ius naturale, & diuinum iam modò citatum, Nemo potest duobus dominis seruire. Cui insuper accedit iuramentum quo quisque iure antiquo fidem suam adstringit seruire ecclesiæ, cui se mancipare constituit. In cõtrarium faciunt iura quæ plura beneficia eidem personæ indulgent, vt tum alibi, tum xxj.q.j.frequentes Canones docent.

QVAESTIONEM hanc differit diuus Thomas quolibet.ix. citato

citato articul. xv. At quia rei huius abusus nimium in pernicié ecclesiæ obrepsit, non erit superuacaneum rem denuo ac sedulo examinare. Nam cum (uti ait illic sanctus Thomas) iús hic naturale ac diuinum implicetur, & humanum quantum ad duo priora, rei huius definitio ad Theologos pertinet, licet quantum ad tertium, spectet ad Iurisconsultos. Placet ergo, ueluti primum fundamentum, distinctio illa sancti Thomæ, Triplex est actionũ ordo, scilicet aut quæ deformitatem habent inseparabilem, ut mendacium, aut quæ indifferentes sunt, ut deambulare, aut tertio, quæ licet per se nudè, & absolutè consideratæ, deformitaté quandam repręsentent, circunstantijs tamen uestitæ licitè fieri possunt, ut hominem occidere, quod iudici, & defendenti se licet. His præiactis respondetur ad quęstionem septem conclusionibus. Prima: Habere plures præbendas, non est res primi ordinis. Hæc conclusio inde fit liquida, quòd multis casibus super hoc sancta iura dispensant, ut statim patebit. Secunda, Neque est secundi ordinis. Non enim est perinde indifferens atque habere plures uestes, hoc quippe absolutè consideratum, nullam implicat, aut malignitatem, aut indecentiam, habere autem plures præbendas, si nudè spectetur, statim sonat quasdam ordinis peruersiones. Primum, quia ratio docet ut vnicuiq; ministerió suus propriè deputetur minister, alias unus plurium personas induit. Secundò: Cultus diuinus detrimentum patitur. Tertio, cũ bona hæc (ut diximus) stipendia sint ecclesiarum, suo defraudãtur iure. Id quod rerum vsus, & experientia docet, Aggregatis siquidem præbendis multis ab personarum paucitatem, uix ulla restat ecclesia, cui pro ratione suarum decimarum seruiatur digne. Et quartò inde sequitur distributiuæ iustitiæ præuaricatio, uidelicet vt digni multi egeant, alij uerò exundent. Quinto esca & fomentum ambitionis inde subministratur, nã interdicta præbendarum accumulatione, sacerdotes non tam auide sitirent atq; ambirent bonis ecclesiæ ditari. Et sextò, id in cã est, ut lrãrum studia neglecta iaceant, utrinq; etenim spes bonorũ debilitatur. s. & quòd meritorum ratio non habetur, & quòd audiditiorũ auaritia impedimẽto est, ne inopes ꝓmoueanť. Quin uerò septimò, & trãsgressio quædã est illius Paulini præcepti, Vnusquisq; in ea uocatione qua uocatus est maneat. Atq; illius præterea ad Romanos xij. Sicut in uno corpore multa membra habemus quod Gregorius ad hoc propositum citauit lxxxix. distinctio.

&io.cap.ſingula.ubi ait. Singula eccleſiaſtici iuris officia ſingulis quibuſq; perſonis ſigillatim commiti iubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non unū actū habent, ita in eccleſiæ corpore multa mēbra ſunt & ideo diſtincta officia eſſe debent, & eccleſiæ diuerſis perſonis commendandæ, aliàs totum corpus eſſet oculus, aut totum auditus, aut unus multorum corporum oculus. Tertia concluſio, Habere plures pręb endas res eſt tertij ordinis, ſcilicet, quòd licet per ſe abſolutè librata in malum ſonet, ut proximè nunc rationes cōprobabāt, poteſt nihilo ſecius talibus circunſtantijs exornari, ut fiat licitum. Ad huius autem lucidam intelligentiam diſtinguere de beneficijs operæ pretium eſt. Alia enim ſunt, quæ reſidentiam habent anexam, alia uerò quæ liberiora ſunt, ut ſimplicia ſacerdotia, quæ præſtamerę uulgò dicuntur Atque illorū quibus reſidentia annectitur, alia ſunt quibus iniuncta ſubinde eſt animarū cura, ut epiſcopatus & parœciæ, alię verò, quæ hoc onere ſunt immunes. De his ergo non arbitror eodem eſſe pacto cenſendum. Hoc ſuppoſito ſex caſus notantur uigeſimaprima queſtione prima in Summa iuridici, quibus licitè compati ſe duæ præbendæ ualent in eadem perſona.

Primus ratione tenuitatis, quia non poſſunt ſingulę ſingulos alere ſacerdotes, ut habetur decima quæſtione tertia. unio. Qui quidem caſus uerus eſt etiam in his ſacerdotijs, quæ curę ſubduntur animarum. Quin etiam poſſet idem & in epiſcopatibus licere. Poſſent inquam eſſe adeò tenues (quales frequenter ſunt in Italia) vt neuter poſſet epiſcopum pro ſua dignitate ſuſtentare poſſéntque eſſe tam proximi, vt ab eadem valerent perſona adminiſtrari. Et eſt textus xxj. quæſtione prima, cap. illud. ubi conceditur ut idem ſit Archiepiſcopus Terracinenſis, & Epiſcopus Fuudenſis. Secundus caſus, quando una eſt eccleſia ab altera dependens, ut legitur cap. eam te. extra, de ætat. & qualitate & ordi. præfici. Quomodo autem fiat eccleſiarum unio, patet ex trā, de rel. dom. c. quia monaſterium. Neque quis fallatur, arbitratus in eundem caſum recidere, nam primus intelligitur etiam ubi eccleſię non ſint unitę. Poteſt ſiquidem Papa ſine unione adiudicare duas eccleſias propter tenuitatem uni ſacerdoti, etiam cum titulo utriuſque. Eſt tamen hic conſultè animaduertendum quòd in hac tenuitate meditanda, non eſt reſpectus habendus perſonæ, ſed communis utilitatis eccleſię, in quem cuncta hæc

refe-

referenda ſunt. Enimuero ſi perſona ſupra dignitatem ſuam & conditionem, contendit amplam familiam ſplendoremq; vitæ ſuſtentare,non illa lance eſtimanda eſt prouentuum tenuitas,ſed ad hoc ſpectandum quid eccleſiæ conducat. Præterea, cauendũ maximè,ne prebendarum unio in fauorem perſonæ fiat,& fraudem eccleſię. Eſt illuſtris quiſpiam pluralitate beneficiorũ preſſus,qui ad eximendum ſibi ſcrupulum conſcientiæ procurat per annexionem cuncta in unum coadunare. Profectò is arbitratu meo,dum hoc ſophiſmate faſcinare cogitat diuinos oculos,grauius turpiúſque delinquit, quàm ſi plurium figuram retineret, debet enim unio eccleſiarum in emolumentum ipſarum abſque dolo malo fieri,ut ſit legitima. Tertius caſus eſt propter paucitatem clericorum,ut uigeſimaprima queſtione prima,cap.clericus.adnotatur. Quanuis illic non dicatur niſi propter inopiam hominum, quòd referri poteſt ad incolarum raritatem. Veruntamen raritas etiam ſacerdotum neceſſitatem inducit demandandi uni plures eccleſias. Atqui iudicanda eſt paucitas, quando rari ſunt digni. Qua porrò de cauſa non inhiberem in prouincijs probitate & doctrina ſacerdotum deſtitutis, unum pluribus eccleſijs deputari, etiam cum cura animarum, quippe quòd in rem eccleſiæ feliciùs cederet,quàm ſacerdotes penitus inidoneos populo Chriſtiano preficere. Quartus caſus pluralitatem excuſans occurrit,quando quis unam habet prebendam in titulo,atq;,alteram commendatitiam, ut habetur eadem cauſa & queſtione,cap.qui plures.Admonendum tamen eſt de intellectu huius textus. Enimuero iuris prudentes, qui ad forum iudiciale penitus attẽdũt,tutam forſan arbitrantur cuiuslibet cõſcientiam hoc pacto poſſidentis duas prebendas,at verò qui penitùs iudicium diuinum introſpiciunt,aliter cenſebunt.Etenim eedem cauſe, imò(vt reor)iuſtiores coire debent vt quis dignè in conſpectu Dei altera fruatur prebenda ſub titulo,altera verò ſub commendatione,quàm ſi ambas haberet in titulo. De commendationibus quippe loquor perpetuis, quæ hoc etatis habentur in vſu. Eſt lex prohibens,ne Cardinales qui Romę reſident fiant Epiſcopi,& ne huius fiat præuaricatio legis, commendantur illis eccleſię perpetuò, nihilo differentiùs, quàm ſi titulus illis inſcriberetur. Profectò ſi fas eſſet ita loqui,hic commendationis prætextus preuaricatio eſt legis,&ſi perſonata,& fortè eò criminoſior,quò ſit magis in fraudem legis. Nam in fraudem

legis

legis facit, qui saluis legis uerbis, sententiam eius circumuenit. l. contra. ff. de legibus. & G. eodem titulo. Non dubium est in legem committere eum, qui uerba legis amplexus, contra legis nititur uoluntatem. l. non dubium. Etenim si causa ferendæ legis fuit necessaria episcopi residentia in sua ecclesia, quidnam quæso refert commendatariusne absens sit an uerus episcopus? Ratio namque quę iustam faciat ac legitimam commendationem, hæc esse debet, quòd haberi tunc persona nõ potest, cui legitimè sub titulo adscribatur, non autem commedatarium ditare. Haud quidem inficias ierim, quin possit episcopus Romam à Pontifice Maximo ob publicas causas acciri, tamen quòd illic perpetuò maneat, nihil obmurmuro, sed tamen neque ambigo quin multò sanctiori fide & diuino mandato teneatur episcopus Cardinalis præsens esse ecclesiæ suæ, quàm Romæ, siquidem episcopi iure diuino instituti sunt, Cardinales uerò post Apostolorum seculũ creati. Quintus casus est quando Papa pluralitatem concedit, ut habetur eadem quæstione, cap. relatio. Et sextus si dispenset episcopus, ut habetur lxx. distinct. canone, sanctorum. Hi autem duo casus ad normam quarti modò expositi auscultandi sunt, uidelicet, quòd quantum ad forum exterius censentur legitimè possidere, tamen ut Deo dispensatio sit accepta, debet legitimis causis circumuestiri. Quanuis iam non est in usu, ut episcopus possit super præbendarum pluralitate dispensare, quia cap. dudum ecclesiastica. extra, de electio. uidetur ius antiquum abrogatum, nempe ut solus Papa dispẽset, ut illic notauit Panormitanus. Tametsi hoc intelligendum sit sub ambarum titulo, quia commendare ob necessitatem bene potest episcopus, dum nõ patet ad curiam aditus. Septimus casus additur extraordinarius propter sublimes & literatas personas, quæ maioribus beneficijs sunt honorandæ, ut uerbis utamur cap. de multa: de præbend. sublimes enim (ut aiunt) refertur ad sanguinem. Attamen neque illud ad illustrium commodum est referendum, sed ad ecclesię splendorem. Ecclesia enim dũ uagiebat in cunis & potentia seculari premebatur, opus habebat illustrium uiribus suffulciri, qua de causa indulgebatur ut aliquantò plus stipẽdiorum sortirentur. Iam uerò hoc ætatis, si fas est dicere uerum, nescio an eadem dispensationis causa tam legitima existat. Porrò cum rerum usus palàm doceat, sublimium potentatum ita grassatum esse in ecclesiastica sacerdotia, ut hæc fuerit nõ minima causa ruinæ in qua modò iacet ecclesia, tametsi

P P nun-

nunquam negabo, quin si ingenui & natalibus præclari, moribus sint cum primis, mox literis ornati, plurimum splendoris ac robo ris reipublicæ ecclesiasticę afferant. Subsequitur hic tandem du bitandi ratio, an præter hos casus licitum sit Papæ dispensare, & compatibiles facere plures præbendas & personatus? Hoc in disputationem produxerim propter multa & uaria, quæ à doctori bus iuris Canonici affirmantur, ut uidere quisque poterit apud Syluestrum, in uerbo, Beneficium quarto. Ait enim in primis Archidiacon. casus istos superiores coercendos esse ad præbendas, quæ absque cura sunt animarum, sed profectò nulla hoc ratione probatur. Quin uerò episcopatus pro causa, ut suprà citauimus, cap. illud. uigesimaprima quæstione prima, possunt eidem permitti, ne dum parœciæ si proximæ sunt & tenues, quanuis tunc de centius esset uniri. Alij dicũt extra hos casus nemini licere plures habere præbendas. Intelligendũ est tamen absq; legitima dispensatione, alioqui dubitare non licet, quin eadem potestas quæ superioribus casibus dispensauit, si occurrerint alij nondum cogitati, æqui tamen & iusti, possit dispensare. Consule si lubet de hac re Syluestrum & alios Summistas. Duo tamen hic restant dubia. Prius, utrum absq; dispensatione duo possint beneficia ab eodem possideri? Posterius, utrũ ubi dispensatio requiritur, ille qui absq; legitima causa dispensationem nactus est, tutam habeat conscientiam? De priori dubitatione distinguendum est inter beneficia, quantum ad residentiam & curam, qua distinctione pręhabita statuitur conclusio, quæ sit huius articuli ordine quarta, nam tres suprà præmisimus. In beneficijs simplicibus, scilicet, neque habentibus curam, neque residentiam exigentibus, qualia sunt præstameræ, nulla est necessaria dispensatio, ut plura eadem persona obtineat. Scio glossas sacrorum Canonum multas in contrarium ire, sed tamen non solum iam receptus usus, uerum & ratio nostra conclusionem edocet. Est enim adnotandum fundamentũ, quod ex sancto Thoma suprà desumpsimus, uidelicet in his spectãdum esse trinum ius, scilicet diuinum, naturale, & humanum, quorum hoc ultimum per desuetudinem legis aut contrariam consuetudinem abrogatur. Quòd autem quis duo habeat simplicia beneficia, non est usqueadeò contra naturale ius & diuinum, ut consuetudo illud nequeat abrogare. Hoc patet, quoniã licet habendus etiam oculus in istis sit ad iustitiam distributiuã, potissimum tamen ad commutatiuam, per quam ecclesijs de ministris prouidendum

dendum est, ubi autem residentia nō est requisita, ibi ecclesia non læditur ob præbendarum pluralitatem. Verum est Adrianū mitigare uerbum, dicendo hanc non esse propriè abrogationem, sed derogationē, propterea quòd talis prouisio nō potestfieri absq; ulla prorsus causa, sed aliqua interueniēte. At uerò iam nunc pro fectò licet nulla interueniat ratio, conferuntur ab inferioribus Prælatis sine ulla dispensatione. Quinta conclusio, In his quæ residentiam requirunt, sed curam non habēt, ut sunt canonicatus, nondum ius abrogatum est, sed manet usus ut absq; dispensatione non aceruentur eidem, facilius tamen potest in istis procurari concediq; dispensatio, quàm in habentibus curam. Quin uerò in beneficijs canonicatu minoribus, quæ seruitio etiam interessendi sacris obnoxia sunt, nullus est dispensandi usus. Addiderim autem conclusionem sextam, quòd huiusmodi beneficiorum coaceruationes, siue per dispensationem fiant, siue secus, carere non possunt culpa, etiam quandoque mortali, atque graui scandalo, in ecclesiarum detrimentum, idque potissimè, ubi nimium accumulantur, & personis deputantur indignis. Conclusio hæc inter probandam conclusionem secundam consistit. Iam enim nulla spectantur aut desiderantur merita, sed perinde, quinetiam turpius atq; impudētius quàm secularia & profana, ambiuntur, cambiuntur, uęneūt, hęreditātur, regressant, ꝓfanātur ac dilapidātur. Septima conclusio, Parœciæ & id genus sacerdotia, quæ in animarum curam instituta sunt, usqueadeò non possunt absq; legitima dispensatione ab eadem obtineri persona, ut si legitima non fuerit, nequeant tutò in foro conscientiæ apud Deum possideri. Non solum sententia est sancti Thomæ quolibeto citato, atque Adriani in De plural. beneficio. uerum & sacri canones id insinuant, eiusq; interpretes apertè pronuntiant. Quin uerò doctores conclusionē non moderantur, ut de illis sollis intelligatur, sed de cunctis (quod uerissimū est) quæ dispēsatione indigēt, ut possideātur. Est tamē enormitas turpior in his quę curā habēt animarū. Itaq; & Papa sine legitima causa dispensans grauiter delinquit, & eius delictū nō liberat ambiētē, obtinentē, & retinentē à culpa. In primis, ꝙ Papa delinquat sententia est Apostoli suprà citati, Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorū Dei. Et subdit, Hic iā quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur. Quin uerò Christus Lucæ xij. Quis putas est fidelis dispensator & prudens? Et re uera, nullibi tanta fides exi-

gitur quam in committendis concredendisq; animis, Christi sanguine redēptis, illius curæ, qui præsens semper gregi suo prospiciat. Vnde Bernar. de consi. ad Eugenium libro secundo cap. vj. ait, potiùs Pontificem summum, qui spiritualis est, omnes iudicans & à nemine iudicatus, debere non sua uoluntate pro lege vti, sed Christum præ omnibus imitari, qui non suam, sed patris uoluntatem venit facere, vt omnia non pro sua utilitate, sed pro communi commodo dispenset. aliàs ut dissipator censendus est. Nam & si iura suprà citata plenariam ei tribuant potestatem dispensandi, id tamen intelligunt, quia non habet superiorem in terra, à quo possit iudicari, mittimus consilium in causa hæresis. Attamen apud Deum exactissimè respondere tenetur, si fidem in dispensatione defregerit. Ratio ergo conclusionis est hæc. Sacerdotia quæ curam habent annexam, rectè nequeunt administrari sine præsentia, tanta est uigilantia quæ animabus curandis ac prospiciendis necessaria est, residere autem simul nemo potest in ecclesijs pluribus, ergo sine vrgentissima causa eadémque ecclesiæ necessaria non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari. Sed ait forte ille, cū quo dispensatum est, Papa dispensauit, ipse sibi uiderit, ego immunis sum. Hic tamen cauillus securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est dominus, ut identidem dictum est, sed dispensator, ideoq; qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui ea vtitur, eadem semper irretitur iniquitate. Accedit ius Concilij Lateranensis, de quo extrà, de præben. cap. De multa. & cap. Dudū ecclesia. de electio. vbi nullatenus permittitur duas simul possideri parœciales ecclesias. Et Hostiensis & Panormitanus, & reliqui super cap. extirpandæ, de præbend. indubiè consentiunt, residentiam similium curatorum non posse per vicatium suppleri. Et ratio est, quia cùm beneficium conferatur intuitu personæ, ob suā scilicet ipsius dignitatem, illa suppleri non potest per pauperem mercenarium, qui vt plurimùm indignus est. & quamlibet dignus esset ut locum haberet mercenarij, non tamen pro ratione fructuum beneficij. Soluit ecclesia iusta stipendia pro uiro docto, & graui, qui si præsens adesset, suis eleemosynis, consilijs, fauoribusq; autoritate posset suo gregi prospicere ac deseruire, non ergo hæc possunt per mercenarium perfici. Miraculū est, quòd liceat curato ob eam solùm curam & onus quod uicarium viliùs, quàm potuit, sibi substituit, amplitudinem fructuum

perci-

percipere, reclamante Paulo; Qui non laborat non manducet. Sed ais, satis est laborare per alium. Profectò si non debet manducare nisi qui laborat, fit, vt qui non per se sed per aliū laborat, non debeat ipse manducare, sed contētus esse, si loco illius alius manducet. Ait fortasse parœcius, beneficij possessor, satis est huic ecclesiæ hunc vicarium substituere. Responderet autem Ecclesia si fari sciret: Ergo satis est ei hæc quā tu illi tribuis, merces, Cur ergo reliquum ex me absque vllo seruitio surripis? Insinuabat se huc de residentia Episcoporū sermo, sed hic adeò amplus est, vt illo totum ferè librum nonum compleuerimus. Audiant ergò interim supremum Pastorem suum, qui animam suā dedit pro quibus suis, eos admonentem, quemadmodum mercenarius & qui non est pastor cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.

Ad argumenta ergò in contrarium conclusiones respondēt, Commonstrant enim illa iura naturam & ingenium rei, vbi nudè præbendarum aceruus consideretur, vt secunda conclusione explicitum est, cui tamen tertia non repugnat, nempe ut ob legitimas circumstantias id fieri posit licitè. Et pariter respondetur ad sanctorum dogmata, ac subinde ad rationem tertio loco adiectam.

Quid agendum cum circa prebendarum pluralitatem magistrorum opiniones sunt contrariæ.

Diui Thome Consilium.

Videtvr quòd ille qui habet plures præbendas peccet, ex hoc ipso quòd opiniones magistrorum sunt in contrarium. Quicunque. n. committit se discrimini, in his quæ sunt ad salutem peccat. Sed iste committit se discrimini, ut uidetur, cum faciat contra multorum peritorum sententiam, ergo uidetur quòd peccet.

Sed contra. Potest esse quod in tali casu aliquis adhibet diligentiam inquirens an habere plures prebendas sit licitum, nec inuenit aliquid quod eum moueat ad hoc quod sit illicitum, ergo uidetur quod sine peccato possit plures prebendas habere.

Respondeo, dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. vno modo faciendo contra legem vt cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conscientiam, &

si non

si non sit contra legem, vt si conscientia dictat alicui quòd leuare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia auté obligatur aliquis ad peccatum siue habeat certam fidem de contrario eius quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam, & similiter quod est contra conscientiam est malum, quamuis non sit contra legem, quod autem nec contra cóscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum.

Dicendum est ergo qnod quando sunt duę opiniones contrariæ de eodé, oportet esse alteram ueram, & alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum utpote habẽdo plures præbendas facit contra ueram opinionem, & sic cum faciat contra legem dei non excusatur a peccato quamuis non faciat contra conscientiam, sic.n. contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria quam iste sequitur, ita quod uere licet habere plures præbendas & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamuis non contra legem. Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietatæ opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures prebendas habet periculo se committit, & sic proculdubio peccat utpote magis amans benefacium temporale quàm propriã salutem. Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.

Canonistarum super his sententia.

His omnibus subscribit Pa. in c. consequente de cler. nõ res. dicens, quod habens beneficium quantumuis simplex, per se sufficiens ad sustentationem beneficiati, non potest aliud tenere conformiter ad dictum glosa. in c. Dudum. el. 2. de elec. Quod etiam a Pa. limitatur, dummodo propter se solum habeat, quia si datum sibi esset beneficium non ratione sui, sed pro beneficiorum utilitate, aliud esset iudicandum ut notatur in ca. iam dudum de præben. Vtrum autem quis excusetur per dispensationem. Pa. in di. c. dudum, constanter tenet eum tutũ non esse quo ad ecclesiam triumphantem, etiam per Papam dispensatum, qui

pro & ad suam utilitatem tantummodo dispensatus est quum in hoc casu non tantum dispositio iuris positiui alteretur, sed etiã Christi patrimonium iniuste dispergatur. Cum itaq; Papa non possit sine causa alienare bona ecclesię, sine graui peccato, ut dicit Arch. 12. q. 2. c. non licet Papæ. multo minus potest concedere alteri facultatem bona ecclesiastica dispergendi. vt in c. nuper de don. int. uir. & vxo. Quare conuincitur Innocentij ratio in c. cum ad mon. de statu mon. quia hic non tantum uiolatur ius positiuum sed etiam diuinum.

Hæc eadem attestatur Hostien. in d. c. dudum. quem etiam sequitur Io. and. cum multis alijs.

FINIS.

REGISTRVM.

*ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

AA BB CC DD EE FF GG HH II
KK LL MM NN OO PP.

Omnes sunt duerniones.



VENETIIS,
Ex Officina Iordani Ziletti, ad signum Stellæ.
M D LXII.